

B. 1429

SERIES
ROMANORUM
IMPERATORUM

Cum
REFLEXIONIBUS HISTORICI

Contra

Joannis Hübneri, Erdmanni Ulsen
& Hyppolyti à Lapide Fabulas
In Lucem edita

AUTHORE

P. GREGORIO KOLB. S.

Olim in Academia Friburgensi Brig.
Historiæ Professore Ordinario.

EDITIO QUARTA.

Cum Privilegio S. Cæsareæ Majestatis & Facultate Superiorum



Augustæ Vindelicorum.
Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ.
ANNO MDCCXL.

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

B. 1429

SERIES
ROMANORUM
IMPERATORUM

Cum
REFLEXIONIBUS HISTORICIS

Contra

Joannis Hübneri, Erdmanni Ulsen
& Hyppolyti à Lapide Fabulas
In Lucem edita

AUTHORE

P. GREGORIO KOLB S. J.


Olim in Academia Friburgensi Brigs.
Historiæ Professore Ordinario.

EDITIO QUARTA.

Cum Privilegio S. Cæsareæ Majestatis & Facultate Superiorum.



Augustæ Vindelicorum.
Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ.
ANNO MDCCXL.



PERILLUSTRI AC GENEROSO
DOMINO DOMINO
JOANNI FRANCISCO
OTTONI

L. B. de & in Schönau, Do-
mino in Oeschgen, Stein, Rhonsperg,
Ober-Seggingen, Wegenstetten, Nipolingen, &c. Sac.
Cæsareæ & Catholicæ Majestatis Consiliario, nec non
Rei Venatoriæ in Anteriori Austria Præfecto Supremo
dignissimo, Domino Patrono suo perquam
Gratioso.



Uamdiu fortunata erit Austria, erit autem
perpetuò, tamdiu Familiam Schönaviensem universam di-
xero felicissimam: cum Austriacis namque Marchionibus,
dein Ducibus, mox Archi-Ducibus, & longa tandem Se-
rie



rie Imperatoribus ferè nati & educati; adversùs hostes conflictati & gloriosa morte defuncti sunt ex Schönaviensium genere non pauci Viri Clarissimi, pene eodem sepulchro cum suis Archiducibus, militum Duces & ipsi sepulti, postquam multis præliis & victoriis antea inclaruerunt. Anno nimirum 1165. Hyrus ex stemmate tuo vetustissimo Eques inter Equites Germanos in hastiludiis Tigurinis jam eminuit, Comitibus Habsburgensibus & notissimus & familiarissimus. Ex tuo stemmate, eodem aut certè subsequenti seculo per Tyrolim & vicinas provincias Babo & Everadus de Schönau dicti Prænobiles, unà cum suis Successoribus togâ & sagô exornati, togam & sagum ipsi magis exornârunt, primò Ducum Meraniæ, & his extinctis Archiducum Austriae in Bellis Socii, in aulis Consilarii; Conradus enim circa annum 1350. in regione ad Athesin sita supremam militum præfecturam, Petermanus verò Burggravii (utî appellare solebant) munus per Tyrolim strenuè obierunt, & suis ipsi etiam suffragiis & votis eò nunquam non collimârunt, ut Margaretha cognomento Maultaschia, Tyrolensium princeps Domina, omni hærede destituta, amplissimum Tyroleos Comitatum in Austriae Archiducem Rudolphum Ingeniosum ante alios æmulos transferret; quod secundissimè evenisse rerum successus usque hodie commonstravit. Dum verò per Tyrolim & vicinas provincias rem suam ita strenuè egerunt, ut Austriae se totos consecrârint & consummârint, eodem seculo XIV. penitus emortui: tunc illud Poëtæ licuit repetere: *ramò nunc avulsò uno, non deficit alter.* Ramus certè Prænobiliùm Equitum de Schönau per Sueviam & regiones Rhenanas perpetuò florens sanguinem suum, quem fudit unà cum & pro Archiducibus Austriacis, fecit multorum Heroum semen florentissimum. Non inanis profectò fama etiam hoc tempore viget, & ipsum tibi clementissimè concessum Diploma Cælareum testatur, seculo Christi XIII. an. 1269. cum
Friderico



Friderico Austriae Archiduce, & Conradino Suevorum Duce de Schönaviensium genere profectos esse Equites, qui maluerint in ferali theatro cum suis Ducibus sanguinem fundere, quàm patriæ servare. Hoc teste Fuggero certissimum, Leopoldum Archiducem, cognomentò Probum adversùs Helvetios Equites Schönavienses secum duxisse, & prope Sempacum unà cum ipsis contra hostes pugnásse, cecidisse. Melchior de Schönau à literis & virtutibus plurimùm laudatus Eques circa annum 1540. & 50. inter turbatissima per universum Romanum Imperium tempora quatuor urbium sylvestrium supremus à Carolo V. & Ferdinando I. Augustis fratribus constitutus Præfectus & Privilegiis novisque Insignibus exornatus, suum dedit & conservavit non minùs Romano Pontifici, quàm Cæsari, fide erga utrumque constantissimus. Melchiorem temporis successu in officiis secuti sunt Marcus Jacobus & Joannes Theodoricus de Schönau, ambo in urbibus etiam sylvestribus Præfecti Austriaci, quorum ultimus unà cum omnibus sanguinis propinquitate sibi junctis Perillustrium Baronum numero à Leopoldo M. in principio Imperii sui est insertus ob antiquissima & perpetua merita in Domum præcipuè Austriacam collecta, & optimè collocata. Ad initium prioris seculi Joannes Rudolphus, & Joannes Casparus de Schönau, ambo Austriacarum copiarum non modò Centuriones, sed multarum centuriarum supremi Duces, non minùs providè, quàm gloriosè electi, Archiducum Austriae animos suis meritis plurimis in se rapiabant, quod abundè literis manu Archiducali exaratis, & usque hodie in Archivio tuo servatis, æternùm servandis, testatus est Archidux noster Leopoldus, dum non minùs festivam, quàm Clementissimi animi indicem epistolam ad Rudolphum dedit 1. Julii 1624. eò more locutus, quo solet ferè frater fratri, aut amicus amico amicissimè loqui. Silentio prætereo Basileæ prioris seculi
) 3



seculi Episcopum Franciscum, maximi profectò etiam ab inimicis æstimatum. Sileo permultos alios in variis Cathedralibus Ecclesiis Canonicos, aut in Ordinibus Nobilissimis Equites antiquissimos. Taceo præterea multos alios de tuis Majoribus & quidem ipsum p. m. Genitorem tuum Ottonem, qui inter Equites provinciæ nostræ universos supremus Præses eminuit; tam hic quàm alii non pauci Austriacæ gloriæ ita fuerunt velificati, ut primis in curis Reipublicæ, in postremis ferè suum habuerint commodum, à vigilantia, fortitudine, liberalitate, & multis aliis virtutibus ad invidiam usque multorum laudati & laudandi. Verùm absit invidia; invidiæ loco adsit æmulatio; præcesserunt Majores, sequantur Posterì. Sed adhortatione dum indigent alii, non opus habent Schönaviensium pectora; nam etiam hodie tria de tuo genere Generosa ac Perillustria Capita aut Cæsari serviunt, aut certè iis Supremis Ducibus obediunt, qui Carolo VI. servire primis in votis habent. Tuus certè frater germanus Electori Trevirensi tanquam Supremus Custodiarum Electoralium Capitaneus, uti vocamus, servit tantò avidius, quantò est universis evidentius, Electorem hunc & Familiam Palatinam universam esse totam in obsequiis Caroli Imperatoris. Interea dum tua tuorumque res te domi cogunt agere, nullo non tempore abnuis ipse pugnare, vincere, aut mori pro Domino Austriacæ; unde jam in juventute tua in Equestri Ordine Austriaco Assessor, velut appellant, ab universo Equitum Perillustrium Collegio electus, ad majora & ardua magis munera æquissimè aspiras eo fine laudatissimo, ut servias Cæsari & Patriæ. Armis ex Nobilissima tua stirpe junxerunt permulti literarum & variarum artium præclaram notitiam, quod pluribus recensere brevitatis causâ supersedeo. Tu Ipse dum Seriem hanc Romanorum Imperatorum inspexisti, & paulisper volvistì, atque Austriacorum res oppugnari, sed & propugnari intel-



intellexisti, continuò tibi placere, & voce & epistolis dixisti. Multa igitur & magna nobis suppetit ratio, cur Seriem hanc Imperatorum maximè Austriacorum tuis ante alias porrigam manibus, tibi eandem & me totum dedicem, consecrem


Perillustri ac Generosæ Dominationis tuæ

Servorum in Christo
infimus

Gregorius Kolb S. J.

)()(

FA-



FACULTAS R. P. Provincialis, &
Privilegium Cæsareum.

CUM D. Martinus Veith, Bibliopola Augustanus, quartâ vicetypis vulgare desideret librum, cui Titulus: Series Romanorum Imperatorum &c. à P. Gregorio Kolb Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, & à Patribus ad id deputatis lectum, & approbatum; Ego Rudolphus Burckhart, Societatis Jesu per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, potestate ab A. R. P. N. Francisco Retz, universæ Societatis Præposito Generali ad id mihi concessâ, eidem ad quartam hanc Editionem facultatem impertior, simulque communico Privilegium Cæsareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis prohibetur, ne dictum Librum citra consensum Superiorum recudere, aut intra fines S. R. Imperii, & hæreditarias S. C. Majestatis Provincias inferre præsumant. In cujus fidem has manu meâ subscripsi, & consuetum Officii mei Sigillum apposui. Eustadii. 3. Martii 1740.

(L.S.) Rudolphus Burckhart.



Approbatio Theologica.

HISTORICA hæc Romanorum Imperatorum Series, quemadmodum argumento suo est Augusta, ita brevitate, claritate, eruditione ac veritate, tanquam Historiæ animâ, est conspicua. Cùmque insuper non modo bonis moribus, ac Romano-Catholicæ Fidei nihil contrarium contineat, sed etiam varios gravesque errores, ac palmares calumnias, quibus nonnulli Orthodoxi Imperatores, ex Augustissima potissimum Domo Austriaca à quibusdam A catholicis Historiarum Scriptoribus per summam injuriam impetuntur, solidè refutet. Hinc non minùs lucem publicam, quàm Romanorum Pontificum Series, ab eodem Authore magna cum laude edita, jure meretur, ut typis mandata, omnium oculis, manibusque exponatur.

Ita censeo


LEONARDUS HAUSMANN S. J.
Ss. Theologiæ in Moralibus Professor,
& p. t. Sacr. Facult. Decanus.



Approbatio Philosophica.

SERIEM Romanorum Pontificum aliquot abhinc annis luci publicæ datam, jam verò quartò sub prælo sudantem laudatissimè sequitur præsens Romanorum Imperatorum Series, ab eodem Authore ad eruditam plurimorum delectationem laboriosè, ac doctè, concinnata. Singulare præterea Operi decus accedit à suis Reflexionibus, quibus à via veritatis directè deflectentes Scriptorum heterodoxos in semitam rectam reflexè & solidè dirigit. Dignissimam proin censeo luce publica hanc Seriem.

FRANCISCUS XAVERIUS HERB S. J.
Philosophiæ Professor Ordinarius & pro
tempore Decanus.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

DUm Christo DEI Filio in solatium humani generis ex homine nasci non displicuit, placuit eidem summopere tanquam Sacerdotum Summo ac Supremo, simulque Regum Regi, nec non Dominantium Domino sui loco constituere in terris duos omnibus reliquis majores suos Vicarios, *Summum* scilicet in *Ecclesia Romana Pontificem*, & *Supremum in Romano Imperio Imperatorem*; tametsi à DEO datam potestatem ac Majestatem non bene ceperint, sed pessimè usurpârint multi, tyranni magis, quàm Imperatores. Unde D. Augustinus lib. 5. de Civitate DEI cap. 21. ita docet: *ipse (DEUS) regnum dedit sine cultu eorum, per quorum cultum se isti regnâsse crediderunt. Sic qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo. Et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Juliano, cujus egre-*
giam

giam indolem decepit amore dominandi sacrilega, & detestanda curiositas, cujus vanis oraculis deditus erat, quando fretus securitate victoria, naves, quibus victus necessarius portabatur, incendit &c. lege plura in eodem lib.

Certè si non in ipsis Tyrannis, in Imperatoribus minimùm plurimi rerum æstimatores æquissimi divinum aliquid notârunt; quin universa propemodum in toto terrarum orbe natio ita fuit constituta per secula jam septemdecim, ut simul in Romano Pontifice, & Romanorum Imperatore aut Rege suo, humana conditione quicquam sublimius suspexerit, & hodie suspiciat, amore prosequatur & admiretur, si amica; si verò inimica, odio habeat & invidet, abominetur & detestetur. Unde evenit per eadem multa secula, ut non modò Authores Orthodoxi, sed & Heterodoxi quidam, Romanorum Pontificum & Imperatorum gesta aliàs conjunctissima etiam ipsi ita junxerint suis in libris Historicis, ut plusquam humanam agnoscant potentiam multis in Pontificibus, & multis in Imperatoribus. Quos DEUS. Homo ita conjunxit, nec ego Historicus separabo Pontifices & Imperatores, ductus etiam exemplò multorum Historicorum, inter quos ægrè Joannem Hübnerum, Erdmannum Uhsen, Hippolytum à Lapide cum sociis colloco, utpote quorum duo primi, licèt etiam ipsi utroque pene perpetuo nexu conjunxerint, Romano tamen Pontifici multa, imò plurima adimunt, ut tribuant haud volenti Cæsari, dispensatores non satis æqui; mox verò Imperatoriæ Majestatis etiam obliti, insurgere non verentur contra utrosque, ut dum interimere conantur Pontifices, nec ipsis parcant Imperatoribus Romanis, Romanorum Pontificum Defensoribus: atque aded vel plerosque, vel profectò Imperatores multos per multa secula nimium quantum à via veritatis aberrâsse asserunt, eò quòd adhæserint *Romanæ*, hoc est *Babylonicæ Ecclesiæ*. Tametsi proin in edendis libris Hübneri & Erdmanni scopus & finis haudquaquam ultimus fortassis fuerit, Romanorum Imperatorum gesta in lucem edere, in editione tamen sua, sui & religionis suæ ita fuerunt memores, ut Imperatores *per utrumque Imperium Catholicos* facilè centum numerent in Ecclesia, veluti vocant, Anti-Christiana, dum



vel ipsius jam Constantini M. tempore, vel certè uno alteròve seculo post eundem Magnum Cæsarem *Ecclesiam DEI Visibilem in non Visibilem transisse*, etiam in Imperatorum gestis nunc apertè, nunc occultè profitentur. Cùm igitur Hübneri copiosos errores in Romanorum Pontificum Serie ob oculos copiosè posuerim, eam ob rem arctissimum Romanos inter Pontifices ac Imperatores foedus exigit, ut horum etiam gesta potissima, aut eorundem potiùs *breve compendium* producama in publicum; ex quo, nisi me spes mea fallat, haud difficulter dispiciemus, an plurimi, iique omnibus encomiis dignissimi Imperatores tales fuerint, quales multis in capitibus dixerunt Historici adversarii mei: præsertim verò an extiterint Defensores Ecclesiæ Christi, an Anti-Christi. Item utrùm vel unico ex XVII. Seculis seculo Ecclesia, Christi sponsa individua à suo Sponso Christo ita fuerit divisa, ut velut in carcere ac tenebris potiùs latuerit, quàm homini partuerit; denique *an Hübnerus & Scriptores socii* multis aliis in paginis non multùm fuerint hallucinati: præsertim verò Hippolytus ultimis quinque seculis, quibus Imperatores stemmate Austriacos penitus cupit extirpatos è Romanorum Imperatorum Serie; Hippolytus, inquam, personatus ille (proprio nomine Germaniæ universæ perquam noto, Joachimus Rusdorff dictus) Friderici Electoris quondam Palatini & hæredum studiosissimus Author, minimè dignus foret mentione hodierna, utpote in Romano Imperio proscriptus æquissimè, nisi ejusdem nomen celebrarent hodie authores & lectores non pauci, Heterodoxi maximè, partim clandestini, partim publici hostes Cæsarum Austriacorum. Æqui idcirco bonique coniului, singulis Romanorum Imperatorum seculis suas subjungere Reflexiones, ut Lectores tam amici, quàm inimici procul positus partium studiis, arbitrentur partis utriusque causam.


Desiderabit forsan in fronte Romanorum Imperatorum Benevolus Lector Julium Cæsarem, quem tamen ex præsenti Cæsarum Serie excludendum putavi, tum quòd imperante Octaviano Augusto primùm *DEUS-Homo* Ecclesiæ Romanæ, & Romano Imperio Fundator Supremus initium dederit; tum quòd Julius Cæsar Triumviratui extinguendo equidem impenderit operam ingentem, ut Imperator,

aut



aut Cæsar solus imperaret & triumpharet, metam tamen suam non attigerit, nisi in nepote suo Octaviano Augusto, qui postquam Lepidum & Antonium prostravit, tum primùm solus imperavit; ea ætate à nascituro proximè Christo ita admissus Romanorum Imperator, ut hic nequaquam Supremus foret Pontifex nisi inter idola & idololatrias. Tum denique, quòd deprehenderim, in omittendo sic Julio Cæsare mihi prævisse exemplò nonnullos Authores graves. Dum verò inveniet Lector, permultos à me citari Authores, suadeo ut sibi persuasum habeat, multos à me securitatis causa lustratos esse atque perlectos, non tamen eorundem omnes, tum quòd ad manus adesse non poterint, tum quòd confiderim in fidem integram C. Baronii aliorumque Historicorum, ex quibus quemadmodum hausi Imperatorum Historiam, ita haurire placuit Authores. Cæterùm Lector Benevole, accipe omnia hic scripta eo animo, quo me scripsisse temet arbitro deprehendes. Vale.





SERIES Romanorum Imperatorum

In Septem Periodos distincta.

Prima Periodus continet Imperatores ab Octaviano Augusto usque ad Constantinum M.

Secunda complectitur Cæsares à Constantino M. usque ad interregnum Imperii in Occidente maximum, seu usque ad Martianum Imp.

Tertia enumerat Imperatores Orientis à Martino usque ad Carolum M.


Quarta orditur Occidentis Imperium à Carolo M. usque ad Henricum Aucupem.

Quinta prosequitur Imperatores Saxones, Francos & Suevos, utpote aliàs sanguinis connexionem conjunctos.

Sexta exordium suum ducit à Rudolpho Habsburgico, conjungens Imperatores Austriacos mixtos Imperatoribus vario stemmate prognatis.

Septimam denique inchoant in Alberto II. & Friderico IV. Imperatores merè Austriaci, Periodum hanc nunquam, ut spes est, finituri.

SE-



SERIES ROMANORUM IMPERATORUM.

Periodus Prima.

Seculum Nati Christi
Primum.

I. Octavianus Augustus.

Quantus inter Assyrios Ninus, inter Persas Cyrus, inter Græcos Alexander Magnus, tantus Romanos inter fuit Octavianus, Octavii Romani Equitis filius, Julii Cæsaris ex Augusta filia nepos. Annos 20. numerabat, cum Consulatum primo auspiciatus fuit, futurus deinceps duodenis vicibus Consul, nec non Tribunus plebis perpetuus, ac inter idololatrias Sacerdos supremus. Accessit dignitati tantæ Triumphatûs Majestas, qua Octavianus cum Lepido & Marco Antonio supra Senatam populûmque Romanum eminebat. Verùm cum iis à natura dotibus fuerit ornatus, ut

R. P. Kolb. Series Imp. A par

par esset totius orbis Imperio ritè gubernando, haud diu passus per multos æmulos, prostratis minoribus, aggressus est duos omnium potentissimos, Lepidum nempe & Antonium, quorum hunc in Ægypto, illum in Sicilia ad internecionem delevit. Victor itaque ubivis terrarum famosissimus, supra Acticum Græciæ promontorium varia exuberantis lætitiæ signa posteris reliquit, urbem Nicopolim in Bulgaria eum etiam in finem ædificans; illic enim quoque Ludos quinquennales constituit, & ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, navalibus spoliis exornatum, Neptuno ac Marti consecravit. Romam indè repetens, tribus diebus continuis triumphavit triumphò ipsius etiam Augustini oculis dignò, annis triginta ante natum hominum Servatorem mense Sextili, quem suo de nomine Augustum dixit, priùs ipse Augustus ab augendo, ut multorum est opinio, vocatus. In tam sublimi honorum vertice constitutus, ut universorum sibi devinceret animos, concessam sibi potestatem omnem vel deponere seriò constituit, vel simulavit, eventu exoptatissimo; tunc enim ab universo populo *Pater Patrie* dictus, Romano Imperio initium dedit jucundissimum & gloriosissimum: clauso enim Jani templo quod à tempore Manlii Torquati post primum bellum Punicum constanter patebat, pacem coluit, cœlum inter & terram maximè colendam; promissus enim perditorum hominum Redemptor Christus advenit ex Virgine natus, velut prædicebat Oraculum interroganti respondens, tunc Romanos haud amplius invictos fore, *cùm Virgo pareret*. Peperisse *Virginem Matrem* denique agnovit Imperator Augustus *prohibens se vocari Dominum*, jubensque erigi aram DEI Patris & Virginis Matris Filio dicatam hac inscriptione: *ARA PRIMOGENITI DEI*. Aræ huic ansam dedisse refertur Oraculum Delphicum, quod nascente Christo unà cum Oraculis aliis primò obmutuit, demum tamen responsum hoc edidit:

*Me Puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristémque redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitis discedito nostris.*

Hæc de pace publica, nunc de pace & bellis domesticis, quibus Augustum alternis vicibus frui & affligi oportuit: præterquam enim, quòd
Marcel-

Marcellum Octaviæ Sororis filium, & simul Lucium atque Cajum ex Julia filia unica nepotes, interruptis vix funeribus extulerit, suam ipse filiam ob mores prorsus immorigeros unà cum Agrippa nepote in Insulam Planasiam exulum more ejicere coactus fuit. Ad hæc duarum, aut trium conjugum variè vexatus est malis domesticis; Clodiam enim Marci Antonii Privignam & Scriboniam duorum Consulium viduam, suam tamen denique conjugem factò divortiò ex aula ejecit; cum Livia Drusilla verò Claudii Neronis vidua annos quinquaginta ea ratione transegit, ut ipsa aliquando rogata, quo pacto tam longo tempore Imperatori placere quiverit, hoc maximè modo responderit: primo *castè vivendo*, secundò *marito multum connivendo*, tertio *in ejus gesta non curiosè indagando*. Mœrorem domesticum auxit aliquando nuntius tristis de accepta in Germania Romanorum clade maxima; Quintilius nempe Varo exercitus Cæsarei Dux supremus, multis Romanorum milibus ab Hermanno Germanorum Rege trucidatis, ipse sibi violentas injecit manus; quæ clades tantopere Octavianum afflixit, ut caput ad parietem allidens, in hæc crebrò erumperet verba: *Quintili Vare legiones redde!* Mirum dictu, invictissimum aliàs Cæsaris spiritum hac militum clade adeò commotum fuisse, cùm tamen vehementiores animi motus, præsertim iræ ac tristitiæ moderari probè didicerit, Græcorum elementa literaria tyronum more identidem repetens, ne stimulante iracundia verbum asperum, aut sententia ad mentis trutinam minùs examinata fortè excideret. Docuit hanc artem Augustum discipulum suum Athenodorus, numeratus & ipse inter viros literatissimos, quos maximi æstimabat literarum amantissimus Imperator, qui Horatium & Virgilium, ac per aliquod tempus Ovidium sibi amicissimos mirè fovēbat, Mæcenate Equite Romano pariter litterarum & literatorum amantissimo aditum ad Cæsarem viris doctis ritè faciente & conservante. Ne denique quidquam desideraret in *Patre Patrie* Romanus populus, Romam plurimis, iisque ex pario lapide extuctis ædificiis venustissimè juxtà ac solidissimè exornavit, ut adeò haud injuria morti proximus gloriatu fuerit, *se Romam ex lateritia marmoream confecisse*. Tametsi verò Augustus Romæ potissimo tempore ageret, & velut è specula totius Romani Imperii principe rebus cunctis providere studeret, singulas tamen provincias adire non neglexit, ab Africa duntaxat & Sardinia immodi-

cis tempestatibus impeditus: ubi vis autem terrarum existeret, Augustæ clementiæ monumenta reliquit, in hostes etiam mansuetissimus: regna enim, quibus jure belli potitus est, ferè iisdem, quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit, tributo sibi pendendo contentus. Provincias validiores, & quas annuis Magistratum imperiis regi, nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit: cæteras Proconsulibus sortito permisit: nonnullas tamen commutavit interdum. Urbium quasdam fœderatas, sed ad exitium licentiâ præcipites, libertate privavit: alias aut ære alieno laborantes levavit, aut terræ motu subversas denuo condidit. In urbibus Rectores quoque solitus est apponere ætate parvis ac mente lapsis, donec adolescerent aut resipiscerent. Curis crebrò fatigatum cum extra mœnia invitaret aura serenior, non temerè urbe vel oppido egressus, aut quoquam ingressus est, nisi vespere aut noctu; ne quem officii causâ inquietaret. In Consulatu pedibus ferè: extra Consulatum sæpè adopertâ sellâ per publicum incessit: palam verò ubi comparuit, promiscuis salutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quemdam joco corripuerit, *quòd sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephantò stipem.*

Senatûs die nunquam Patres, nisi in curia salutavit, & quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente, & discedens eo modo sedentibus singulis valedicebat. Quoties Magistratum comitiis intererat, tribus cum candidatis suis circuibat, supplicabatque more solemnem; ferebat & ipse suffragium in tribu, velut unus è populo: testem quoque in judiciis & interrogari & refelli se animo æquissimo ferebat. Rogatus à propinquis suis, ut eosdem Cæsar Senatui populòque Romano commendaret, fecit id equidem Augustus, sed additò dictò, *si merebuntur.* Augustæ mansuetudinis & clementiæ multa & magna documenta ante alios experti sunt etiam illi, quos læsæ Majestatis reos urbs tota perspectos habebat: inter eos Junius Novatus & Cassius Patavinus, è plebe homines, mitissimam tulère sententiam, alter pecuniâ, alter levi exilio punitus; cum tamen prior Agrippæ juvenis nomine, asperrimam de Augusto epistolam in vulgus edidisset; posterior verò in convivio pleno exclamasset, *neque votum, neque animum sibi deesse confodiendi Octavianum.* Tiberio autem privigno de his aliisque Augusti vitici hostibus per epistolam conquerenti, & vindicta postulanti, ita rescripsit: *Ætati tua*

mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquam esse, qui de me malè loquatur: satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit. Ob has aliasque multas virtutes Imperatorias honore maximo dignissimus, honores magis fugere, quàm ambire constanter est visus: templa enim, quæ nôrat etiam Proconsulibus solere decerni, in nulla provincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit: argenteas etiam statuas olim sibi positas, conflavit omnes, aureas ex iis cortinas Apollini Palatino consecrans. Dictaturam aliquando cum vi magna eisdem offerret populus, genu nixus, dejecta ex humeris purpurâ, nudo pectore deprecatus est. Aliàs in theatro cum universi exclamassent: *O dominum æquum & bonum!* continuò manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die gravissimò corripuit edictò. Ludos theatrales in deliciis numerans, morem veterem eumque confusissimum, factò Patrum decretò, ordinavit ea ratione, ut quoties spectandum quidquam publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus. Militem secrevit à populo: maritis è plebe proprios ordines assignavit: prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis. Sæcularibus ludis, juvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum. Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscuè spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit: athletarum verò spectaculo muliebrem sexum omnem submovit; quamquam non modò inimici, sed amici etiam palam jocandi edixerint causâ, *Octavianum adeò à sexu muliebri abhorrere, ut ab adulteriis remotus non sit.* Adeò etiam Soles Romani suas patiuntur maculas! Brevi moriturus testamentum duobus exaratum codicibus apud Vestales deposuit, in quo, cum hærede masculino destitutus foret, Claudium Tiberium Neronem ex Livia privignum Imperii totius hæredem scripsit, Druso privigno altero jam mortuo, cujus filium Germanicum octo ad Rhenum legionibus præfecit. Nolæ demum in Campania decessit anno Christi 14. aut potius, ut habet C. Baron. 16. ætatis suæ 76. Imperii 44. à cœpto Consulatu 56. Augustus Octavianus vix non cruentis lacrymis deploratus à Senatu populòque Romano, de quo dicere solebant, *Augustum aut non oportuisse nasci, aut non mori.* Symb. *Festina lentè.* Sueton. Dio. Tacitus & RR.

II. Claudius Tiberius Nero.

TIBERIUS Augusti privignus & gener, principiis Imperii moderatis, aut gloriosis potius soceri sui gloriam æmulari visus est, plaudente Romano populo; cum enim provinciarum Præsides, graviora ut imponeret tributa populo, suis consiliis suaderent Tiberio, respondit dicto tum sibi familiari: *boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* Assentatorum præterea voces summè averſatus, *Imperatoris & Patris Patriæ* nomen haud admittebat, in eos etiam clementissimus, quorum calumniis atque convitiis se peti haud ignorabat. Tantùm valuit in Tiberio fratris Germanici & matris Liviæ præsentia; hac enim an. ætatis suæ 86. mortua, fratre verò veneno aut veneficiis extincto, apertis vitiis longè magis insignis, quàm simulatis virtutibus fuit, exuta vulpe lupus totus. Inter notiora scelera vinolentia & violentia fuère, ob quarum priorem *Cadius Biberius Nero* vocatus est ab amicis etiam, si quos amicos habere potuit tyrannus, qualis Tiberius fuit, qui plurima tyrannidis plena exempla posteritati reliquit: præter alios enim Drusum filium ob affectati sceptri suspicionem veneno sustulit, Neronem verò & Drusum alterum ex fratre Germanico nepotes, unà cum horum matre Agrippina fame enecuit. Dum sic furebat in alios, & conservando perperam Imperio studuit, idem penitus nunc turbando, nunc vitiis indulgendo perdidit. Parthi enim Armeniam, Daci Mæſiam, Sarmatæ Pannoniam, & Germani Galliam sunt depopulati, Tiberio interea in Capreis Campaniæ insula Baccho & Veneri litante. Tyrannum veriùs, quàm Imperatorem egit Tiberius annis 22. m. 6. post quos in villa Lucullniana vel veneno sublatus, vel à Caligula præfocatus est, exultante ad mortis nuntium tota Italia, quæ eam denique laudem dixit mortuo; *Si nunquam imperasset Tiberius, dignus fuisset Imperio.*

Inter Provinciarum Præsides Tiberius numerabat Pontium Pilatum, cujus conniventia Christus Deus humanæ salutis Reparator Hierosolymis in crucem actus, Judæorum Ecclesiæ finem imposuit ultimum. an. Tiberii 19. *Tacitus, Sueton. Dio. Seneca.*

III. Cajus

III. Cajus Caligula.

CAJUS Germanici filius, Tiberii pronepos, Caligula cognominatus ob militarem habitum suum caligis similem, multum laudatus & ipse principiis Imperium auspiciatus fuit: Tiberii enim avunculi sui cadaver honorificentissimo funere effrens, ab eodem tributa provinciis indicta remisit, simulque multa alia Reipublicæ salutaria sancivit. Verùm mutata quamprimum imperandi methodo, Tiberium tyrannum tyrannus ipse immanior superavit; nullum quippe non scelus scelestus hic homo in amoribus habuit; unde præstantissimis generis splendore, doctrinâ ac virtute viris infensissimum se ostendit: Cincinnatis enim Romæ Patriiis suos cincinnos, Torquatis suas torques, Pompeis Magni nomen invidit. Homeri, Virgilii, & Senecæ libros summè detestatus est, quorum ultimum vix non morti destinabat ob id solùm, quòd aliquando plaudente Senatu populòque Romano perorasset pro reo.

Vestem bis induit nunquam, in dies singulos mutans corporis habitum roboratus in scelere Pharao. Baccho & Veneri mancipatus sexaginta sex Philippeorum milliones intra breve temporis spatium abligurivit, inter scorta numerans etiam sorores suas. Libidini par, aut hac major fuit sævitia; unicum namque caput Romanis civibus esse optavit sæpiùs, ut ictu unico omnium liceret amputare capita. Libellum geminum in arcano scrinio suo servabat, quorum alterum vocabat *gladium*, *pugionem* alterum: his verò libellis catalogus sat copiosus erat inscriptus eorum Nobilium, quos occasione quavis proxima è medio tollere fixum ratùmque habebat. Humana tamen conditione haudquaquam contentum hoc hominis monstrum divinam affectabat; idolorum igitur effigiata capita dejici, relictis verò truncis effigiem suam superimponi jussit, ut solus ipse coleretur Deus, *Jupiter Latius* vocatus. Tandem universis visus vixisse diu nimis mortalis hic Deus, an. Imperii 4. triginta vulneribus occisus est. *Symb. Oderint, dum metuant. Sueton. Lipsius.*

IV. Clau-

IV. Claudius Tiberius Drusus.

Caligulae patruus, Octaviani privignus Claudius, nisi magno-
pere fugisset mortem Caesaris, vix Caesar creatus fuisset; cum
enim Caligula à Cornelio Sabino, & aliis conjuratis sociis ad
necem quaereretur, post valvas januae ipse sese abscondit, at-
que ob id etiam Imperio haud inhabilis est judicatus, timore suo se haud-
quaquam tyrannum probans, post tyrannos duos minimè timidos.
Imperio stabilitò multa Augustae clementiae edidit documenta; è tri-
bunis enim & centurionibus, qui Caligulam è medio sustulerant, pau-
cis interemptis, reliquis omnibus concessit delictorum veniam, tam-
etsi non deessent, qui Claudium morti jam destinarent. Tributa eti-
am à Caio imposta, populo remisit, quin bona haud satis æquo ti-
tulo à Tiberio simul & Caio exacta, suis quondam possessoribus re-
stituit. Conversus deinde ad officia gentilibus sacratiora, jusjurandum
non, nisi per *Augusti nomen* edere secum constituit: parentibus aliis-
que sibi sanguine junctis, nec non amicis quondam, tum verò mor-
tuis, nunc inferias celebravit, nunc ludos theatrales adornavit, nunc
alios exhibuit honores, quos tamen ipse serio fugere est visus: *Impe-
ratoris* enim nomine abstinuit, statuas sibi erigi prohibuit, plausus
publicos fugit, multa quae postulare nefas non erat, petiit à Senatu,
quem peculiari reverentia est constanter prosecutus: quare brevi tem-
poris spatio tantum amoris favorisque collegit, ut cum Caesarem Osti-
am profectum, ex insidiis periisse nuntiatum esset, continuo popu-
lus ad seditionem pronus militem proditorem & Senatum parricidam
dicere prius non destiterit, quam Claudium salvum atque incolumem
vivere Magistratus è rostris significavit. Expeditionem unicam in se
suscepit, Britanniam eligens sibi & filio Germanico, indeque *Brit-
tannico* etiam cognominato, cujus potenti opera 16. dierum compen-
dio regnum hoc anno salutis 43. subegerat. Hæc aliæque nonnulla
encomiis erant dignissima: vituperata fuit verò multis modis ejusdem
nimia indulgentia in senas omnino conjuges, quarum duæ ultimæ
erant pessimæ Messalina & Agrippina; prior enim libidine incensa in
Claudio absentia Cajum Silium publicis nuptiis sibi junxit adultera adul-
terum;

terum, quos Claudius Romam rediens, multis vix permotus argu-
mentis supplicio affecit. Agrippina Germanici filia Claudium patru-
um blanditiis suis ita dementavit, ut is minimè verecundaretur, anti-
quatis etiam propterea legibus, incestam neptem, & altera vice jam
viduam ducere. Hæc eadem impudentissima foemina continuis suis tum
querelis, tum precibus eò senem Claudium permoverat, ut ipse præ-
terito filio Britannico, Imperii sceptrum in Domitium Neronem pri-
vignum suum transtulerit, summò totius Ecclesiae & Imperii detri-
mentò. Ultimis tamen vitæ mensibus cum haud obscuris indiciis pro-
deret, displicere sibi haud parùm & novum matrimonium, & adop-
tatum Neronem filium, ex multis sceleribus audacior conjux, condi-
tis venenò cibus occidit maritum, occidenda & ipsa denique à Nero-
ne filio; quod cum intelligeret ex præfagio, respondit: *occidat, mo-
dò imperet. Symb. Generis nobilitas virtus.* Imperavit Claudius an. 13.
m. 8. *Sueton. Aurel. Victor, Tacitus.*

V. Domitius Nero.

DOMITII Ænobarbi & Agrippinae malæ matris filius pessimus
Domitius Nero, omnium sanè tyrannorum fuit immanissi-
mus, licet primis Imperii sui annis clementiam verbis &
factis probasset, exclamans tum, cum mortis sententiæ no-
men subscripsit: *ò utinam literas nescirem!* An. ætatis suæ 17. Imperium
auspicatus est non nisi optimè, consiliis Senecæ moderatoris sui, &
Pyrrhi custodiarum præfecti ductus; verum an. 22. laxatis vitio frœ-
nis, adè in omne scelerum genus sese effundere cœpit, ut eorun-
dem enormitatem postea detestata sint etiam elementa, præcipuè ter-
ra & aqua, quarum illa sæpius contremuit, hæc verò ordine retro-
grado fluxit. Crudelitatem Neronis dolore suo maximo experti sunt
non modò viri Romæ Patritii, verum Neronis etiam primæ notæ do-
mestici, quos inter numerabantur Britannicus frater, Agrippina ma-
ter, Octavia & Popæa uxores, Seneca Præceptor, Lucanus insignis
Poëta, Corbulo inter belli duces ferè strenuissimus, qui imperante
Claudio inter Rhenum & Mosam profundam valde fossam, viginti tri-
bus

bus milliaribus longam, duxit, ut continuas Germanorum in Galliam irruptiones cohiberet. Ingens adhuc Christianorum numerus exquisitissimis tormentis tortus cecidit sub Nerone, qui ut excusaret Romæ incendium, soli sibi jucundissimum, toti verò Italiæ tristissimum, in Christicolas culpam omnem coniecit, tantos incendiorum ignes non nisi innocentium sanguine pretiosissimo extincturus. Inter insonites primo loco numerari promeriti sunt Apostolorum Principes Petrus & Paulus, quorum ille devicto Simone mago in crucem actus, hic ense ressecandum caput porrexit, lacte & aquis sanguini mixtis prodigiosos eliciens fontes. Diis tamen par haberi voluit impar ipsis bestiis Nero; statuam enim ex ære fusam 80. cubitis altam in auras erexit, ut minor Nerone foret Magnus Nabuchodonosor. Humanæ igitur conditionis immemor Imperator minimè placere potuit hominibus subditis, à quibus ne occideretur, vitam, quam carnifici pridem debebat, ipse manu sua sibimet eripuit, in causa propria iudex & carnifex, an. ætat. 33. Imperii 14. Symb. *Artem quævis terra alit. Sueton. Tacitus, Eusebius, Dio &c.*

VI. Sergius Sulpitius Galba.

FUrente Nerone Cæsareis copiis supremi duces præerant Rufus in Germania, Julius Vindex in Gallia, & Sergius Galba in Hispania, quorum hic ætate & autoritate major, præterea sæpius Romæ Consul, atque antiquissimæ nobilitatis Senator, nec non exercitûs dux veteranus an. ætatis 72. consentiente Rufo & Julio ab electore milite Cæsar est electus; Romæ dein dum appropinquavit cum exercitu, tantæ seditionis nuntiò territus Nero, Gallum Rubrium cum exercitu contra Galbam continuò dimisit. Verùm Nerone nihil suspicante, Gallus etiam Galbæ Imperatoriam dignitatem gratulaturus, cum subdito milite eidem se conjunxit. Confirmatus itaque omni ex parte Cæsar Galba, veriùs Judicem inter cives, quàm inter milites ducem deinceps agere constituit: iudicium ejus unà cum hominibus certè etiam equus arbiter ligatis oculis vidit, suo Domino à Galba probè adjudicatus. Improbare id ipsum iudicium nequiverant

rant mali emptores & venditores quidam cives Romani, quorum alteri manus præcidi, alterum in præaltæ crucis patibulum agi iussit, ditans, Romanum civem altiori cruce, quàm fures reliquos dignum haberi. Suammet tamen causam non benè egisse ejusdem judicârunt subditi milites, quorum alios dictâ causâ & sententiâ nimium severâ, capite plesti mandavit, aliis larga stipendia negare solebat cum dictis, *legi à se, non emi milites*: à militibus igitur duce Ottone seditiosis, septimo Imperii mense occisus cecidit. *Sueton. Tacitus.*

VII. Sylvius Otto.

SYLVIVS Otto à prima adolescentia prodigus & procax, nocte etiam vagari solitus, in amoribus habuit amica noctis scelera. Neroni proin moribus haud multum dissimilis, inter tyranni hujus amicos summum crebrò obtinuit locum. A Nerone tamen scelerum æmulo dimissus denique, decem annis Lusitaniæ provinciam non absque sui commendatione administravit: dein verò ex Seleuco Astronomo intelligens, Ottonem Neroni superstitem fore Imperatorem, nullum officii, aut ambitionis genus in quenquam omisit, ut liceret proximè imperare. Galbæ tamen dum se postpositum doluit, ut ab eodem in Imperii hæredem adoptaretur, optavit sæpius Otto, spe delusus inani: Ottoni enim etsi sanguinis propinquitate sibi juncto, præhabuit Galba Lucium Pisonem, hunc præ illo dicens Cæsarem. Quod tamen spes amica negavit Ottoni, vis inimica dedit eidem; caput enim Galbæ resectum, circa militum castra portari iussit precarius Cæsar, securus tunc futuri mali, quod nocte proxima Galbæ spiritus, tristis malorum futurorum prodromus, haud obscure significavit; die namque altera victore Aulo Vitellio prope Cremonam amissis suorum 40000. ipse vivere desit, quia vivere diutius noluit occisor sui, & tunc & aliàs usus hoc dicto: *Unus pro multis.* Imperavit mens. 3. *Sueton. Tacit.*

VIII. Aulus Vitellius.

Tiberio ephebum, Caligulae rhedarium, collusorem se Neroni probavit Aulus Vitellius, ut multis vitiorum gradibus Imperii solium denique conscenderet; fortè rerum penuriã etiam impeditus, quò tardiùs eò eluctatus fuerit: ex Italia namque in Germaniam à Galba ad exercitum dimissus, tanta cum paupertate luctabatur, ut suppellectilem domesticam vendere, vel pignori dare coactus, creditoribus tamen solutionem debitorum ægrè præstolantibus, non nisi injuriarum minas & terrores objecerit, eorundem aliquot pedis calce percussis: castra nihilominus Romanorum in Germania ingressus, nihil cuiquam roganti aut petenti negavit; unde *ignominiosis etiam infames notas, reis crimina, damnatis supplicia*, teste Suetonio, *remisit*. Hoc maximè modo à Germanico milite admissus Cæsar, triumphantis more per vicus circumferri, & inter compotatores helluari usque adeò amavit, ut in prætorium suum se haud recepisset, nisi triclinium concepto igne copiosissimo consternatis omnibus ardere cœpisset. Eo tempore etiam cognomen *Germanici* ab universis sibi oblatum cupidè recepit: nomen tamen *Augusti* distulit, *Cæsaris* in perpetuum recusavit. Ex Germania in Galliam, & inde in Italiam rediit, aquilæ & gallinacei auguriò lætus processit; quippe aquila exercitum antecessit, gallus humeris etiam Vitellii insedit, magorum fortè artibus accitus uterque. In via ubi de Ottonis spontanea morte verbum audiit, omnis impatiens moræ Cremonam pervenit, ubi Otto amissã victoriã paulò antè semet interemit. Ibidem circumjacentium tum militum, tum civium Romanorum cadavera, multis inter gemitus, & lachrymas spectantibus, Aulus cum risu exclamasse dicitur: *optimè olent militum, melius civium cadavera*. Quin ad leniendam odoris gravitatem copiosum merum propalam hausisse & passim distribuisse memoratur. In urbem denique receptus, in campo Martio, adhibita publicorum Sacerdotum suorum frequentiã, inferias Neroni celebravit, admonens palam citharcedos suos, ut *Domitio* non minùs applauderent. Ita imperare Vitellius cœpit, non nisi aurigarum & histrio-

histrionum requirens consilia, & perpetuis ferè indulgens conviviiis: epulas enim trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, nimirum in jentacula, prandia, coenas & comestationes, futurus Cæsar mensibus perpaucis, intra quod brevissimum temporis spatium 22. Philippeorum milliones nimia profusione consumpsit. *Clypeum Minervæ* dixit eam patinam, quæ mensæ imposita unà cum cibis viginti quinque Philippeorum millibus constitit. Ob hæc itaque & alia vitia gravissima indignus Imperio visus omnibus aufugit, ut vim intentatam effugeret. Verùm ex latebris retractus, injectò in collum laqueò seminudus in foro minutissimis ictibus cum fratre Vitellio & filio Petroniano est trucidatus Imperii mense 7. Symb. *Bonus odor hostis, melior civis occisi*. Sueton. Eutrop.

IX. Titus Flavius Vespasianus.

Sabinus Flavius in Italia natus, & annis venientibus in Asia ad telonium sedere jussus, tanta integritate functus est suo officio, ut ejusdem in honorem erecta fuerit excelsa statua his verbis exornata: *Sabino Flavio telonario justo*. Hoc ex patre natus Vespasianus occiso Aulo Vitellio ab universo Romanorum exercitu Imperator salutatus fuit, tanta dignitate dignus maximè, dum ambivit minimè, armata manu, ut amplecteretur, adactus. Creatus Cæsar, ab Octaviano Augusto omnium primus, qui veterem Romani nominis gloriam restauravit, successor fuit gloriosissimus, postquam obscuros natales militari laude jam illustravit in Britannia celeberrimus, ubi tricies cum hoste fortissimè dimicavit. Ex Britannia in Asiam delatus, bello contra Hebræos rebelles suscepto laudatissimum initium fecit; etsi enim Hebræorum exercitus tum ob ingentem numerum, tum ob vaticinium sinistrè ab ipsis de novo Judæorum Rege intellectum, sese insuperabilem existimaret, Vespasianus tamen non longo temporis intervallo Galilæam totam cum Judæa, exceptis solis Hierosolymis, expugnavit. Ex Judæa Romam Imperator contendit, relicto in Asia filio Tito, ut Hierosolymitanos arcta obsidione cingeret futurus victor. Erat Vespasianus vir verè Imperatoris virtutibus clarus, si avaritiam

excipias, quam in exigendis de re etiam sordidissima tributis palam exhibuit, ad indignitatem rei stomachante Tito filio, cui aliquando reposuit genitor: *lucris bonus odor ex re qualibet.* Hoc unicum, si tamen fuit vitium, virtute opposita emendavit facile Vespasianus; non enim sibi magis, quam Reipublicæ avarus, quidquid in bonum Romani Imperii cedere videbatur, neglexit minimè: Romam quippe aliasque urbes multas aliquot tyrannorum desidia vitiatas, & magna sui parte destructas, partim legibus, partim ædibus restituit, plus efficiens exemplis, quam mandatis: unde haud immeritò Tacitus hunc in modum recensuit: *precipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit: antiquo ipse cultu victuque: inde obsequium in Principem, & emulandi amor, validior quam poena ex legibus, & metus.*

Haud præstantior civis, quam miles Vespasianus, militarem disciplinam diligentissimè custodivit, nunc licentiam militum severè castigans, nunc aliorum moderationem justis præmiis & laudibus extollens, nunc novo robore legiones reficiens, nunc Ducis optimi munere solerter perfungens. Inter armorum strepitus Musarum haud oblitus, ut præclara juvenum ingenia ad perdiscendas artes liberales magis accenderet, Latinis Græcisque Oratoribus in annos singulos bis mille quingentos Philippeos dari præcepit, haud minori liberalitate Poetas prosecutus. Illatas sibi haud semel duntaxat injurias ingenti animo pertulisse fertur; Mutianum enim vtrumque meritum suorum fiducia elatum, & Imperium jam ferè affectantem his repressit dictis: *ego quoque vir sum.* Demetrium etiam Cynicum venienti Cæsari assurgere detrectantem, dum *canem* appellavit, castigatum satis dixit. Ob singulares has Imperatoris dotes Senatui populoque gratissimus, cum morbo tentari cœpit ultimo, præsentiam suam, solis instar, militibus negare est visus; unde ne negaret proximè moriturus, lectulo incumbens admisit milites; ubi cum vires deficere persentiret identidem magis, earum periculum facturus ultimum, stare conatus est, sed & mox concidit cum dictis: *Imperatorem stantem mori decet.* Imperavit annis ferè decem. *Sueton. Tacit. Aurel. Victor.*

X. Titus Vespasianus.

Bono patre filius melior Titus, *amor & delicia generis humani* passim est appellatus. Ultor is à Coelitibus missus est, ut poenas gravissimas Hebræi exsolverent; Hierosolyma enim, quæ caput impietatis erat, post famem & pestem luctuosissimam quarto obsidionis mense expugnata, flammisque subjecta penitus interiit, vaticiniis eventu suo plenissimè impletis. Integrum hominum millionem mors tristissima minimùm rapuit victore Tito, cui cum finitimi Reges coronas mitterent ultroneæ deditiois testes, eas recusavit, tribuens raram victoriam Deo, cujus vindicem iram abunde noverat. Eâ etiam fuit in omnes clementiâ ac munificentiâ, ut par Augusto videri potuerit: amicis enim Titum rogantibus, ut poneret modum liberalitati immodicæ, respondit, *non oportere quemquam à conspectu Principis tristem discedere:* unde cum fortè inter coenandum memoria dictaret, absque beneficio ulli præstito diem illum abiisse, gemitu dolorem animi testatus, exclamavit: *amici diem perdidimus.* Aliàs duos de Patriorum genere viros affectati Imperii reos, omnis immemor poenæ ac vindictæ commonuit solùm, ut à cœptis desisterent, *principatus,* inquit, *non perfidiâ rapiuntur, sed fatò conceduntur.* Resurrexisset profectò suis ex cineribus & ruinis penitus Roma, si vita longior fuisset Tito; amphitheatrum enim ab Augusto optatum, & à patre Vespasiano inchoatum, Titus perfectum dedit. Præterea cuncta suorum prætoriorum ornamenta novis, iisque publicis operibus ac templis, Neronianò incendiò vastatis, impendit, totius Romæ instaurationem plenissimam sæpè volvens animò & significans verbò. Talis tamen tantusque Princeps Imperio præfuit annis duntaxat duobus cum totidem mensibus, venenum à fratre Domitiano, ut est suspicio, porrectum hauriens, tanto omnium luctu ac mœrore, ut communem universorum parentem extinctum crederes an. ætatis suæ 41. Symb. *Bonus Princeps orbis amor. Authores iidem.*

XI. Flavius Domitianus.

Titi frater videri ab initio Imperii potuisset Domitianus, nisi temporum successu factus fuisset Neroni par, aut peior; ut enim fratris exempla facto simili referret, incautos criminum delatores exilio jussit mulctari, ajens, *Princeps, qui incautos criminum delatores haud castigat, irritat.* Adulteria etiam, aliâque carnis flagitia sancita lege severissima interdixit: hinc Corneliam inter Vestales virgines præsidem, veris aut falsis testibus sceleris convictam, tumulo vivam inferri jussit, ut latam legem non infringeret. Verùm quàm solerter antea curavit alienam verecundiam, tam oblitus fuit postea propriæ pudicitiae, nequaquam abhorrens à nefandis sceleribus.

Domitianæ libidini par, aut major ejusdem fuit superbia: honores enim publicos summis desideriis ambiens, dum nunquam est meritis, immerito tamen exhiberi postulavit: hinc contra Germanos, & dein Dacos in aciem progredi cùm potius simularet, quàm re pararet, Romam rediit, adornari sibi præcipiens triumphum absque victoria, quin suo dedecore & suorum clade maxima; in Germanorum enim conspectum non venire ausus, à Dacis verò ad internecionem deletus, permagna auri summa pacem coëmit imbellis tyrannus. Multis Domitiani sceleribus accessit immanis sævities, per omnes hominum status grassata; crudelitatem ejus experti sunt Romæ & ubivis locorum tam indigenæ, quàm advenæ, atque hos inter maximè fidelis Christi populus, *persecutionem Neronianæ proximam* iustinens. Eminuit in eadem supra reliquos plurimùm D. Cletus Romæ supremus Præsul, securi percussus; dilectus item Deo discipulus Joannes, & Flavia Domitilla, quorum hanc in insulam Pontiam, illum verò in insulam Pathmon exules ablegavit, postquam ex accenso oleo incolumis evasit victor inermis, singulari certè Superùm beneficiò, quo servatus arcanorum Dei vates conscius, Apocalypsin suam scripsit adversus adversarios multos, argumentum divinum. Domitiani furorem exhibuit etiam feralis cœna, quam in atratis ædibus apparari jusserat, sedibus, mensis & rebus omnibus carnificinas & mortes præfagentibus. Et licèt tum

inter

inter solos convivarum angores & horrores absolutum fuisset convivium, catalogum tamen morti destinatorum prodidit famulus Imperatrici Domitiæ, quæ cùm suum etiam nomen trucidandorum inter nomina legisset, negotium occidendi tyrannum quamprimum commisit Stephano ministrorum fidissimo, olim Clementis Romæ Senatoris, inde verò Martyris liberto, qui unà cum consciis sociis septem vulneribus Domitianum confecit, unius tyranni morte plurimorum vitam servaturus, anno Christi 98. Imperii 15. Decies septies Consulatum adeptus est Imperator Domitianus; hac tamen, imò nec Imperatoria dignitate contentus, Deus dici, atque Palladis Virginis filius haberi voluit, nec à vilissimis muscis colendus; solus enim non rarò in obserto cubili muscas stylò aureò configebat: unde rogatus aliquando Crispus Vibius, quis in cubiculo foret cum Cæsare, respondit: *ne musca quidem.* Symbol. *Fallax bonum regnum.* Eutrop. *Aurel. Victor, Herodianus &c.*

XII. Nerva Coccejus.

Nerva Romæ natus Senator, denique & Consularis, à Domitiano in exilium inter insontes ejectus est, sed & suis restitutus, atque Consul creatus, pene jam septuagenarius senex, communi omnium voce salutatus fuit Imperator. Inter primas supremi muneris sui curas numeravit illam, qua ferreas Domitiani leges, & aureas statuas destruxit, collecto exinde auro pecuniæ inducens formam, ut miseris subveniret Princeps liberalissimus & mansuetissimus: Civibus namque Romanis cum paupertate luctantibus, decies & quinquagies centena nummùm millia erogavit; eos etiam, quos à Domitiano re sua spoliatos noverat, bonorum quorumvis restitutione recreavit, licèt vel aulæ jam applicata, vel fisco pridem adjudicata inveniret. Nec Imperatoris hujus virtus eximia suos limites putavit esse urbis moenia; sed in Imperium universum, quoad licuit per breve temporis spatium, auxilio suo excurrere, civitates multas per Præsides Romanos liberari oneribus mandavit, singulis ac universis benefaciendum esse ratus: unde Nervam *Parentem* suam dixerunt meritò etiam

R. P. Kolb Series Impp.

C

viduæ

viduæ, orphani & gens Christiana, cujus numerum haud exiguum, atque inter hunc D. Joannem Apostolum exilii poena liberavit, fide Christiana haud indignus Imperator: hoc glorioso nomine aut honore supra priorem statum se evectum nunquam credidit ipse, aut de Nerva Cæsare edixerunt alii: unde à priori nihil diversus, cum perfidorum quorundam insidias, in sui è solio amotionem structas, intellexisset, magnâ animi fiducia dixit, *se etiam abrogatò Imperiò securè acturum in vita privata.* Cæterum ut longissimo tempore viveret Nerva, optârunt univèrsi; perbrevis tamen temporis intervallo suum absolvit Imperium, post unum jam mortuus annum, in hominum memoria nunquam moriturus. Tantam sui memoriam vel in fine etiam promereri haud vanè studuit; omissis quippe propinquis suis, Ducem non nisi ex meritis sibi notissimum Trajanum, adoptione Successorem fecit Imperij. Symb. *Mens bona regnum suum possidet. Eutrop. Xiphillin.*

*Reflexiones supra Seculum
Christi I.*

REFLEXIO I.

INter permulta Ecclesiæ Romanæ solatia non minimum est illud, quod eidem magna ex parte peperit authorum Orthodoxorum in Historia Dogmatica constans concordia, ex parte verò altera Heterodoxorum Historicorum in eodem genere pertinax discordia. Est nimirum unanimis Catholicorum vox & constans sententia, qua triumphantium more sibi gratulari & gloriari absque ulla temeritatis nota sunt hæctenus soliti, dum læti pronuntiârunt: *Ecclesia nostra supra firmissimam petram fuit fundata: porta inferi non prevaluerunt adversus eam.* Est enim verò etiam Heterodoxorum concors vox, & forsân par voci sententia animi, qua uno velut ore vociferantur: *Ecclesia Romana à via veritatis certò aberravit plurimum &c.* verùm rogati millies, quo tempore, quo anno, quo potissimum seculo error hic grandis in Ecclesiam Romanam irrepserit, tum verò turbatur musica, rumpitur

barby-

barbyton, & dissono clamore offenduntur aures: fuerunt enim Lutheranorum multi, qui primo hoc sæculo sub ipsos jam Tiberii Imp. annos Romanam ruisse in tenebras Ecclesiam contenderunt: fuerunt non minùs, qui post elapsa tria à nato Salvatore secula Romam in Babylonem abiisse affirmârunt. Ab his diversi alii, Romanæ Ecclesiæ annos integritatis longè plures concesserunt. En musicæ concordiam! quæ tibi ut pluribus pateat, fac perlegas in C. Bellarmino & authoribus tum Orthodoxis, tum non Orthodoxis diversas hac super re sententias. En! genuinam Historicorum maximè Luthero adhærentium doctrinam Dogmaticam, qua *Ecclesiam olim integram instar lucidissimi sideris spectabilem, aut omnibus ferè visibilem, dein verò seculis multis in tenebras velut sub modium abreptam, concordi calamo scripserunt, & hodie pergunt scribere.*

Quæ cum ita sint, agam cum Hübnero & sociis non solum more historico, sed aliquoties etiam more Theologico atque Juridico, non equidem sponte mea, sed provocatus à parte adversa, nempe Hübneriana, quæ nunc Jurisprudentiæ, nunc Theologiæ Doctores adversus Romanam Ecclesiam, nunc in Pontificum, nunc Imperatorum &c. Historia veluti fortissimos Duces educit in aciem. Regulas igitur quamprimum geminas mutuabo vel à Theologis, vel Jurisperitis, ut cui adversantium parti faveant magis, Lectores intelligant, & nullo habito personarum, aut Religionis discrimine ipsi arbitri sententiam pronuntient.

REGULA PRIMA.

Melior est causa vel conditio possidentis.

REGULA SECUNDA.

Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.

Ob veritatem igitur ac virtutem primæ ex duabus Regulæ

I. Incumbit Hübnero, Erdmanno & quibusvis sociis palam facere, Ecclesiam

- clesiam Romanam quondam Deo dilectam ex *visibili*, ut ajunt, transiisse in *invisibilem*.
- II. Incumbit ipsis in causa hac omnium gravissima non argumentis duntaxat verosimilibus, sed certis ac luce meridiana, ut vocant, clarioribus demonstrare, *Romanam Ecclesiam aliquo tempore integram, fuisse verè corruptam*.
- III. Coguntur exhibere, quo anno, aut seculo tantam metamorphosin passa sit Romana Ecclesia.
- IV. Adiguntur edicere, quis, aut quæ demum causa tantæ Ecclypsis in Ecclesia extiterit. Hinc si reponant Romanos Pontifices tanti mali originem fuisse, enimverò
- V. Obligantur testimoniis declarare, e. g. Gregorium M. vel Bonifacium III. &c. in Dogmate saltem aliquo *certè* errasse, & in errorem traxisse pene infinitos alios homines.
- VI. Tenentur edocere Judicem, qua ratione urbes & orbis ferè universus, vel simul, vel sensim sine sensu Deo derelicto, Romano Pontifici non vera, sed fallax Ecclesia firmiter adhærere cœperit.
- VII. Jubentur patefacere, cur Ecclesia per plurimorum annorum centurias omnino extingui non queat, si possit per multa omnino secula omnino abscondi, vel in paucis duntaxat capitibus, iisque confertissimæ hominum multitudini penitus ignotis conservari.
- VIII. Docere ipsorum est, cur cœlorum, ut vocamus, janua omninò non possit seris firmissimis concludi per dena omninò secula, si tam multis sæculis nemini ferè pateat Ecclesia, quæ dicitur verè *Porta Cæli*.
- IX. Oportet manifestare, textus sacri Codicis, qui communissimè in medium afferuntur pro *Ecclesia perpetuò visibili*, in diverso longissimè sensu procul dubio esse accipiendos, quàm nunc à Romana accipiuntur Ecclesia.
- X. Ipsos decet defendere, in sacris Paginis patere oculis textus alios, quibus demonstrantur tempora, aut locus, aut modus Ecclesiæ velut sub terris absconditæ, vel in lunæ concavum translatae.
- XI. Ob sequelam fas Lutheranis est dicere, *S. Scripturam*, utpote fundamentum suum vel unicum, *hominum oculis esse penitus subtractam* per multa secula.

- XII. Demonstrandum est Romanæ Ecclesiæ hostibus, tam Græcorum, quàm Latinorum Patrum testimonia pro Ecclesiæ veræ *perpetua visibilitate* edita, esse prorsus vana ac fatua.
- XIII. Pronuntiandum eisdem hostibus, an Veteris Testamenti Ecclesia ullo unquam tempore abjêrit *ex visibili in non visibilem*: si affirment:
- XIV. Onus sibi novissimum imponunt docendi, quo aut quanto tempore eadem Ecclesiæ mutatio evenerit.
- XV. Ob id ipsum onus, aperiari necesse est, an Deus non plus favoris ostenderit Legi Scriptæ aut Naturæ, quàm Legi Gratiæ in conservanda publicè Ecclesia.
- XVI. Oneribus aliis accedit & hoc, aperiendi nimirum, imitatores Christi, innumeros pene Martyres vel à Seculo III. vel VI. &c. usque ad Lutherum deceptos fuisse, dum sanguinem haudquaquam in testimonium latentis, sed apertæ Ecclesiæ, scil. Romanæ fuderunt.
- XVII. Adstringuntur evincere, Ecclesiam trium, aut sex, aut plurium primorum seculorum in variis omnino fidei dogmatibus *certò* differre ab Ecclesiæ Romanæ doctrina, quæ posterioribus tradita fuit seculis.
- XVIII. Coguntur simul ob oculos ponere, quot & quænam censeantur ea diversa Dogmata.
- XIX. Officij ratio postulat indè, ut luce meridiana clariùs exponant, suam scil. Lutheri Ecclesiam prorsus non differre ab ea Ecclesia, quæ primis seculis omnibus apparuit.
- XX. Oportet demum Lutheri affectas promptissimè respondere, an ipsorum modò Ecclesia sit manifestè *vera ac visibilis*; item an non & ipsa *ex visibili* mutari possit denique in *non-visibilem*.

Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.

OB indubitatum hujus parœmiæ veritatem, si tam enormis in Romanam Ecclesiam jam multis abhinc seculis *defectus* non modò irrepsit, sed vel ipso duce Anti-Christo, velut infernalis furia in

Pontificum Romanorum Sedem involavit, & pulso fidei lumine Cimmeriis tenebris obscuravit latè omnia, tunc enim verò ingens illudque *multiplex malum hoc ex defectu maximo* oritur, nimirum

- I. Oritur malum, quo Divinum Numen permittens illum defectum, hominum generi subtrahit gratiam summè necessariam, *lumen scilicet fidei*, omnibus usu rationis utentibus, ad salutem medium primum & extremum.
- II. Oritur malum, quòd Deus innumeris vanis ostentis miraculo similibus, terrarum orbi per plura secula vel ipse imposuerit, vel imponi permiserit.
- III. Oritur malum, quòd per eadem secula Imperatores multi, plures Reges, Duces ac Principes viri plurimi, Comites, Barones, aliique primæ notæ viri aut fæminæ innumeræ, etiam à Lutheranis laudati, vanis prodigiis circumventi, falsissimo dogmate instructi, haud credenda crediderint, atque adeò ad inferni barathrum ob fidei defectum detrusi fuerint.
- IV. Oritur malum, tot vanis miraculis deceptos, absque piaculo potuisse in dubium vocare ea miracula omnia, quæ sacra Pagina pro defensione Veteris Ecclesiæ exhibuit legenda atque intelligenda.
- V. Oritur malum, quo visibilis Ecclesiæ notis omnis adimitur fides ac æstimatio.
- VI. Oritur malum, quo demonstratur, quòd Deus longè magis vel ipse custodiverit, vel à dæmone custodiri permiserit hæreses perpetuas, atque inter has Romanam (ut ajunt Lutherani) hæresin, quàm Ecclesiam, sponsam suam olim omnibus *visibilem & amabilem*.
- VII. Oritur malum, quo ostenditur, commune omnium nationum dictamen esse fallacissimum, quo universi judicârunt hætenus, aliquam Ecclesiam *verè visibilem esse veram*, & quidem *qualibet natione suam*.
- VIII. Oritur malum, quòd Status Secularis longè fuerit felicior, quàm Status Ecclesiasticus, dum illius leges semper vigeant publicè; non verò leges Statûs Ecclesiastici.
- IX. Oritur malum, quo decepti sunt hominum plerique, existimantes, providentiam Dei elucere vel ex eo maximè, quòd in extre-

mis

mis etiam rerum angustiis constanter conservet Ecclesiam suam publicam, veluti de sua nunc Ecclesia judicant Lutherani.

- X. Oritur malum, quo per multa secula decepti sunt virorum doctissimi, iique plurimi, firmiter persuasi, Deum reliquisse Ecclesiæ cui-dam *visibili* non modò scientias de rebus naturalibus, sed vel maximè etiam de rebus supernaturalibus notitiam synceram ac necessariam.
- XI. Oritur malum, quo evincitur, homines probos, etsi per complura secula conentur esse membra *visibilis* cujusdam, ejusque *veræ Ecclesiæ*, haud potuisse consequi finem suum &c.
- XII. Oritur malum, quo ostenditur mortales etiam probatissimos vel omnino non, vel non nisi difficillimè potuisse consequi salutem.
- XIII. Oritur malum, quo palam fit, Christum per multa secula paucissimis mortalium concessisse passionis suæ merita, quæ tamen sunt *infiniti pretii*.
- XIV. Oritur malum, quo fit manifestum, Dei vindicis iram suis in operibus longè potentiorum esse, quàm clementissimi Numinis miserationes &c. &c.

REFLEXIO II.

Quoniam Historicorum Hübnero similium plerique Christianam (dummodo non appelles Romanam) Ecclesiam per *tria minimum secula, tanquam Christi sponsam, verè spectabilem & amabilem* venerantur, atque adeò ad hoc usque tempus, se amicos magis, quàm inimicos ostendunt, hinc per tria prima secula animo haudquæquam hostili, sed corde amico & ore syncero cum iisdem loquar verba nec multa, nec molesta, dum paucis unà intuebimur, quàm probè perspecta fuerit Ecclesiæ, à fundatore & conditore Jesu Christo ædificatæ facies, primis Romani Imperii capitibus; tametsi in mediis tenebris, in urbe nimirum Romana, Babylo ni tum temporis simillima, fasces tenuerint.

Primus omnium Romanorum Imperatorum si non corporis, certè animi oculis conspexit novissimum & rarissimum rerum ordinem, dum

dum orbis pene universus, universæ pacis fructibus fruebatur plenis gaudiis, stupente Jano, cujus templum nunquam firmitus, nunquam jucundius fuerat clausum, quàm nascente Christo, & imperante Augusto. In Judæa, tum Romana provincia, sceptrum regium tenebat Herodes primus, Romanorum adulator vaserrimus, qui nuntiata sibi *majoris Regis* nativitate, multa parvulorum millia à bimatu & infra occidi jusserat, tribus Orientis regulis dolo accitis, & consilio adhibitis, ut coram exemplò, veluti simulabat vulpes callida, commotus adoraret in carne spiritum, in parvulo virum, in homine Deum. Cæsarem itaque Augustum, qui testibus Historicis passim omnibus, Imperii totius statum apprime perspectum habebat, Filij Divini in Bethlehemi nati splendor, aut multorum miraculorum in coelis ac terris apparentium fama, multò minùs tot parvulorum carnifex latere haud poterat; mirum proinde nemini videri potest meritò, si legat in libris passim plurimis, Augustum Cæsarem tam novæ rei nuntiò ita fuisse excitatum atque accensum, ut *primam in Dei nati honorem aram extrui curaverit*, & Dominum se vocari prohibuerit. (*Vide superius*) præsertim si ansam huic dederit Oraculum Delphicum, primò mutum, denique eloquentissimum. Nonne Hübner, hæc & plura his similia refert & tu fol. 409. lib. 1. de Rom. Imp. & tu Erdmanne lib. de Imp. fol. 16. citans hac de re *Suidam, Nicephorum, Calistum & Gregorium Cedrenum*, quam solertiam in tuis libris enixè laudo, & hinc te Hübnero longissimè præfero, qui cupit esse Historicus sine authoribus.

REFLEXIO III.

Fuit ab Augusto Cæsare primus Tiberius annorum 23. Imperator sub cujus Imperio triennio toto oracula dixit ad populum *Oraculum Oraculorum maximum Christus*, plurimis miraculis tum per se, tum per discipulos patratis in *testimonium Evangelicæ veritatis*. Anno demum 20. imperantis Tiberii Martyrum Dux supremus factus Servator mundi, stupente ad tantæ rei exitum naturâ universâ fudit divinum sanguinem, & vitam clausit mortalem Deus immortalis, sedente pro tribunali Pontio Pilato Præside Romano. Nemo proin Historico

ricorum fuit qui dubitârit, quin & vitæ & mortis crudele hoc genus unâ cum multis Ecclesiæ novæ circumstantiis ad Cæsarem delatum fuerit: certè Tertullianus Author vetustissimus in Apologet. & post Tertullianum authores plurimi perhibuerunt, Tiberium coram Senatu Romano id egisse impensissimè, ut Christus Hierosolymis nuper in crucem actus, numeraretur inter Deos; illis verò, *qui Christo deinceps essent litaturi, nequaquam Urbe interdiceretur*, quin potius pœnas luerent alii, qui ad supplicia deposcerent *Christianos*. Verùm, ut perhibet Paulus Orosius, nec prius impetravit, nec posteriori à Senatu Tiberius; non enim tum temporis Christianis parcitum est à Romanis, nec numeratus Christus inter Deos, unus & unicus numero Deus ter Optimus Maximus.

REFLEXIO IV.

O Bicem hîc sibi in via obvium sentiunt vix amici ampliùs; Hübnerus & Erdmannus; quòd enim Imperium auspicante Claudio Christiana sacra in Italia, & quidem in Urbe jam instar veris flores coeperint, vix audent negare; quòd verò Imperatoris Claudii anno altero Apostolorum Princeps Petrus auspiciò felicissimò Romanorum Pontificatum inchoaverit, dum inficiari non sustinent, argumentis destituti, affirmare tamen etiam renuunt, inter sacrum & saxum hærentes; bene gnari, difficillimum sibi esse & affirmando, & negando offendere pedem ad *Petram* illam, quæ Hebræis & Hæreticis multis ab hinc seculis jam fuit scandalo. Mihi verò nunc non est animus multis contendere de Romana Petri Sede; cùm in Serie Romanorum Pontificum abunde Hübnero & sociis fuerit responsum. De Imperatore Claudio pergamus sermonem texere, cui per annos 13. plurima de aris Christi innotuisse palam est, & luce meridiana clarius. Hoc ipsum ut persuasum nobis sit firmitus, describere lubet, quod Spondanus C. Baronii compendio ex Dione Historico affert, ajens: *Quod ad res profanas attinet, consideratione dignum est, quòd hoc ipso anno (Claudii Imp. 3.) quo Romana Ecclesia à Petro est plenè erecta, abrogata fuerint à Claudio Imperatore complura sacrificia, & festa in venerationem deorum*

R. P. Kolb Series Imp. D cele-

celebrari solita. *Quod licet ille alia ex causa fecisse noscatur, videas tamen non nisi nutu divino accidisse quodammodo presagium, ut cum primum Christiana Fides Romæ plantata evalescere cœpit, idololatria decre-scere atque minui inciperet.* Vide plura fol. 65. & sequentibus in Spondano & Baronio de Imp. Claudio.

REFLEXIO V.

QUAM clarè apparuit Ductore ac Doctore Moyse fidei lux Pharaoni, tam dilucidè apparuit sub Pontifice & Doctore D. Petro Christi Religio Neroni. Veritatem hanc testata est Ecclesia Romana per septendecim jam secula orbi universo, accedentibus in testium socios authoribus tum vetustis, tum mediis, tum recentioribus. Summopere placuit hîc mihi Erdmanni Uhsen syn-cera confessio, qua adductis authoribus multis meam hanc fermè sententiam confirmat. Nimiùm quantum verò ejusdem dein arrisit mihi testimonium, quo præcis ambagibus & scrupulis affirmavit, in prima illa eaque crudelissima persecutione, qua tyrannus omnium primus & crudelissimus Nero in multa Christicolarum millia sævit, velut inter sydera minora eminuisse Apostolorum Principes Petrum & Paulum, Jacobum, Barnabam & Marcum, omnes gravissimò suppliciò enectos; Simonem verò magum Neroni fuisse gratissimum. Te verò haud capio Hübner, utpote qui trepidante calamo scribis in hunc modum: *videtur probabile, quòd etiam eadem carnificina Apostoli Petrus & Paulus Martyrium subierint.* Haud ego contra te in tellem advoco communem pene omnium seculorum & hominum fidem, qua *Petrum & Paulum Martyres, Neronem tyrannum, Simonem magum Petri Romanos inter adversarium pugnasse tam promptè asserunt, quàm promptè parvuli sex bis tria dicunt.* Ut Erdmannum & alios populares tuos hac super re legas, amicè suadeo; in iisdem deprehendes citatos *Suetonium, Tacitum, Sulpicium Severum, Eusebium & Dionem* Historiographos antiquissimos. Tot tibi testes nî sufficiant, plurimis testimoniis suis velut multis lapidibus te obruent DD. Petri ac Pauli in carcere & martyriò socii custodes milites, Processus & Martinianus cum aliis 47. invictissimis, licet tunc inermibus, armigeris.

REFLE-

REFLEXIO VI.

ETSI tyrannus Nero cum tyrannis lociis, dispersis nimirum per Romanum Imperium præsidibus suis, in id unum incubuerit totis viribus, ut tum in Italia, tum in Hispania, tum in Gallia, tum etiam in Asiæ provinciis Orthodoxæ Religionis radices novas extirparet quantocyus, copiosissimus tamen Martyrum sanguis longè latèque fusus, frugiferi instar seminis novos in dies Christicolarum flores & manipulos progerminavit, rigantibus agros maximè Romanos Petro & Paulo, ac aliis permultis tum sociis, tum successoribus, dante Christo incrementum. Post Neronem itaque Cæsarum haud ullus imperare poterat, quin illi de nova Christi ac Christicolarum doctrina innotescerent multa adeò, ut ferè per universas Romanæ ditionis regiones ac regna passim existerent multi, quorum alii nova Christi adum sacra propugnarent, alii impugnarent: unde evenit, ut Cæsarum alii Christicolarum aras jam notissimas connivente oculo tolerarent, alii grandi supercilio despicerent. Primo tamen hoc Christi seculo post Neronem inter septenos Imperatores non nisi *unus Domitianus iram suam & vires exeruit in Christianorum primitias, Neroni par aut hoc crudelior tyrannus:* longè autem à Nerone diversa Sergii, Galbæ, Sylvii Ottonis, Vespasiani, Titi, nec non Cocceji Nervæ imperandi fuit methodus; Galba enim & Otto cum obicem non posuerunt, rem Christianam multum promoverunt. Vespasianus verò & Titus, dum vindicis Dei vicarios vel inviti etiam, aut mysteriorum ignari adversus Hebræorum gentem se probavère, Christianorum legiones in pugnis & victoriis sibi socias junxerunt, in hoc solùm ab iisdem diversi, quòd Imperatores pro Romanorum focis, Christiani verò pro aris certarent utrinque victores. Nerva denique sublatis continuò ferreis Domitiani legibus, evocatis ex suo exilio, & arcânis recessibus Christicolis, haud fuit dissimilis iis Lutheri sectatoribus, qui probè sibi perspectam habent Catholicorum doctrinam & morum probitatem, eandem tamen potiùs aliis, quàm sibi exoptant, aliis boni, sibi nequam. Atque ex his consequitur, Romanam Ecclesiam primo hoc seculo Romanis Imperatoribus si non omnibus, plerisque sal-

D 2

tem

rem probè fuisse cognitam, & per eosdem plurimis fuisse *spectabilem factam*, ut vel inviti viderint mirabilia Dei opera, & palam exclamarent, vel animo dixerint: *lapidem, quem reprobaverunt edificantes, hic factus est in caput anguli! à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Periodi Primæ

Seculum II.

XIII. Ulpus Trajanus.

Trajanus in Andalusia Hispaniæ regno natus, à Plutarcho autem Philosopho simul & Historico præstantissimo virtutum & scientiarum præceptis ritè imbutus, post egregiam in bellis navatam operam à Nerva Coccejo in filium adoptivum anno ætatis suæ 42. electus est, dum prope Coloniam ad Rhenum Cæsareum exercitum summa cum laude moderabatur. Sepulto Nerva quamprimum Cæsaris solium conscendit, omnium eorum Imperatorum primus, qui Italus non fuit. Cæsar confirmatus eam apud universos existimationem imperando peperit sibi, ut populus Romanus illo ex tempore Imperatoribus recens electis hisce festivis vocibus acclamaret: *esto felicior Augustò, melior Trajanò.* Comitatem certè Trajani fuerunt admirati Armeni, Peris, Babylonii, Sauromata, Bosphorani, Arabes, Colchi & confines Indorum populi. Præ his tamen omnibus mansuetudinem ejusdem extulerunt Daci ejus regionis incolæ, ubi nunc Wallachi atque Moldavi habitant: cum enim in prælio victis ac vulneratis plurimis non sufficeret materies ad obliganda vulnera, suamet non pepercit chlamydi, exemplò suò docens armatos milites, hostibus non solùm infligere, sed & inflicta curare vulnera. His ferè similia obstupère in Trajano victore suo moderatissimo Parthi, quibus penitus debellatis, more Veterum Romanorum *Parthicus & Dacicus*, quin adhuc glorioso magis nomine *alter Augustus & Pater Patriæ* fuit

fuit appellatus. Ab idololatria nequaquam abhorruit; & quamvis in Christicolas, multorum diversis in provinciis præsidum literis & monitis persuasus, aliquo tempore sæviisset, postquam tamen juniorem Plinium, etsi non Christianum, pro re tamen Christiana præclarè respondentem clementissimè audiit, Orthodoxorum coetus persequi minùs serverè perrexit. Doctorum virorum æstimator & amator fuit insignis, ut armatam simul & togatam Palladem colere disceret & doceret; præter Plinium enim Panegyristen suum singulari favore complexus est Cornelium Tacitum, Annæum Florum, Julium Solinum & alios permultos, etiam nostris seculis haud obscuros authores. Quinquies præterea mille & sexaginta juvenes literarum studiis peridoneos alebat, ut non minùs pro Cæsare & Imperio certarent ingenia, quàm militum agmina. Justitiæ etiam assertor studuit esse vigilantissimus & severissimus; unde Reipublicæ pestes dicebat eos præsides ac præfectos, aut in quovis munere publico constitutos, qui Reipublicæ incremento non ritè operam darent, privato magis commodo intenti, quàm publico. Tantis ornatum virtutibus Trajanopolis, cui urbi fundum ac vitam dederat, Trajanum vidit morientem an. æt. 71. Imperii 19. Primus fuit teste Eutropio eorum Imperatorum, cujus cineres Romæ sepulti sunt. Etsi verò his virtutibus conspicuum fuisse Trajanum permulti scripserint Historici, vino tamen ac Veneri indulgisse Dio Cassius & Spartianus testantur. *Symb. Qualis Rex, talis grex. Eutrop. Aurel. Victor, Suidas.*

XIV. Ælius Hadrianus.

Aelius Hadrianus & ipse natione Hispanus, imperante Trajanò Syriæ Præses vel electore milite, vel annitente Plotina mortui Trajani vidua laudatissima in Cæsarem electus, summis studiis S. P. Q. R. favores aucupari cœperat: tributa enim à sedecim annis necdum soluta, debitoribus remisit, debitorum librís publicè concrematis. Venationem ea ratione amabat, ut de negotiis publicis nihil negligeret; id posteris testaturus, in Mysia extruxit urbem, quam *Venationem Hadriani* appellabat. Doctorum virorum æstimator & amu-

& æmulator, Plutarchum & Suetonium præter alios complures ut suos amicos coluit; Apollodorum verò omnis adulationis expertem architectum, quòd in extructo Veneris templo, & aliàs quædam contra artem vitia, Cæsari tamen probata, censoriâ virgulâ liberè perstrinxisset, latâ mortis sententiâ sustulit: idcirco Favorinus Appollodori probè memor, cùm de vocabulo probatis authoribus usitato interrogatus, & reprehensus fuisset ab Hadriano, continuò acquievit, ratus suæ sententiæ præferendam esse sententiam illius, pro quo triginta legiones in armis stare noverat. Cum literis & artibus pacis studia conjunxit Aelius; vix enim ulli suorum hostium bellum movit, nisi perfidis Hebræis iterum ferè cum fungis natis, quorum Messiam & ducem se gessit hominum mendacissimus Barchohab, quem Julius Severus ab Hadriano è Britannia evocatus dux, partâ victoriâ, unâ cum quingentis Hebræorum millibus in orcum dejecit, miserrimum sanè sui populi servatorem. Victis Hebræis Hierosolymæ etiam nomen delevit, extruens eodem ferè in loco urbem aliam, quam suo de nomine Aeliam nuncupavit. Britanniam antequam reliquit, murum erexit octoginta milliaribus longum, ut adversus Britannos, ad seditionem pronissimum populum, Romanis esset perpetuum propugnaculum. Templum item Jovis Capitolini honoribus dedicatum ædificavit eam super aream, supra quam ante mille circiter annos Rex Salomon Dei domum extruxerat: adeò Religionem immutavit scelus. Tantarum jacturæ rerum accessit ignominia à Cæsare Judæis irrogata. Nam urbis Aeliæ portis porcorum effigies insculpi, in Golgotha verò simulacrum Veneris collocari jussit. Quàm severus in Hebræos, tam mitis ac mansuetus fuit in cives, præsertim Romanos, quorum urbem non nisi pedibus incedens persæpè lustrabat, simulque tam illustria Imperatoriæ munificentiae monumenta relinquebat, ut auri & argenti cælaturæ, in honorem Hadriani à Romanis tunc factæ, hac cum epigraphe splenderent: *Hadrianus Locupletator & Restitutor orbis terrarum.* Rem Christianam, quam per aliquod tempus aliorum potius, quàm suomet permotus odio persequabatur plurimum, dum non impedivit, per aliquod tempus promovit, commotus apologiâ & libellis pro Christicolarum Religione à Quadrato DD. Apostolorum disci-

discipulo, & Aristide Philosopho Cæsari oblatis; quamquam Historici multi inter tyrannos Ecclesiæ Hadrianum numerant. His maxime rebus conspicuus Hadrianus Antoninum cognomentò Pium ea lege adoptavit, ut hic Antoninum Verum, & hoc deficiente Marcum Antoninum sibi successores constitueret: locum itaque & solium cessit Antonino Pio an. Imp. 21. Symbol. *Non mihi, sed populo. Xiphillin. Procopius, Dio.*

XV. Antoninus Pius.

Antoninum origine Occitanum Gallum, natione Italum; jure merito pium dixeris Imperatorem; pietatem enim suam ante alios probavit patri gemino, quorum alterum in Galiis natura, alterum in Italia virtus dederat. Erat hic Imperator Hadrianus, cui seni, socero suo Antoninus dubios gressus pia manu firmare solebat & suffulcire, mirante ac probante raram tanti generi pietatem Roma universa. Pii nomine appellabat Antoninum inter multos Palæmon etiam prædives Philosophus, in cujus ædibus cùm Smyrnæ Consul adhuc Antoninus diversorium quæsisset, ex iisdem importunitate Palæmonis adulta nocte pulsus, haud ægrè discessit, haud acerbè jocus etiam tunc, cùm lapsis annis Palæmon Romam adveniens Antonino jam Cæsari supplex fieret; arridens enim & blanda voce eidem respondit, in Cæsaris ædibus noctem proximam transigeret, haud periculum fore migrationis concubia nocte. Pium quoque vocavit Antoninum Justinus Martyr, Orthodoxi populi coram eodem felix orator; Antoninus enim Justini oratione permotus, & funestis orbi Romano portentis percussus, Reipublicæ Orthodoxæ summè profuit decretò suò saluberrimò, quo vetuit, quemquam hoc solùm nomine, quòd Christianus foret, in judicium trahi. Moderationem Antonini tunc maxime mirati sunt universi, cùm ipse ob sui adoptionem iratos Senatores, latâ mortis sententiâ ab Hadriano condemnatos, inter tenebras abscondit, in lucem tunc primum redituros, cùm ad umbras migasset severus eorum judex. Dicta Pii & facta, ut opinor, ante alios sæpè probârunt cives Romani, de quibus cum Scipione Africano

cano dicere auditus est crebrius: *malouimus civem servare, quam mille hostes perdere.* Tam igitur ad conservandos cives, quam ad perdendos hostes sanis aliorum consiliis & sententiis usus, nunquam sibi fidebat soli, ne vel temeritatis notam incurreret, vel injuriam inferret, paratus non tam sibi, quam subditis prodesse omnibus; unde ipse bonorum suorum substantiam bono publico donabat, ut miserorum sublevaret egestatem, & benè meritorum remuneraretur virtutes. Adèd in rebus omnibus virtuti primas dabat Imperator ethnicus, etiam inter Imperatores Christianos Pii nomine dignissimus. Tantis igitur ornamentis virtutibus Cæsarem cum Imperii an. 23. ætatis 77. extinctum intelligeret Senatus Populusque Romanus, eundem voce unanimi omnes inter Divos numerabant, cæca sua religione metientes Divorum honores. *Julius Capitolinus, Eutropius, Aurelius Victor.*

XVI. Marcus Aurelius & Lucius Verus.

FRatrum jam ab Hadriano adoptatorum uterque Philosophus, Aurelius Stoicus, Lucius Verus Epicureus fuit, moribus testatus doctrinam ab Aurelii doctrina diversissimam. Mirum dictu! duos Imperatores doctrinâ & vivendi methodo multum dissimiles, in annos complures potuisse simul imperare tantâ concordia, ut ob animorum conjunctionem *Divi fratres* fuerint appellati: nullo nimirum inter utrumque secuto gravi dissidio, post annum Imperii 9. Lucium Verum scelus absolvit, ut virtus Aurelii sola diutius occuparet solium, Orthodoxorum fortassis piis votis utriusque fratris adscribenda sunt fata; siquidem Lucius in solos pene fideles crudelis extitit, Aurelius verò in seipsum & Imperii hostes arma convertit: & sanè sui suorumque hostium victorem se ostendit insignem; sui quidem, dum aliorum de se sententias sedulo requisivit, ut proprios emendaret nævos, probè gnarus, etiam Cæsares suos pati manes. Victor verò multorum extitit hostium, inter quos Bohemi, Moravi, atque Silesii raram amisere victoriam; tribus namque annis jam contra eosdem aliòsque finitimos barbaros

baros bella Aurelius gesserat, vix tamen ullo ingentis operæ pretio, aut potius suo damno & periculo maximo: fortè enim multitudine barbarorum circumfusus, in eas loci angustias redactus fuit Cæsaris exercitus, ut ne fugæ quidem exitus pateret. Auxit terrorem his in angustis sitis solito ardentior adèd, ut desperata humana ope Aurelius ad idola sua conversus auxilium flagitaret. In cassum rogante Deos idololatras, haud oleum aut operam perdidere Christicolæ, qui positis humigenibus, & missis in cœlos precibus, sibi suisque commilitonibus copiosas pluvias, infensis verò copiis impetrarunt mixta ingenti grandini fulgura & fulmina, quibus hostes confusi atque prostrati insignem Romanis reliquere victoriam. Victoriâ hanc Christicolarum votis adscripsere etiam illi, qui Christum minimi eousque duxerant, dein verò fulminum igne illustrati Christianorum cohortes *Legionem fulminatricem* vocavere. Tanti profectò miraculi Aurelius ipse datus ad Senatum literis testis fuit gratissimus; legem enim de non vocandis in iudicium Christianis latam amplius confirmavit, ut eos concremari vivos iusserit, qui quemquam ob Christiana duntaxat Sacra infimulassent. Cum denique largissimis muneribus Imperium Romanum locupletasset, & auri gravissimam summam fisco debitam provinciis donasset, nec non severiores leges novis constitutionibus temperasset, in Pannonia subito oppressus morbo, dum ab omni ciborum genere studiosè abstinuit, mortem studio accersivit, An. Imp. 19. Symb. *Consulendum, sed & parendum consilio.* Symb. Aurelii: *Regni clementia custos. Xiphillin. Capitolin. Eutrop.*

XVII. Lucius Aurelius Commodus.

Luc. Aur. Commodus Marci Aurelii Cæsaris filius parentem in rebus cunctis felicissimum, hoc uno ex capite infelicissimum reddidit, quòd ab ejusdem moribus penitus desciverit, in omne vitiorum genus effusus. Aurea equidem sui ævi tempora vocari præcepit, quæ ipse tamen fecit ferrea, Neroni simillimus aut Domitiano. Amazonium & Superantium se ipsum vocabat, ut superasse omnes vel ex ipso nomine nosceretur, suorummet scelerum iners man-

cipium. Inertiæ hujus probè memores in Germania, aliisque provin-
ciis subditi milites ac cives, Romanum jugum excutere tentârunt. Eos-
dem inter Britanni eminuère, qui longissimi tractûs moenia ab Hadriano
Cæsare extructa solo æquârunt, trucidatis simul Romanorum Præfidiis.
Neglectis Imperii curis jam inter probrosissimarum scœminarum coetus
effœminatus Cæsar agebat; jam Hercules videri & dici cupidus, leo-
num exuviis indutus, in amphitheatro cum gladiatoribus bestiisque cer-
tabat: non proinde M. Aurelii, sed *Jovis filius* à semet suisque adula-
toribus dictus, Colosso, quem Roma summa veneratione colebat, sub-
lata solis imagine, suam effigiem superimposuit, instar Dei deinceps co-
lendus. Ex tanta arrogantia scelerum matre enata est ingens ferocia,
quæ per omnes hominum ordines fuit grassata; eidem tamen præ reli-
quis succubuit miserrimorum hominum turba, quam circò circumscri-
ptam tenebat, dum Imperatori agere placuit carnificem. Atque hoc
Cæsarium probrum tredecim fermè annis Imperium afflixit: tandem ta-
men universorum votis responderunt tres viri Reipublicæ studiosissimi, à
Commodo jam morti destinati; Lætus, Electus & Narcissus erant,
quorum ultimus elusô, quod Cæsari jam porrigebant venenô, Com-
modi fauces elisit felicissimè, aut veriùs infelicissimè. Symb. *Pedetentim & paulatim. Xiphillin. Lamprid. Herodian. Eutropius.*

XVIII. Helvius Pertinax & Didius Julianus.

Helvius Pertinax ex Ælio Successo abjectissimæ conditionis parente
in Apenninis montibus natus, inter eos Imperatores fuit pri-
mus, qui generis splendore haud erant conspicui. Helvius
ut ab ultimo fortunæ gradu ascenderet ad supremum gloriæ
verticem, sese exhibuit in rebus laudatissimis constantissimum, veriùs
Constans, quàm Pertinax nominandus: etsi enim foret agrestis filius,
literis tamen strenuam navans operam, parvulis tyronibus Grammati-
cæ elementa exposuit, Latinæ & Græcæ linguæ peritissimus. Præ to-
gata Pallade placuit dehinc armata, quæ Helvium post acerrimas cum
Parthis, Britannis, Dacis ac Germanis in Austria & Bavaria pugnas
initas an. ætatis 77. coronavit, licèt invitum Imperatorem. Verùm
vix

vix pluribus imperavit diebus, quàm natum annis novimus; duos enim
& octoginta duntaxat soles numerârunt, cum vix creatum Cæsarem
occiderunt, authore Juliano, Jurisperito, disciplinæ militaris impati-
entissimi potiùs latrones quàm milites. Didicit igitur tunc pacem
servare Pertinax, qui dixit sæpè: *militemus*. Inter plurimorum luctus
& lacrymas elatum est funus, quod hisce acclamantium vocibus Sena-
tus populusque Romanus est prosecutus: *imperante Pertinace securi vi-
ximus: neminem timuimus: Patri pio, Patri Senatûs, Patri omnium bo-
norum*. Ad dies Pertinacis haud pervenit Didius Julianus Mediolani
natus, qui non tam coronæ, quàm mortis suæ emptor, vitæ venditor
exitit homo ditissimus; nam ut Cæsar legeretur, ducentis quinquaginta
aureis in singula prætorianorum capita dispersis, ab iisdem suis
prætorianis die Imperii 76, occisus est. Tam subitæ mutationis author
præ duobus aliis fuit potentissimus Septimius Severus, Romani exer-
citus in Pannonia Dux; is enim prætorianos maximè milites, qui oc-
ciso Pertinace Julianum secuti erant, clam datis literis in suas partes
trahebat, ut Imperii invalorem per eos è medio tolleret. Laudem
itaque minorem longè factis suis ultimis tulit, quàm verbis prioribus
Julianus, quibus dixit: *Et si pedem alterum in sepulchro haberem, adhuc dis-
cere vellem*. Xiphillin. Capitolin. Spartian. Herod.

Reflexiones supra Seculum II.

REFLEXIO I.

Quirites haud adeò multos, diversissimos tamen numerârunt hoc
seculo II. Imperatores; ex iis quatuor Ecclesiam D. Petri Ro-
manam aliquo tempore dirè vexârunt, reliqui verò altiùs extu-
lerunt, vel saltem persequi haud sustinuerunt. De quatuor primis mo-
dò, de reliquis ultimo agetur loco.

Trajanus Imperator aliàs laudatissimus, & ipsi Augusto Cæsari
à multis comparatus, hoc uno ex capite certò non laudandus venit,
quòd Christiana Sacra profectos *persecutione* inter tyrannos Romanos *ter-
tia* plurimùm afflixerit, hoc impulsus argumento, ne scilicet confer-
tissimus fidelium populus suo numero & robore & sceptrum & pur-

puram Romanis denique Imperatoribus eriperet, aut plures provincias suas faceret, sua fide, ferro & animis fretus maximè. Etsi igitur Trajano perquam nota unius Dei Religio non magnopere displiceret partim in subditis militibus, partim in Romanis civibus, displicuit tamen maximopere in suspecta sibi multitudine virtus ac fortitudo, quæ ut è medio tolleretur, cadendum fuit inter Christiani populi duces alios D. Clementi Pontifici, D. Simeoni 120. annorum seni, Hierosolymorum Episcopo Cleophæ filio, Domini fratri dicto; D. Ignatio Antiochiæ Præfuli, D. Marco Evangelii Scriptori, D. Romulo Imperatoriæ domus præfecto; Hyacintho Trajani Cæsaris cubiculario; denis militum millibus in Armeniæ montibus in cruces actis, & plurimis aliis non nisi Martyrum glorioso nomine notissimis. Tandem tamen posuit modum ac metam quamquam iræ suæ Trajanus, dum C. Plinio oratori suo respondit hunc in modum: *conquirendos Christianos non esse; si verò deferantur & arguantur, esse puniendos.* Atque hoc ipsum Trajani responsum his persequitur verbis Tertullianus: *si damnas, cur non inquiris? si non inquiris, cur non absolvis?*

REFLEXIO II.

Sub M. Aurelio & Lucio Vero, nec non horum successore L. Commodo quarta Christicolarum persecutio & cœpta & propagata fuit, licet sub M. Aurelio in Germania totus exercitus ardentissima siti laboraret, & ipso teste præsentissimo potentior cæteris legio è nubibus subito imbrem eliceret inter rara tonitrua & fulmina. Peperit saluberrimus hic imber, & parta de hostibus victoria gloriosum nomen victoribus, peperit verò simul & odium & invdiam gravissimam; idolorum enim cultores milites alij, tantò convicti miraculò, imbrem hunc equidem & victoriam Christianorum legioni haud ausi fuerunt verbis adimere, magicis tamen artibus impetratam fuisse perniciosissimò mendaciò sparserunt. Atque ut confictis cumulatisque sceleribus innoxios supprimerent, ad judicem tanquam enormium criminum reos delatos, Imperator Commodus privari jussit bonis, uxoribus, liberis, vita & sanguine. Inter primæ notæ Martyres numerati sunt SS. Justinus, Polycarpus, Photinus, Apollonius Senator

nator, Blandina &c. qui cum plurimis aliis palmâ & laureâ decoris, inter tormenta sociis testimonium orbi perhibuerunt, Romanam Ecclesiam non modò instar lucis aut luminis, sed & instar fulguris & fulminis affulsiſſe incredulis oculis & auribus: octavo enim Commodi Cæsaris anno fulmantibus denuò cœli flammis Capitolium cum bibliotheca pretiosissima fuit absumptum. Anno hinc proximo pestis Romani populi partem pene maximam extinxit, & demum an. 121. Jani templum cum adjacentibus ædificiis fatale incendium in cineres redegit. Impletum est igitur & hinc Isaïæ vaticinium: *a Domino exercituum visitabitur in tonitruo & commotione terræ & voce magna turbinis & tempestatis, & flammæ ignis devorantis.* Isa. c. 29, v. 6.

REFLEXIO III.

SI non amici, profectò hostes Christianorum capitales non fuerunt quatuor Imperatores Ælius Hadrianus, Antoninus Pius, Helvius Pertinax & Didius Julianus: Hadrianus enim & Antoninus etsi ab hostibus Romanæ Ecclesiæ repetitis monitis & precibus laceſſerentur, ut novarum superstitionum authores (ita Christicolas appellabant) è medio tollerent, prior tamen à D. Quadrato, posterior verò à D. Justino persuasi, sancitis legibus, & statutis in transgressores pœnis, coniveri plurimùm, & parci innoxiiis imperârunt, uti superiùs relatum est. Audiamus etiam hac super re Orosium de Hadriano differentem lib. 4. c. 13. *Hadrianus per Quadratum Apostolorum discipulum & Aristidem Atheniensem virum fide scientiâque plenum, & per Serenum Granium Legatum, libris de Christiana Religione compositis instructus, atque eruditus, præcepit per Epistolam ad Minucium Fundanum Proconsulem Asiæ datam, ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis aut probatione damnare.* In Judæos è contrario tanta severitate animadvertit, ut testibus ipsis Hebræis ab Hadriano Imperatore *duplo plura suorum millia* fuerint cæsa, quàm numeravit Moyses Dux Israëlitarum ex Ægypto Supremus. Bilancem itaque & hoc & aliis seculis Imperatores inter Romanos statuit Supremus Ecclesiæ Romanæ moderator Christus ea ratione, ut dum Cæsarum alii instar luporum aut leonum sæviêrunt in Christi oves & harum Pastores, Imperatorum alii instar custodum ovile Christi si minùs custodirent, saltem haud perderent, tametsi, quantam rem hinc præsta-

rent, ipsos utpote idololatrias celaretur. Atque inter hos, ut fateamur denuo, numerandi veniunt meritò Helvius Pertinax & Didius Julianus; nec enim, dum copiarum Præfectos, aut dum Cæsares agebant, quicquam severius in Christianos statuisset perhibentur. Interea tamen nec eos, nec Imperatores alios hoc seculo celari potuit ædificata domus Domini supra Petram firmissimam, quam nimirum tot fluctibus jam petitam, & repetitis indies procellis concussam, nec latum unguem tamen *ab angulari suo lapide Christo Jesu* dimoveri potuisse hætenus aspererunt suismet oculis, licet idolorum caligine ac fuligine multum impeditis.

Periodi Primæ.

Seculum III.

XIX. Septimius Severus.

EX abjectis parentibus in Africa natus Septimius; armis & literis velut duabus alis evolavit in Imperatoris excelsum solium: militari enim arti Philosophiæ & eloquentiæ peritiam jungebat. Electo Imperatori verò ut liceret securè imperare, duos Imperatoriæ dignitatis æmulos, Pescenninum Nigrum & Clodium Albinum superavit, quorum ille per Ægypti & Syriæ provincias dominatum ambiens, ad Cyzicum victus interiit; hic verò Juliani in trucidando Pertinace antea socius, haud procul Lugduno multis confossus vulneribus cecidit. His aliisque suis hostibus debellatis triumphum adornavit, cujus pars magna Byzantium fuit post triennem obsidionem captum atque eversum. Pertinacis sibi deinde assumpsit nomen, ut Pertinacis fata sic ultus videretur, & uno avulso, Pertinax imperaret alter. Belli gloriam firmaturus magis in Britannia, ubi bellum novissimum gesserat, ab unius maris littore ad alterius maris portum per triginta duo passuum millia longissimum murum restauravit, Hadrianum vel æmulaturus, vel superaturus. Cæterum ex libidinosa conjunge duos suscepit filios, alterum Caracallam, alterum Getam vocatum; prior eorum invito & tum pedibus capto parente, libens lubensque in Imperatorem lectus est à perfidis militibus, quos tamen pater unà cum filio

lio victos & tanti facinoris veniam rogantes, his castigavit vocibus: *An advertitis caput, non verò pedes imperare?* Mitigatâ nihilominus in scelerum participes mortis sententiâ, mortem sibi violentam distulit, non verò evasit; vesana enim regnandi libido cum filium ad perdendum patrem in dies magis accenderet, & structæ jam infidiæ curis morbisque fatigatum aliàs senem haud laterent, mœrore potius animi, quam corporis dolore Eboraci in Britannia diem extremum obiit, id unum ante omnia dolens maximè, quòd parricidam relinqueret & hæredem & Imperatorem, quem pro delicti mensura punire difficile, sed & vita atque Imperiò donare, Patri simul & Judici accidit difficillimum. Cæterum vivens ac moriens frequenter auditus est exclamare: *Laboremus*; laboravit autem Imperator annis 17. Christianorum persecutor fuit Severus; *persecutionis* ab eodem susceptæ, ejusque numerò *quinta* author primus ac princeps extitit Plautianus Romæ præfectus, quam vilis, tam superbus. *Herod. Spartian.*

XX. Antoninus Bassianus Caracalla, & Antoninus Geta, Fratres.

BAssianus natione Britannus ab inusitato vestimenti genere Caracalla cognominatus, Getam fratrem Germanum, ne Imperii socium haberet, in sinu Juliæ novercæ suæ percussit, fratricidium detestante populo universo, qui Getam tum ob illatam à Caracalla violentiam, tum ob dotes omnibus amœnas inter Divos numeravit: populo tamen sic extinctum fratrem honoranti, obdurato in vitiis vultu & animo respondit; *sit Frater divus, modò non sit vivus.* Populo nihilominus ad seditionem inclinante, rogavit Papianum Jurisconsultum, ut illatam fratri necem quæsitis unde unde demum coloribus extenuaret, qui responsum tulit Jurium peritis maximè notandam, nimirum non tam facilè excusari, quam patrari scelera. Ob hæc minimè fucatum animi sententiam Papianus capite plexus, prælusit iis viginti militum millibus, in quos tanquam Getæ partibus addictissimos, mortis sententiam pronuntiavit. Tantis jam pollutus criminibus, sceleri

leri addidit scelus; à Julia enim noverca copiam corporis flagitans ait: *liberet, si liceret.* Cui impudentior Julia respondit: *si libet, licet, Imperatores, leges debes ferre, haud accipere.* Alexandrum M. Macedonem imitaturus armis, vestibus & poculis, eundem Regem hominum oculis exhibere studebat; hunc in finem sexcentos Macedones conducebat, quos Phalangem nominavit, testatus simul epistolis Romam ad Senatum perlatis, Alexandri Macedonis spiritum suo corpori infusum, Caracallam in Alexandrum penitus convertisse. Tantam ob dementiam ab Alexandria civibus haud vulgariter irrisus eam concepit iram, simulatione tamen callida sopitam, ut iisdem civibus dolose convocatis prorsus immanem intulerit stragem, fluvius certè straggi proximus, magno sui tractu ex occisorum sanguine ruborem traxit. Audiens aliàs ex adulatorum quopiam, Aristotelem Alexandri M. præceptorem in immaturam discipuli sui necem cum aliis conscis conjurasse, de indaganda rei veritate haudquaquam anxius, Aristotelis Philosophiam & hujus æstimatores igni penitus & orco devovit. Meritò igitur invisus omnibus, Macrini successoris sui insidiis, adjutore Martiano centurione interfectus est an. Imp. 7. Symb. *Omnia in ferro salus.* Id unum laudi duxere nonnulli, quòd thermas Antonini nomine appellatas, in multorum solatium ac sanitatem erexit: etsi verò harum thermarum aquæ fuerint perennes, nunquam tamen Caracallæ sordes abunde abluent. *Dio, Herodian.*

XXI. Opilius Macrinus.

Macrinus in Mauritania ex abjecta plebe homuncio, primum personam multiplicis servi sustinuit, ut tandem in Imperii theatro Imperatorem ageret, non nisi per occisum Caracallam in solium enitens: *venatorem enim, notarium, pugilem, ludimagistrum, procuratorem, militem gregarium, ducem & denique prætorianæ militiæ præfectum fuisse,* veterum annales testantur. Imperator creatus continuò filium Diadumenum, admodum juvenem creavit Cæsarem, cum patre misero futurum collegam quamprimum miserrimum: cum enim à Parthis veriùs victus, quàm eorundem victor, invito suo exercitu, ingenti pecuniarum summa pacem bellò tristiore mercatus fuisset

fuisset, & genio suo indulisset nimium, à militibus suis quondam in Cæsarem electoribus, unà cum filio prope Chalcedonem est occisus post primum Imperii annum, ad Heliogabalum deficiente toto exercitu. Symbol. *Ferendum & sperandum.* *Aurel. Victor, Herodian. Capitolin.*

XXII. Aurelius Antoninus Heliogabalus.

Heliogabalus Caracallæ ex consobrina (ut verè vel falsò spargebatur in Macrini exercitu) filius, à primis incunabulis deo Heliogabalo sacratu gentilium more Sacerdos, an. æt. 15. à furiosis magis, quàm sanis militibus lectus est Imperator haud procul Chalcedone. Sparsa de novi Imperatoris electione fama, ingenti populi ac Senatùs expectatione Romam adductus Heliogabalus, brevè spem omnem in metum, & lætitiã in luctum convertit: redivivum namque Sardanapalum meritò hunc Cæsarem dixissent Romani, si facilis daretur ab inferis ad vivos reditus. Vir equidem haberi voluit, virum tamen Heliogabalus nunquam egit, minùs Imperatorem imbellis puer; tantus tamen jam tyrannus, ut suammet statuam & effigiem honoraturus, spectantibus ipsis parentibus nobilissimorum filiorum copiosum sanguinem immolaret. Quin nec in foeminarum veniet numerum, si eas foeminarum cætui non annumeres, quibuscum ipse est vehi solitus, triumphum ducente vitio. Ex harum genere Senatum conscripsit, cui Præsidem præfecit Juliam procacissimam foeminam, viris Senatoriis interfectis, quòd probrosum hoc facinus fuissent detestati. Tribus annis Imperii solium scævavit hoc monstrum hominis, indè verò à prætorianis militibus ex aula fugatus, sed tandem in fuga deprehensus, unaque cum matre scelerum socia an. æt. 18. interfectus, sepulchrum Tyberim habuit, credo nec ipsis piscibus gratus cibus. Ultimus fuit eorum Cæsarum, quos usitato jam Antonini nomine vocabant Romani; tantum enim omnibus displicebat Antonini Heliogabali in cunctos impietas, quantum priùs placebat Antonini Pii probitas. Hæredem Heliogabalus non scripsit; nam dixit persæpe: *Suus quisque heres optimus.* *Dio, Lampridius &c.*

XXIII. Aurelius Alexander Severus.

Alexander Heliogabali consobrinus, licet Imperium auspiciatus sit annorum sexdecim juvenis, eundem tamen Augusto, aut Trajano parem aestimabant Romani. Alexandro addidit Severi nomen tribunorum delicta severissime ab eodem castigata: indignos namque hos munere publico censuit & illos, qui Magistratus autem emere, vel vendere haud metuebant, ajens: *neceesse est, ut qui emit, vendat*: unde Vetronium Thurinum arrogantis ingenii hominem, quod Cæsaris favores autem venales multis obtulisset, & carè vendidisset, in foro publico ex humida lignorum strue excitato fumo extingui præcepit, clamante simul præcone: *fumo punitur, qui fumum vendidit*. Liberalium artium & literarum quarumvis æquo aestimator, viris eruditis de liberali præmio ac mercede prospexit; unde Oppiano Poëtæ pro singulis versibus aureos singulos donavit. Ulpiano Jurisperito Alexander tyro commendatus, tanti præceptorem suum duxit, ut eundem prætorianæ cohortis præfectum constituerit, & aliquando perfidorum militum gladiis petitem, suam purpura in tutum collocavit. Adversus Persas hostesque alios suos externos pugnavit felicissime, adversus suos milites verò hostes domesticos in Germania pugnavit infelicissime; cum enim gravissima noxiorum delicta punire necessitas suaderet, haud procul Moguntia cum Mammea matre è medio est sublatus an. 237. Alexander 13. annorum Imperator, relinquens sui desiderium inter Orthodoxos maximum, quorum aras defendit; imò si fidem merentur authorum quorundam dicta, inter Imperatores hætenus Christo servare cepit fidem Alexander primus optimam, quia Christianam. Christianus certè si non vixit, saltem Christianè dixit verba cedrò & autem dignissima, publico in foro ab hoc Cæsare omnium oculis proposita: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Inter multa rerum capita unicum, quod encomium non mereri visum est, notârunt: Mammeæ nimirum parentis suæ honori ac favori plus æquo tribuisse ferunt filium Alexandrum; etsi enim Mammea Orthodoxorum sacris adiecta, Cæsarem filium suò exemplò potentissimò ad imitationem sui pertraheret (quamobrem à D. Hieronymo multis extollitur laudibus) à ple-

à plerisque tamen authoribus aliis, ob avaras in cunctos manus vituperatur, aut filius, aut mater; matris profectò consiliò tam parcè vixisse scribitur Severus, ut de prandio sæpè aut cœna reliquias in prandium & cœnam alteram sibi servavit. *Dio. Eutrop. Herod. Lamprid.*

XXIV. Maximinus Thrax cum Gordianis duobus.

Maximinus Gotho patre & Alana matre in Thracia natus, post sua incunabula tam objectæ fuit sortis, ut prima in ætate inter oves aut boves bubulcum ageret. Ex opilione creatus miles, inter Romanorum legiones per varios dignitatum gradus ascendit, donec denique per occisum suis consiliis Alexandrum in Cæsaris solium fuit eluctatus, solis militibus, non verò Senatui probatus.

Vetus problema inter pygmæos & gigantes pridem agitatum renovavit creatus Cæsar Maximinus, nimirum satiusne sit parvum inter parvos munerari, an inter gigantes excelso corpore parvos despiciere. Parvos certè despexit barbarus hic Imperator, octo cubitorum gigas, simulque insatiabilis helluo, in dies singulos bubulæ quadraginta libras exigens; unde tanto corporis robore præstabat, ut unus duodecim parvorum agmen victor facile superaret. Verum quem pauci facile haud poterant vincere, multi devicerunt facillimè; trucidatis enim Gordianis & patre & filio, quos Senatus contra Maximinum Cæsares legerat, viginti simul viri junxerunt manus & animos, ut occiderent tyrannum, Romano populo & Romanæ Ecclesiæ infensissimum. Ex Germania nempe in Italiam cum exercitu advenerat Maximinus, ubi, cum advenientem Aquileiæ cives urbis aditu prohiberent, & eam vi aut ferro expugnare haud valeret, causam sinistrae obsidionis inertiam suorum militum esse ratus, dum eosdem severè castigavit, à militum turma cum filio fuit occisus suo in tentorio. Fata hæc aut his similia mimus suo prælagio diu antea prædixerat in hunc maximè modum: *Elephas grandis est, & occiditur; leo fortis est, & occiditur; tigris formidabilis est, & occiditur; Cave multos, si singulos non times*. Symbol. *quò major, eò laboriosior*. Imperavit an. 3. Symb. Gord. *omnis vita supplicium*.

plicium. Cæterum dum in Ecclesiam Romanam sævire secum constituit, præter Doctores aut Sacerdotes vix quemquam mortis supplicio affici præceperat, spe fretus maxima, sublatis Doctoribus ruituram facile Doctrinam Christianam reliquam. Percussit Maximinò Senatus Balbinum & Maximum supremos copiarum duces creavit Cæsares; verum milites sua jura violari vociferantes, utrumque Cæsarem oborta seditione captum, ac per plateas raptatum sustulerunt, eligentes pariter in Cæsarem Gordianum admodum juvenem, Gordiani senioris nepotem, junioris filium. *Herodian. Zosim. Capitolin.*

XXV. Gordianus III.

Gordianus hic viginti & aliquot annorum juvenis lectissimus vive vere jam, pro dolor! desit, cruentis multorum lacrymis desideratus: ea namque ætate Imperator dici fuerat optimi meritis, penè jam vir in pueritia. Sex ferè annis duntaxat rexit Imperium, dignissimus Augusti annis, si regere tanto tempore per hostes licuisset multos. Haud fatis nimirum fuit Philippo Arabi hominum ambitiosissimo in Gordiani necem paucos conducere sicarios novem namque fuere latrones mercede conducti, propriæ venditores animæ; ismet nempe occubere omnes gladiis, quibus Gordianum in Perfidis finibus confecerunt, postquam Persarum victor Antiochiam aliasque urbes recepit, regem verò Saporem in Persiam repulit, auxiliis munitus maximè Misithei sui soceri, viri simul doctissimi & armis strenuissimi, quem dato noxio pharmaco etiam Philippus enecuit, ut nemo superesset Imperatori sibi, quem timeret. Quantus ex nece hujus Cæsaris luctus occupavit exercitum, fortassis licet colligere ex epitaphio, quod Gordiani sepulchro hunc maximè in modum inscripserit: *Gordiano Divino, Victori Persarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatarum, Victori Germanorum, sed non Philipporum.* Symb. *Miser est Princeps, apud quem vera tacentur.*

XXVI. Philippi duo.

Philippus Philippi junioris parens, è patre latronum duce in Arabia natus (Jaurini in Pannonia natum dicunt nonnulli) dein verò militari fortunâ & victoriarum gloriâ audacior factus, dum Gordianum sibi scabellum ad thronum substravit, Imperator veriùs toleratus, quàm creatus fuit. Roma tunc à sui exordio numeravit annos mille, unde ludos seculares instituens cum filio Philippo Philippus pater, festivis admodum signis in suas partes trahere conatus est Senatum populùmque Romanum, Gordiani Cæsaris & Misithei ducis morte perquam offensum. Imperium tamen annis 7. possessum, ea propemodum ratione amisit, qua adeptus fuerat, vim Cæsari summam inferens, vim minorem Cæsar perpeffus: Scythæ enim Misittheo, totius Scythiæ terrore jam sepulto, redivivis pares, cum Romanum jugum excussissent, contra eosdem supremus dux Philippus cum exercitu venit, quem lubentem olim milites ad novas Cæsaris electiones pronissimi suum Imperatorem, mox verò Decium renitentem dixere Cæsarem. Renitentis animi testimonium dicturus, ipse Decius epistolam misit Philippo, qua supremam dignitatem sibi ab exercitu oblatam, nequaquam tamen admissam significabat. Verum Imperator parem sibi fraudibus Decium fingens, aut prudenter metuens, collecto raptim exercitu in Illyricum properare statuit, occursum rebelli Decio. Longiorem tamen expeditionem impedivit mors parentis & filii; Veronam enim cum Philippus pater advenisset, à suismet militibus occisus est eodem pene tempore, quo Romæ Philippus filius vim parem à prætorianis militibus est passus an. Christi 253. Hunc ipsum Philippum seniore agnoscit conditorem suum Philippopolis urbs Arabiæ. Quin Orthodoxos inter Imperatores primum legerunt multi fide sua haud indigni Historici. Verum ambitionem & scelera gravissima opposuerunt alii: quo tamen ariete se minimè victos ajunt priores, aut si isthæ separent ab Ecclesia sceleratos, longè pauciores jubent numerare fideles. Ad hæc poenitentiam Philippi non modò privatam, sed & publicam in facie Ecclesiæ exhibitam contra quævis scelera argumentum potissimum afferunt. Symb. *Militia regno idonea. Vincentius Lirinensis, Orosius & Eusebius.*

XXVII. Decius.

Decius in Pannonia inferiore clarissimis parentibus ortus, magnis est meritis laudari laudibus, & magnis vituperari vituperariis; laudem enim tulit magnam, moderatè suis militibus imperando, etsi annis vix geminis imperarit: laudem alteram promeritus est vincendò hostes, si domesticum excipias; sedato enim Gallorum tumultu, Trebonianus Gallus copiarum dux, Scythis prodidit Decium, qui à barbaris trucidato filio, & cæsis maximæ virtutis Ducibus suis fugit, in paludem vel spe, vel desperatione salutis servandæ immerfus. Vituperiis magnis haud majorem aut meliorem censurè tot, quot magni facere didicere Dei causam, quam persequi Decius vel coepit, vel perrexit, sæviens *persecutione septima* in Ecclesiam Romanam ferro & igne; ipse aqua & igne vindicandus tyrannus. Symb. *Apex Magistratus auctoritas. Zosim. Eutrop.*

XXVIII. Trebonianus Gallus, Volusianus & Æmilianus.

Decio sublato, à legione post Scytharum victoriam reliqua Gallus necessitate potius, quàm sanò consiliò lectus est Imperator, haud dissentiente tandem Senatu Romano. Imperator cum filio Volusiano curas Imperii partitus, pacem Romæ luctuosissimam Scythis victoribus concessit, primus Cæsarum Urbem urbium dominam barbaris tributarium faciens. Intellectâ igitur Treboniani inertiam ac timore complures provinciæ Scythis magis quàm Romanis parvè, cadentibus interea Christianorum multis millibus, quos Gallus par Decio tyrannus est persecutus. At cecidit & ipse brevè victima mortis à Christianis longè dissimillima; post anni enim unius aut alterius spatium de dignitatis apice dejectus est prope Interamnam unâ cum filio Volusiano. Æmilianus Pannoniæ præfectus in Lybia ex parentibus generis splendore haud claris natus, eundem dejecerat, qui ob hoc à Senatu populòque Romano Cæsar probatus, continuò cum exercitu ex Italia properavit, ut gentes barbaras victoriâ & ferocia ovan-

tes

tes perdomaret: suorummet tamen militum haud ultra extitit dominator; vel enim ob natalium suorum obscuritatem superbo simulque seditioni jam assueto militi Imperatoris nomine visus indignissimus, quamprimum è medio est sublatus, cum principem Imperii sedem mensibus duntaxat tribus occupasset. Symb. Galli: *Nemo amicus idem & adulator.* Symb. Volusiani: *Sine vano publicæ fama.* Symb. Æmilianus: *Non gens, sed mens. Zos. Eutrop.*

XXIX. Licinius Valerianus.

Valerianus patre Valeriano Gallieno Romæ natus, variòsque dignitatum gradus emensus, in Norico tandem & Rhætia à militibus Imperator dictus est. Annos ætatis jam septuaginta tunc numerabat Valerianus; igitur unâ cum filio Gallieno à Senatu Augusti nomine insignitus, Gothos rebelles per Aurelium vicit. In Orthodoxos primùm mitis ac mansuetus, sed inde ab Ægyptiis magis seductus, Imperium suum insigni Christianorum clade feedavit inter Ecclesiæ persecutores Cæsares *octavus*. D. Leuita Laurentius, & ante hunc D. Sixtus Pontifex Romanus in Divorum Martyrum numero eminuerunt. Tametsi itaque suâ ferocia vel ipsos Coelites fatigasset, in annos tamen septenos ultor Deus vindictam distulit; quibus elapsis Valerianus à Sapore Persarum Rege captus, in hostium manibus miserabili servitute consenuit. Rex quippe barbarus hac sua fortuna usus barbarè, ut equum conscenderet regium, non modò Regis, sed Imperatoris tergum scabellum sibi statuit. Iter aliàs faciens secum comitem duxit Valerianum, sed ferreâ clausum caveâ, ex qua denique emissus jubente Sapore pellem vivus amisit, fortunam minimè blandam sed peracerbam expertus, quamvis vox ejus fuerit: *Non acerba, sed blanda. Trebellius, Pollio, Zosim.*

XXX. Gallienus.

Gallienus abstracto in captivitate patre territus, Christianis equidem pacem reddidit, minimè verò miserrimo parenti, quem captivum nec pretiò, nec precibus redimere voluit, nisi post luctuosissimam mortem, optans eidem tunc honores divinos, cum prius negasset humanos. Cæterum ejus luxuria & igna-

res

ignavia belli Ducibus, gloriæ perquam cupidis, barbarisque nationibus fecere audaciam, qua eidem eripere regna & regiones tum in Europa, tum in Asia nobilissimas; Germani enim Galliam & Hispaniam invaserunt, minitati pariter transitum in Italiam. Gothi rapiabant Græciam, Macedoniam, Pontum & Asiam. Parthi occupatâ Mesopotamiâ impetum in Syriam tentârunt: copiarum verò præfecti, & per provincias dispersi militum præfides, favores & augustos honores primò clam aucupati, hos denique apertè ambiêrunt; Martianus namque in Bulgaria, Aureolus in Illyrico, Valens in Achaja, Piso in Thesalia, Æmilianus in Ægypto, Posthumus in Gallia, & hac ratione in regnis aliis triginta omnino diversi Imperatores, veluti cum fungis nati Romanum Imperium instar lacinia convulserunt. Tristis igitur fama tot novorum Imperatorum Gallienum voluptate sopitum excitavit, qui cum imparem se tot simul hostibus sciret, unum ex multis aggressurus, Aureolum sibi delegit sine mora, ut vanè sperabat, devincendum; verum dum equum conscendere paravit, à tribus conjuratis sociis, Martiano, Heracliano & Cecropio prope Mediolanum occisus fuit unâ cum fratre Valeriano & filiis an. Imp. post fata patris 9. Symb. *Propè ad summum, propè ad exitum, Trebell. Zof.*

XXXI. Flavius Claudius.

Claudius, testante Trebellio, Dalmata, seu, ut testantur alii, Dardanus plurimarum virtutum laude Augusti nomen fuit promeritus, ab exercitu & Senatu Cæsar salutatus. Hostibus vexatus est externis simul & internis, Imperatori ac Reipublicæ maximè noxiis. Dubio igitur Senatu, ecquinam hostium primi sternendi forent, Claudius palam in Senatu hanc dixit sententiam, non domesticos, sed hostes externos prius esse supprimendos, ut prius Reipublicæ, quàm Cæsaris saluti consuleretur. Gothos itaque Illyricum Macedoniâque vastantes, ingenti clade prostravit. Cæsa feruntur, non uno tamen in prælio, Gothorum millia trecenta & viginti, navium verò submersa duo millia. Inter captivorum numerum tanta fuit foeminei sexûs copia, ut singulis Romanorum militum una foeminarum trias responderet. Propatruus, ut vocamus, Constantini M. fuit
Clau-

Claudius, dignissimus ex unanimi omnium sententia Impero & vita longiori, quam tamen finiit Imperator anno jam altero vix finito, Sirmii post relatam victoriam pestilentia morbo extinctus. Vix Tito, Antonino, Trajano, aut ulli Cæsarum alteri tanto Senatûs populique Romani luctu parentatum fuit; unde Senatus statuum auream decem pedibus altam in Capitolio in Claudii honorem erexit; in Curia verò suspendit ex auro purissimo scutum Flavii insignibus exornatum. Adhæc ut vel mortuo se gratos probarent Claudio, hujus fratrem Quintilium dixere Cæsarem Romani: verum cum longè à fratre diversus, in milites veriùs fureret, quàm imperaret, sexto decimo jam die Imperii ab iisdem occisus est. Quantis quantis tamen laudibus Claudium suum extulerint ethnici Romani, Claudium tamen à se alienissimum fuisse & lacrymis & sanguine testati sunt Romanorum hoc nomine reliquis digniores, quoniam Catholici; inter quos ne viveret ampliùs Imperator, aut Rex, aut viva lex, Superùm singulari favori adscribendum esse existimârunt rerum æstimatores æqui, qui inter alia familiare Claudii dictum hoc observârunt: Symb. *Rex, viva lex. Trebell. Zof. Eutrop. Egnat. Pompon. Latius.*

XXXII. Domitius Aurelianus.

Aurelianus Sirmii in Hungaria obscuro genere prognatus, virtute bellica multum inclaruit; multis namque victoriis clarissimus, omnium legionum consensu an. 271. Cæsar delectus est. Victorias novas pristinis additurus, præter servatam ab hostibus externis Italiam & subactos permultos Imperii ænulos, Zenobiam Palmyrensiâ Reginam, virilis animi foeminam, quæ mortuo conjugè Odenato, Orientis partem maximam sola usurpabat, victam ac captivam duxit in triumpho, qualem hucusque Roma teste Flavio Vopisco, vix aspexit. Spectatorum oculos in se rapiabant Zenobia præsertim Regina, & Tetricus nobilis Romanus, quorum hic per annos decem totius Franciæ dominium sibi arrogans, sed demum à suis sociis derelictus, & in angustias redactus, veniam, quam supplex rogabat, ab Aureliano impetravit facillè, ut triumphi pompam augetet. Zenobia verò unionibus pretiosissimis exornata, manibus,
R. P. Kolb Series Imp. G pedi-

pedibusque catenas aureas tanto pondere ferebat, ut oneri ferendo impar, opus habuerit epheborum suorum perpetuo adminiculo, ne in via succumberet. Reginam sequebantur tres currus regii, ab argento & auro, quin gemmis etiam maximè æstimati. Curruum primo Rex Odenatus vehi consueverat; alterum eidem Persarum Rex dono dederat: tertium Regina sibi sumptu maximo parari iussit, ut super eundem sublimis Romam ingrederetur more victricis, minimè verò victæ aut captivæ. Currui proximo eique omnium maximè visendo Aurelianus insidens, à quatuor cervis ad vehendum Cæsarem assuefactis ducebatur in Capitolium, ubi votò suò se liberans Jovi Capitolino carissimos sibi cervos anathematis loco reliquerat. Devictis hostibus partem Urbis laxioribus circumdedit mœnibus. Solis etiam templum à se extructum infinita propemodum auri gemmarumque multitudine exornavit. Parta hæc & alia tum domi, tum foris decora, deformavit nimius luxus & crudelitas; cum enim cudendæ monetæ destinatos artifices, sed indè vitiatis pecuniis perfidos, summa crudelitate sustulisset, haud paucos è nobilitate viros capitis poenâ affecit. Post sex igitur annos Imperator Mnesthnei, qui eidem à secretis fuerat, vi ac fraude circumventus, caput & coronam auream amisit, quam primus omnium Romanorum Imperatorum tulisse fertur. Coronâ eò ex capite etiam haud dignus ampliùs, quòd non minori crudelitate in Christianos, quàm Romanos nobiles animadverterit. Symb. *Quò major, eò placabilior.* Eutrop. Zof. Vopiscus.

XXXIII. Tacitus ac Florianus.

Tacitus Romæ natus post mensium sex interregnum à Senatu, haud dissentiente milite, solus ipse dissentiens, ac invitus Imperator electus est, talis, qualem à moribus, & singulari prorsus animi moderatione posteris maximè commendârunt Cæsarum observatores seduli. Moderationem animi insignem Christianicis præsertim, imò universis exhibuit, vel ipso vestitu parabili: vestimento enim eodem, quo privatus, dein & Imperator usus est, interdicens etiam conjugii suæ gemmarum & auri usum: suadentibus verò ut fratrem & filios Imperator Imperii socios nemine refragante as-

sume.

sumeret, eosdem Cæsares nominare recusavit, persuadens sibi firmissimè, muneris sui esse, amare magis Rempublicam, quàm suos, aut rem suam. Tantus Reipublicæ amator sex duntaxat mensibus bonum publicum curavit, mense Martio jam vel morbo, vel hostium insidiis extinctus, multorum Historicorum Mæcenas insignis; quos inter Cornelium Tacitum, sanguinis propinquitate sibi conjunctum fuisse gloriabatur. Fratre mortuo Florianus haud Senatûs aut militum authoritate, sed suomet motu arripuit Imperium, vi ingressus, sed & per vim repulsus; duobus enim mensibus solùm potiùs Imperatoris umbra, quàm Imperator occisus est à militibus, vel sua sponte emisso ex venis sanguine desperavit an. 279. Symb. Taciti: *Sibi bonus, aliis malus.* Symb. Floriani: *Injuria unius, minæ multorum.* Vopiscus, Eutrop. Zosim.

XXXIV. Aurelius Probus.

Probus à nobilibus parentibus in Pannonia inferiore in lucem editus, à Valeriano etiamnum adolescens tribunus plebis, aut militum creatus, plurima gessit præclare adeò, ut ad Imperii Romani fastigium animo licèt renitente fuerit protractus, cogente Senatu simul & exercitu; Imperator enim à corona militum primò salutatus exclamavit: *nec mihi, nec vobis expedit, milites; blandiri enim vobis nequeo!* Nec fortius dixit Probus, quàm fecit; victis enim quadringentis in Gallia partim Germanorum, partim Gallorum millibus, nec non Illyrico, Thracia & Oriente restitutis, vincere paravit etiam suorum militum crimina, qui cum probatam militiæ disciplinam ferre recusarent, nec ferendum Probum esse judicârunt iudices iniquissimi. Annis ferè 5. imperavit in vita & morte Marti relinquens documentum hoc: *miles otiosus molestus.* Otioso nimirum haud licuit esse militi, quamdiu vel Dux vel Imperator exercitum duxit Probus; hinc eidem etiam copiosas laudes dixerunt & vineæ & viæ publicæ, nec non valles aggeribus impletæ, ac demum etiam maximi moliminis opera alia, quæ pacis tempore miles nuspiam ignavus perfecerat. Probum certè etsi oderint hostes plurimi, maximi tamen fecerunt Germani ab eodem in Gallia superati; brevi enim temporum spatio septuaginta urbes per uni-

G 2

versam

versam Franciam fitas, quas devictis Germanis eripuerat, in pristinum suum, aut pristino meliorem statum restituit, pulsus adversis copiis ultra Rheni littora, ubi novem inter Germanos Reguli oblatis donis & obsidibus pacem flagitârunt. Prodigio par fuit maximo res vix ulli hominum ætati aut visa, aut audita, quam refert Zosymus Historiographus. Cùm Imperator Probus supra littus Rheni in armis staret, & improvisa fames exercitum premeret, ad seditionem inclinâssent omnia, nisi subito validissimus ventus pluvias copiosissimo frumento mixtas advexisset, & rebelles animos sedâssent ad tantæ rei eventum attonitos. Supra prodigium quoque omnibus visus est Probi triumphus post relatas complures victorias Romæ spectatus: evulsas enim radicitus arbores quamplurimas super longissimam simulque lætissimam aream plantari iussit, quibus in terra firmatis immitti præcepit ducentos leones cum centum leopardis, pariterque centum ursis, ac multis aliis minoris notæ animantibus, postquam pridie mille struthiones cum totidem cervis, nec paucioribus apris sylvestribus Romani spectatores summa voluptate spectârant, & suo quisque arbitrato quod placuit, ceperant inter Urbanos venatores venatore maximo Cæsare Probo. Symb. *Pro stipe labor. Vopiscus Euseb. Aurel. Victor &c.*

XXXV. Carus, Numerianus, & Carinus.

Carus Romanus, aut aliorum testimonio Narbonensis, longè carior Reipublicæ Romanæ extitisset, nisi creatus Cæsar Carinum filium Occidentis Imperio præfecisset Cæsarem; dum enim Pater cum Numeriano filio altero in Orientis plaga Persas compescuit, Carinus interea sævitiâ suâ ac libidine non modò Italiam pene universam, sed & Galliam aliâque regna polluit tam foedis modis, ut pater foeditatis certior factus exclamare fuerit auditus: *non est hic meus filius!* Hunc ergo Veneris filium occiderunt brevè flagitia multa, præcipuè verò adulterium, in quo deprehensus sui tribuni gladiò cecidit. Pater verò in castris ad Tigrim fluvium positus, emisso è nubibus fulmine percussus est post unicum Imperii annum, quo præter domitos Persas etiam Polonos in Thracia jam grassantes, & in ipsam

ipsam Italiam impetum tentantes tanta clade prostravit, ut cæsis sexdecim hostium millibus viginti eorundem captiva abduxerit. Persas etiam victor compescuit; Mesopotamia namque tota occupata Ctesiphontem usque Parthorum metropolim penetravit, pertingens ad vitæ & victoriæ metam ultimam. Medium locum inter patrem fratremque tenuit Numerianus mediocriter bonus, quem structis infidiis clam denique sustulit Aper Numeriani socer pessimus; is ut occisi generi violentam mortem celaret diutiùs, cadaver lecticæ diu inclusum circumvehi mandavit, fingens, à Numeriano aëris asperitatem studio vitari, ne oculorum hebetudinem augetet. Verùm graveolentiâ suâ tandem proditæ Cæsaris exuviæ, & mox mortis fama, exercitum totum ad iram & vindictam excitârunt; unde Diocletianus Numeriani Præfectus irato militi placiturus, in omnium conspectu Aprum inter hæc dicta percussit; *hic est latro Numeriani.* Ferunt Diocletianum ad hoc usque tempus inter venandum in id unum fuisse intentissimum, ut quavis data occasione aprum percuteret, eò quòd vel ex oraculo, vel potiùs foemina magiæ operam navante intellexerit, tunc ipsum Cæsarem fore, *cum aprum percussisset.* Postquam igitur non sylvestrem, sed Aprum Cæsaris sicarium occidit, oraculum vel jam impletum putavit, vel potiùs doloso honorum ambitu implevit. Symb. *Cari: Bonus Dux, bonus Comes.*
Symb. Numeriani: *Esto, quod audis.*
Symb. Carini: *Cedendum multitudini.*

XXXVI. Jovius Diocletianus & Maximianus Herculeus.

Diocletianus in Dalmatia Salonæ obscuris parentibus natus, per varios & ipse fortunæ gradus ad summum Romani Imperii ascendit verticem callido ac superbo genio, quo erat præditus, tantos honores ita ambiens, ut vix de ambitu posset videri cuiquam reus: ea tamen imperandi methodo usus est post tempus brevissimum, ut meritò universis displicere potuerit, & cunctorum dextrè declinare noverit odia. Turpissimam profectò maculam aspersit Romano Imperio, præsertim arrogantiam atque crudelitatem nulli Imperatorum

secundus: auro enim gemmisque sese exornans, divinos denique expetit ab hominibus honores, minimè meritis humanos. Nerone procul dubio sævitiâ major, aut certè non inferior tyrannus, in Christianos supra modum debacchatus est, ut infami (sic agebat) Christi ac Christianorum nomine penitus deleto, Diocletiani gloriosum nomen ex erectis passim trophæis eluceret, ac cunctorum oculos perstringeret: Imperii sui proin ætati aut tempori posuit *eram*, quam suo de nomine *Diocletianam* dixit. Eandem verò Ecclesia Romana nobilitari longè nomenclatura *eram Martyrum* vocavit, eorum maximè memor Martyrum, quorum multa millia eodem templo conclusa, nocte nato hominum Servatori sacra, crudelissimum in modum concremavit. Ansam indè captârunt etiam Christiani, annos numerandi suos ab anno Diocletiani primo, eò quòd ab eo tempore Patres in Nicena Synodo congregati Cyclum decemnovalem Aurei Numeri sint auspicati, & persecuti eousque, donec seculo VI. Dionysius cognomentò *Exiguus* annos à Christi natalibus numerare docuit universam denique Ecclesiam. Cæterùm præbuit tum crudelitas Diocletiani, tum superiorum tyrannorum ansam plurimis in Imperio turbis, quibus sedandis cum imparem se probè intelligeret, in Imperii collegam delegit parem sibi moribus barbarum & crudelitate tyrannum, Maximianum in Pannonia natum, cum quo per annos complures certavit certamine solis tyrannis amico de palma, uter eorum plures, & pluribus, atque immanioribus tormentis Christicolas posset interimere. Atque ut Diocletianus ac Maximianus mortui in vivis, absentes in præsentibus tyrannis haud cessarent ferocire, Galerium Maximianum & Constantium Chlorum in Imperii socios, ac deinceps in Successores sibi adsciverunt eo pacto, ut Galerius Diocletiani filiam Valeriam, Constantius verò repudiata Helena Constantini M. genitricis, Herculei privignam Theodoram eodem, quo Imperium vinculo sibi ambo jungerent. Tria proin fuere rerum capita, quæ universi vehementissimè in Diocletiano & Maximiano mirabantur; primum eorum fuit, quòd per complures annos duo in Imperio, Neroni redivivo æquales Imperatores, perpetua inter se concordia imperârunt. Alterum, quòd licèt ipsi ambitiosissimi, Constantium tamen Chlorum

rum & Galerium Maximianum in Imperii collegas elegerint. Tertium, quòd post viginti annos Imperii Diocletiani uterque tyrannus eadem die & eodem animo, quamvis non eadem constantia, coronam & sceptrum reliquerint, Diocletianus in Dalmatia, Hercules in Italia spontaneæ eremo inclusi, exemplo hætenus vix ulli seculorum cognito. Symb. Dioclet. *Nihil difficilius, quàm benè imperare;* Symb. Maximian. *Meliùs est mori, quàm sibi vivere.* Vopiscus. Cassiodor. Procop. Eutrop. Euseb. Evagr. &c.

Reflexiones supra Secula III.

REFLEXIO I.

Ultra viginti duos numeravit seculum hoc tertium Cæsares, quorum facilè decem Rempublicam Orthodoxâ penitus sublatam esse summis desideriis desiderârunt, totidem verò eandem altissimè jam promotam, & latissimè dilatatam conservârunt, dum crescenti Ecclesiæ nullum obicem posuerunt. Fuit proinde hoc seculum omnium seculorum cruentissimum, utpote in quo senæ omnino persecutiones gravissimæ in universum Christi populum à decem tyrannis fuerunt susceptæ. Dubium nihilominus posteris solvendum reliquere veteres Historici; an altiùs erexerint Romano-Catholicorum aras illi ipsi tyranni, qui ferro & igne easdem fuerunt persecuti, an verò Imperatores alii, qui Ecclesiam Romanam amore & favore sunt persecuti. De Ecclesiæ hostibus tyrannis primo, de Ecclesiæ amicis Imperatoribus secundo loco differemus.

Laudem promeretur, nî fallor, hoc seculo Erdmannus; is enim dum hujus temporis tyrannum primum Septimium Severum haud immeritò reprehendit, pluribus commendat D. Potamiænæ nobilissimæ Virginis ac Martyris in certamine constantiam, & fusas ad Superos preces, quibus adeò permotum Divinum fuisse Numen scribit, ut ejusdem singulari beneficio Basilides Septimii Cæsaris Præfectus, Christianis Martyribus sese socium junxerit invictissimum, dum ab eodem Septimio in Martyres sævire, cum sociis, ac subditis militibus dux ipse fuerat

fueraſſet juſſus. Hic ego tamen, Erdmanne, duplicis rei te commo-
nitum volo; prima res eaque momenti maximi eſt, quam fateris ope-
re, dum verbis fortassis negas, nimirum fuſiſſe Martyrum hoc ſeculo
ad Deum precibus Baſilidem hunc potuiſſe juvari, imò fuiſſe adjutum
operâ D. Virginis Potamiænæ: hoc ipſum verò ut affirmares audaciùs
& apertiùs, non deſunt tibi authores vetuſtiſſimi *Spartianus*, aut *Dion*,
aut alii à temet citati.

Si igitur Potamiæna ſuis precibus Baſilidi Præfecto tantopere pa-
trocinata fuerit in vota vocando Divinum Numen, cur virtus ſimilis
non concedatur Divorum cœleſtium patrociniiſ? ſiquidem in eodem
Divino Numine, velut in ſpeculo rerum omnium lucidiſſimo, indi-
gentium neceſſitates ſingulas longè clariùs intueri datur Dei amicis
cœlum tenentibus, quàm quibusvis in terra viatoribus, etſi virtute
conſpicuis. Fons item Deus omnis ſapientiæ & providentiæ, non po-
tiùs opus habet illorum, quàm horum vel meritis vel patrociniiſ; u-
trorumque tamen ardentibus votis non rarò tribuit multa, non neceſ-
ſitate coactus, ſed liberrima voluntate permotus. Fortè his ſimilia
concedent Lutheri aſſectæ *Angelorum choris*, homini ſæpè ſubſidium
ferentibus, teſte ipſo Codice ſacro. En! tua hic Hiſtoria, ſi ſit ſynce-
ra, multum tribuit Divorum auxiliis, & qui indè conſequitur, Divorum
cultui antiquiſſimo, quem Romana Eccleſia valde laudibus extollit, &
ſuis commendat filiis, mater nec tibi contemnenda. Res altera, quam
notes, cupio. Ducis Baſilidis egregiò factò quantum acceſſerit au-
gmentum Eccleſiæ Romanæ, ipſe conjecturis etiam poteſ facile aſſe-
qui, ſi haud graveris perpendere, Baſilidem hunc Septimio Cæſari
perquam charum extitiſſe, vel ideo etiam, quòd Deorum cultor vide-
retur eſſe ferventiſſimus. Eidem idcirco ante alios commendatum gra-
ve fuit negotium, perſequendi eos atrociffimè, qui thura Diis negaſ-
ſent; Thus denique qui Diis negavit cùm fuerit primus, vel inter pri-
mos Baſilides vir gravis ac gratus Cæſari, hinc non potuit non contin-
gere, ut hujus exemplo animati plurimi Romanis aris acceſſerint, uni
Deo victimæ offerendi. Quantus itaque fulgor denuo Dei cauſam &
Eccleſiam imperante Septimio illuſtrârit, & nemini non claram ac ſpe-
ctabi-

ſtabilem dederit, ſi necdum capias, pluribus te docebit Martyrum hoc
ſeculo coryphæus D. Irenæus cum multis aliis in Reflexione proxima
producendis.

REFLEXIO II.

Tyranni Septimio Severo proximi in Imperio fuerunt Maximi-
nus Thrax & Decius, quorum prior an. 237. *Sextam*, po-
ſterior an. 253. *Septimam* perſecutionem graviffimam pro-
mulgârunt ita, ut harum perſecutionum ultimam crudeli o-
pere cœptam Gallus cum Voluſiano fratre proſecuti ſint, miſſis in va-
rias provincias literis ſeveritate non tam munitis, quàm armatis, ut
igne & aqua interdiceretur ubivis terrarum Chriſticolis. *Octavam* per-
ſecutionem an. 254. Valerianus; *Nonam* 270. cum Fabio Claudio Au-
relianus, & demum *Decimam* eamque omnium atrociffimam circa an.
286. ſeveriffimis mandatis, literis & edictis ubivis locorum affixis, pu-
blicam facere, & opere complere cœperunt, Diocletianus & Maximia-
nus, quam perſecutionem primò in annos decem, dein verò pau-
ciores tum per ſeſe, tum per ſuos Præſides in *univerſo Imperio, in re-
gnis, regionibus, civitatibus, oppidis, vicis, caſis, & hortis*, ut ait ex
Baronio Spondanus, ea ratione fuerunt proſecuti, ut nemini quicquam
vel emere, vel vendere, vel quicquam publico in loco licuerit agere,
niſi poſitis ubivis locorum ſtatuis idola figurantibus, thus adoleviſſent.
Ad hæc ut omnis quamprimùm Reliquiarum ſacrarum cultus finem ac-
ciperet, & vel ipſa Martyrum memoria deleretur, accenſis paſſim in-
famium pyrarum flammis combuſta fuère DD. Martyrum oſſa reliqua,
& eorum literis conſignata nomina, atque egregia facinora, quæ in
ingentia volumina & copioſiſſimos catalogos excrevère. Id unum
nempe Diocletianus cum duobus Imperii collegis Maximiano Hercu-
leo & Galerio Maximiano, in Europa, Aſia & Africa totis viribus
molitus eſt, ut radicitus extirparet *Chriſtianiſmum*, uti vocabat; hinc
Imperio ſe abdicaturus in viis & compitis publicis trophæa erexit hiſce
literis ornata: *Diocletianus Jovius & Maximianus Hercules Auguſti Caſſ.
amplificato per Orientem & Occidentem Imperio, & Chriſtianismo deleto.*

Non multò minorem conatum ad extirpandos Chriſtianos con-
R. P. Kolb Series Impp. H tule-

tulerunt ex prædictis tyrannis complures, præcipuè verò Maximinus Thrax & Decius, de quorum posteriore DD. Gregorius Nyssenus & Cyprianus testati sunt, ipso imperante, *sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis tormenta fuisse adhibita, quæque ad coronam facile non dimitterent, sed tamdiu torquerent, quamdiu non deficerent.* Hinc dolore dignior, quàm admiratione plenior res erat, intueri permultos Christianorum, & hos inter etiam D. Marcellinum Pontificem, Eusebium Cæsariensem, & alios plurimos, tum sub Diocletiano, tum sub Decio immanissimorum tormentorum metu fuisse absterritos, ut sua de constantia multùm remiserint. Verumenimverò tantum abest, à tyrannis his crudelissimis Christi doctrinam fuisse extirpatam, ut potius longè firmiores egerit radices instar palmarum aut olivarum montis Libani, aut vineæ Chananitidis, in quibus & arbores & vites fructuosissimæ oleum fortitudinis & vinum alacritatis in pondere & mensura maxima protulerunt, ut adedò omnis ætatis & sexûs non modò multa millia, sed & Martyrum milliones tot trophæa erexerint victores contra victos persecutores, quot erectæ fuerunt cruces & patibula, quot extructæ aut accensæ fornaces, quot præmuniti carceres, quot fabrefacti enses & gladii, quot feroces bestię adversùs Martyres in arenam productæ.

Ex innumeris sanè Christi athleticis hoc duntaxat seculo diversissimâ cruciatuum lanienâ interemptis, paucos huc ordine ponere lubet, ut Lector amicus, vel inimicus etiam deprehendat, Ecclesiæ supremum, idque modò *haud nobis visibile Caput Christum* identidem tantò magis reddidisse suam Ecclesiam cunctis conspicuam per Romanos Imperatores, quantò magis illi Imperatores ad inferorum tenebras moliti sunt præcipitem dare. Non ego hoc loco Romanos Pontifices fortissimorum pugilum antesignanos præsentis & priori seculo viginti septem; non Episcopos ultra ducentos; non Sacerdotes plurimos, aut his proximos in Ecclesia Romana Ministros sacros commemorabo; tametsi enim communem Catholico-Romanis & Lutheranis ad hoc usque saltem tempus causam exoptent Historici Luthero devoti, nihilominus cum vel de *Romanis Pontificibus, vel Episcopis, aut Presbyteris primorum seculorum* memoriam Historia refricat, saltu unico longam nimis temporum pe-
rio-

riodum absolvunt; ut parùm aut nihil omnino de iisdem Pontificibus dicant, bene gnari, causam sibi periculosam jucundius esse declinare, quàm multis proponere. Unde & ego his omissis rem gratissimam ut præstem Lutheranis, à Pontificibus &c. longè diversos Martyres in Ecclesiæ theatro spectatos nunc producere incipiam.

*DD. Martyres hoc III. Seculo ex sexu Masculino,
& Viri Principes Romanam fidem
amplexi.*

AN. Christi 201. sub Severo Imp. Christiani per summam injuriam tanquam rebelles contra Cæsares &c. fuere infimulati, & hanc ob causam persecutio contra eosdem juris publici facta; in qua eodem anno multi in cruces acti, alii in ignes coniecti, alii lapidibus obruti, alii feris bestiis in pabulum expositi; unde eodem tempore pro Religione Catholica Apologeticum suum scripsit *Tertullianus*.

An. 204. D. Philippus Alexandriae Præfectus, uti vocabant, *Augustalis*, inter Christianos, horum jam Dux deprehensus, & quamprimum suo ab officio remotus, domi suæ clam fuit sublatus, ne morte publica publicam suo Martyrio faceret Ecclesiam. Vid. *Baron*.

Eod. an. D. Leonides Origenis genitor in vincula coniectus, Martyrii palmam consecutus est, filio per epistolas in carcerem missas, patrem ad constantiam hortante, & eundem sequi desiderante summis desideriis. *D. Augustin. & Origenes*.

An. 205. Origenes annorum 18. juvenis cœpit interpretari Divinas literas & plurimos ad Orthodoxam fidem conversos animavit ad subeundum Martyrium. *Euseb*.

Eod. an. Christianorum ingens copia Lugduni in Gallia Duce & Martyre D. Iræneo sub Septimio Severo gloriosa morte defuncti sunt. *D. Hieron. & Euseb*.

An. 218. Abgarus Osroënorum, seu ut habet Africanus, Edeffæ Rex, ab Antonino Caracalla per summum nefas in vincula datus est; inter Christianos autem fuisse & Ducem & Regem, testatur idem *Africanus apud Euseb*.

- An. 226. Ulpiano authore Christicolarum hoste juratissimo, Palmatius vir Romæ Consularis, & Simplicius Senator, cum sexaginta & octo suæ familiæ capitibus summa constantia sanguinem pro fide fuderunt.
- An. 228. Septendecim milites verbis & miraculis D. Martinæ Romanæ Virginis permoti, inter Martyres numerati sunt. *Sur.*
- An. 229. S. Hyppolithus rerum Ecclesiasticarum Scriptor eximius, post conversa ad Christum tria ethnicorum millia, perrexit esse Dux multorum inter tormenta sub Ulpiano Jurisconsulto. *D. Hieron. Theodoret. Euseb.*
- An. 232. D. Valerianus D. Cæcilie sponsus cum fratre Tiburtio, & Maximo Alexandri Imperatoris cubiculario supremo, cum omnium stupore inter tormenta Christum confessi sunt. *Euseb.*
- An. 252. Alexandriae Martyrum plurimi, igne aut aliis exquisitissimis tormentis enecti sunt. *D. Dionys.*
- Eodem tempore cum tormenta effugere plurimi absque piaculo (ut habent authores etiam vetustissimi) studerent, inter fugientes persecutionem gravissimam, numerati sunt septem milites Decii Imp. custodes, qui in Coeli montis antrum ingressi, & à supervenientibus persecutoribus obductis repagulis inclusi, post 200. ferè annorum spatium, imperante nimirum Theodosio Jun. fuerunt inventi vigiles, sed & de altissimo somno quasi excitati; uade *septem fratres dormientes* dicti sunt. Eorundem nomina hæc fuisse tradunt: Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Joannes, Serapion & Constantinus.
- Anno ferè eodem D. Calocerus, qui fuit à cubiculis Imperatrici Decii uxori, cum Parthenio socio venit in numerum DD. Martyrum.
- Circa an. 254. sub Valeriano Imp. in Italia, Gallia, Hispania &c. persecutionem sustinuerunt DD. Martyrum plurimi tantam, ut quæ in Apocalypsi de adventu Anti-Christi prænuntiârat D. Joannes, jam tum impleri crediderit D. Epis. Alexandriae *Dionysius.*
- Eod. tempore 300. Martyres Carthagine numerabantur, qui seipsos altiori spiritu motos, in fornacem accensam præcipitârunt; cum eo-

- rum verò cineres in *massam candidam* coaluissent, *massa candida* vulgò dicti sunt. *D. Augustin.*
- Circa an. 262. tempore Gallieni Imp. quorundam invidia & Fidei odio D. Marinus centurio Cæsareæ sanguinem fudit, cujus exanime corpus Asterius Senator nobilissimus suis humeris publico in foro impositum sepulchro honorifico intulit. *Euseb.*
- An. 270. Prætoriani milites cum multis civibus Romanis Christo addictis, imperante Flav. Claudio passi sunt, inter quos celebris erat S. Marius cum conjugè Martha & filiis Audiface atque Abaco, qui è Perfide ad Limina sacra pergentes, Romæ fuerunt cum prioribus interfecti. *Martyrol. Rom.*
- An. 285. Imperante Diocletiano, sub Lisia Ciliciæ Præfecto Christianorum persecutore, tormenta subièrunt fratres Claudius, Asterius & Neon à noverca tortoribus traditi.
- Cum iisdem, vel paulò post triumphârunt DD. Martyres Cosmas & Damianus Ægeæ Medici cum sociis Antymo, Leontio & Euprepio fratribus. *Martyrol.*
- An. 286. D. Chromatius V. C. ex Præfecto Imperatorio & persecutore Christianorum acerrimo, factus & ipse tandem Christicola ferventissimus, unâ cum Castulo palatii, uti vocabant, *Zetario*, plurimum profuit D. Cajo Pontifici, ne continuò fuerit occisus; idem cum Christianorum agmine à Torquato Apostata proditus, sanguinem fudit. Inter eos eminuit etiam D. Tiburtius Chromatii filius, & D. Sebastianus natus Mediolani è matre Mediolanensi, patre Narbonensi, quem D. Martyrem *Ecclesiæ defensorem* honorifico nomine vocavit D. Pontifex Cæsar. *D. Ambros.*
- An. 294. Diocletianus Cœpit denuò sævire in multos Christianos in aula Imperatoris Fidem propagantes. *Sur.*
- An. 296. D. Cæsar Supremus Romæ Pont. & D. Gabinius ejusdem D. Cæjæ frater, Diocletiani ex fratre Maximo nepotes, Martyrum antesignani eminuerunt. Fuit hic ille Gabinius, qui primùm matrimonii vinculo ligatus, suscepit filiam Martyrem D. Susannam Romæ annis abhinc duobus in domo patria capite plexam, Vid. *Gesta Pont.*

An. 297. Legio Thebæorum ex Oriente Romam vocata, & in Galliam adversus rebelles maximè agrestes missa, cum Diis thus adolere recusasset, unà cum tribuno suo D. Mauritio in finibus Sedunorum gloriosum subiit Martyrium. *S. Eucher. Sigebert. & Gregor. Turon.*

An. 298. D. Marcellus centurio Tingi in Mauritania capite fuit plexus, postquam triumphantis more Christum publicè cum filiis Martyribus duodecim, Diis antehabuit. *Sur.*

Ead. ætate D. Zeno militum tribunus, absolutis Romæ thermis Diocletianis, & Carthagine thermis Maximianis, unà cum 10303. sociis in odium fidei occisus est ad Aquas Salvias, postquam annis septem ædificandis iisdem thermis contra data militibus Romanis Privilegia, serviles manus admoverunt, & onera portarunt. *Baron.*

An. 299. Edeffæ in Syria palmam Martyrii promerituri DD. Curia & Samona, multos Christianorum Dogmatis erudièrunt; hos pro in oratione egregia laudavit *Aretas Cesariensis.*

An. 301. D. Andreas militum Romanorum tribunus, in angustiis Tauri montis cum multis fortissimis militibus, Martyrum ornarunt numerum, dum Narses Persarum Rex à Galerio Maximiano victus ac captus in triumpho ducebatur. *Euseb. Epif. Tarsensis.*

Eod. an Nicomediæ die nascenti Christo sacratissima combusti sunt in eodem templo Martyrum plurimi. *Martyrol.*

An. 302. editò edictò, tempore Paschatis omnes Orthodoxorum ædes sacræ fuerunt destructæ, eorumque qualescunque libri post severissimam inquisitionem deprehensi, flammis absumpti: Martyrum verò hujus anni gesta scripsit deinde ipse *Constantinus. M.*

Eod. an. Genesius agyrta in theatris Diocletiani famosissimus, præter omnium expectationem conversus, tormenta Martyr cum sociis duobus histrionibus, scilicet Ardaleone & Dioscoro sustinuit. *S. Augustin.*

Tandem in lib. de Romanis Pont. ubi multa referuntur de gestis D. Marcellini Pontificis, legitur, per aliquot menses illius *Decemii*, quo duravit prior Diocletiani persecutio, tot numeratos fuisse Martyres, ut singulis ferè mensibus censuerint Martyrum 17000. Hinc
in

in sola Ægypto illius persecutionis tempore numerata 144000. Eorum verò, qui in exilium abièrunt 700000. Nec in aliis Provinciis Romano Imperio subjectis, præter eas, quibus leges dictabat Constantius Chlorus, M. Constantini genitor, minori crudelitate sævitum est: hinc Severus Historicus de Ecclesia Romana hunc in modum pronuntiavit: *nunquam majori triumpho Ecclesiæ vicit, quàm cum decem annorum stragibus vinci non potuit.*

Notiores DD. Martyres ex sexu fæmineo Secul. III.

AN. 205. D. Potamiæna Alexandria Virgo, post virginitatem fortissimè defensam, cum matre Marcella gloriosissimè inter flammam Martyrium absolvit post fata sua frequenti apparitione D. Basilidi & aliis conspicua. Vid. superiùs. *Euseb.*

Eod. an. Carthagine S. Gundenis nobilissima Virgo post crudelissima tormenta exspiravit. *Martyrol.*

Eod. an. Tiburti in Mauritania nobiles fœminæ DD. Perpetua & Felicitas, quarum prima prolem lactabat, altera uterum ferebat, & tandem inter summos dolores pariebat in carcere, utraque tamen beatiis objecta exultabat, pluribus iisque certis miraculis clarissima. *Tertull. D. Augustin. Bedæ, Ado &c.*

Eod. ferè tempore D. Philippi Præfecti Augustalis, de quo superiùs &c. Claudia vidua & hujus filia Eugenia post ærumnas plurimas Romanam reversa, & variis cruciatibus torta, denique longum Martyrium sub Gallieno consummârunt. *Metaphrast.*

An. 223. Mammea Alexandri Severi Imp. mater, ab Origene ad Romanam fidem conversa, præcipuè in odium Religionis haud procul Moguntia fuit trucidata; laudatur eadem valde à *D. Hieronymo.*

An. eod. D. Blanda D. Felicis Martyris uxor cum suo marito & Simplicio Senatore inter Martyres cecidit. *Baron.*

Circa an. 230. D. Barbara post longissimum juxta ac immane Martyrium, non nisi inter plura eaque omnibus nota miracula toleratum, à patre Dioscoro capite plectitur. *Sur. Metaphrast. Act. Mart. &c.*

An. 232.

An. 232. D. Cæcilia Virgo Romana nobilis nubere coacta, converso ad Christum sponso Valeriano &c. inter tormenta, stupentibus cunctis, vitam servavit diutissimè, nec securi ter percussa cecidit, sed post triduum placida morte extincta fuit. *Sur.*

An. 252. D. Apollonia Virgo Alexandrina authore mago Ægyptiaco post mamillas crudelem in modum concussas, & tentes evullos, maluit in præparatum sibi ignem involare, quàm fidem negare, aut impiorum blasphemis consentire. *Euseb.*

An. 253. D. Reparata Cæsareæ in Palæstina Virgo, post alia tormenta, super cratem ferream posita, & subjecto igne ambusta, ac per urbem circumducta, cum de constantia nihil remitteret, capite tandem fuit truncata. *Euseb.*

An. 254. S. Agatha Siciliae Virgo clarissima, repudiatis Quintiani Siciliae Prætoris nuptiis, post varia tormentorum genera plusquam virili constantia superata, ad cœlestem Sponsum evocata est. *Breviar. &c.*

An. 269. D. Cyrilla Tryphonix Decii Imperatoris uxoris filia, atque adeo ipsius Decii vel privigna, vel etiam proles, sub Claudio Imperatore cum multis Martyribus vitam finiit inter tormenta. *Acta S. Laurentii.*

Eod. an. D. Serena Diocletiani Augusta conjux, beato fine vitam clausit; an verò Diis litare publicè recusarit, & violenta morte fuerit extincta, incertum habetur. *Sur. Martyrol.*

Eod. ferè tempore D. Anyfa Thessalonice foemina, dum ad Christianorum Sacra properavit, à militibus intercepta, Martyrii coronam sparso sanguine post certamen impetravit. *Baron.*

Ead. æt. D. Domna Virgo, Dianæ olim ac Minervæ Sacerdos suprema, diuturno tempore sub vestitu virili latitans, tandem tamen prodita, & Religionis causa flammis consumpta, partem sui conservavit optimam. *Metaphrast. Nicephorus.*

Iisdem annis D. Theophila Nicomediensis Virgo, reliquis sociabus forma præstantior, à licitoribus ad Iupanar tracta, & divinitus custodia inter haud dubia miracula Virgo permanfit. *S. Basil. de Ver. Virgin.*

Sub

Sub Diocletiano etiam D. Agnes Virgo Romana duodennis, omnium ferè authorum calamis celebrata, non absque Cœlitum auxiliis præsentissimis pro Fide & Virginitate certavit, vincens teste D. Hieronymo ætatem & tyrannum. *S. Ambros. Prudentius & authores alii plurimi.*

REFLEXIO III.

Alatis in medium iis tyrannis, qui Orthodoxorum aras diris penitus devoverunt, afferendi nunc paucis sunt etiam Cæsares illi, qui hoc III. Seculo vel Ecclesiæ damnum haud inferebant, vel apertis etiam beneficiis eam promovebant. Atque hos inter

I. Alexander Severus Imp. Mammeæ filius vel à matre Orthodoxa, vel ab Origene Christianorum Dogmate paucis instructus, templum in Christi Servatoris honorem ædificavit. Item in Christicolarum favorem lites decedit, eam Romæ super aream, super quam compotatores tabernam extruxerant, concedens copiam erigendi ædem sacram in honorem *Virginis Matris trans Tiberim*. *Lampridius.*

II. Gordianus Imp. dedit facultatem viris ad Christum conversis, ædificandi complures ædes sacras & jus adornandi parœcias. *Lib. de Rom. Pont.*

III. Philippus Imp. à Pontio militum quondam Præfecto, dein in Gallia Martyre, Orthodoxa Sacra edoctus, inter Imperatores omnium primus Catholicus extitisse est visus: hinc delicta gravia, quæ tum ambiendo sceptrum, tum aliàs contraxerat, Romæ in Ecclesia, facta exhomologesi publicè expiavit teste Eusebio I. 6. Hist. c. 27. Fabianus nimirum Pontifex Romanus recusavit Imperatorem secus admittere ad populi communionem sub ipsum Paschatis Festum. *Leg. Vincent. Lirinens. Oros. Cassiodor. &c.*

IV. Gallienus Imp. sublato patre Valeriano edicta prioribus contraria promulgavit, quibus fidei populo concessit potestatem conventus celebrandi, cœmeteria publicè adeundi, & more sub Philippis Imperatoribus consueto sacra faciendi. *S. Dionys. Alexandrin. Episc.*

V. Tacitus Imp. sublato Aurelianò tyrannò, datis ad omnes Provincias

cias epistolis, persecutionem Ecclesiæ ubivis terrarum tolli imperavit.

VI. Carinus & Carus Imperatores Christicolis multum indulgisse, imò favisse leguntur *in Actis D. Sebastiani*.

Ex consideratis jam utramvis in partem trium seculorum Imperatoribus, & pluribus omnino DD. Martyribus hætenus elucet planissimè, quantum dederit incrementum in theatris præsertim tyrannorum publicis Ecclesiæ suæ in terris certanti ac militanti Dux ejusdem ac Defensor maximus Christus; unde si minùs promptè Romanorum imperatores hucusque ad sese vocantis *unius Dei, & unius Ecclesiæ* vocem altissimam audierint, ex plurimorum *auditu* tamen, pariter & *visu* Fidei Divinæ vox & lux in aulas etiam crudelissimorum tyrannorum penetravit, ut eos latere potuerint minimè *mirabilia Dei*, quæ in ipsis quoque Imperatorum ministris ac domesticis quondam, dein verò fortissimis Christi athleticis palàm apparuere, & testimonium omni exceptione majus dixere pro Romanæ fidei veritate contra idolorum vanitatem, si mûlque adversùs quosvis per *tria secula* hæreticorum errores aut novitates.

Periodus Secunda.

Seculum Nati Christi IV.

XXXII. Constantius Chlorus & Galerius Maximianus.

Constantius patre Eutropio Romano nobilissimo, matre Claudia Claudii Imperatoris vel sorore, vel nepte natus, crescentibus cum virtute annis à Caro Imperatore in filium adoptatus, Maximiano Herculeo gener, & Cæsar, & Augustus placere cœpit. Mirum dictu! tyrannis non displicere, & simul Christicolis plurimum posse favere Imperatorem, quod planè rara industria præstitit idolorum etiamnum cultor, & Christiani cultus promotor insignis Constantius. Artem hanc novam ij maximè obstupere, quorum Religionem facie tenus Christianam ut exploratam haberet, com-

posi-

posito ad simulationem vultu ac voce, jussit suos domesticos Imperator aut aulam, aut Christum deserere. Cùmque haud pauci aulæ delicias Romanæ Ecclesiæ anteponerent, mutata rerum facie eos retinendos in officio esse existimavit, quos in Religione constantes cognoverat, ajens: *qui Christo suo haud fidelis est, haud fidus erit Cæsari*. Tantum Principem gratulari sibi difficillimis temporibus poterant meritò Germania præcipuè & Gallia, quibus tunc Cæsar imperabat: etsi enim ferro & igne fuerit opus, ut Germanos perpetuis bellis assuetos, & multis victoriis elatos vinceret, victoria tamen à Constantio de iis relata non tam victoribus, quàm devictis fuit magis exoptabilis; victorem namque talem fuerunt nacti, de quo posteritas dixit, eundem fuisse *eximium, commem, liberalem, facilem, nec à vera Religione abhorrentem*. De mortuo Constantio conditore suo testimonium dixit, & etiamnum dicet urbs Acroniana, quam suo de nomine Constantiam appellavit. Dum verò his aliisq; multis encomiis passim extollitur Constantius, laudem tamen haud promeritus fuit in data, sed non servata D. Helenæ thori fide; ut enim Imperator Imperium securius possideret, conjugem dimisit primam, alteram, scilicet Theodoram, ejusdem loco habiturus, ex qua proin suscepit tres filios Annibalianum, Constantinum alterum & Constantium cum filiabus tribus. Cæterum licèt exoptatissimum, perbreve tamen fuit tam laudati aliàs Principis post abdicationem Diocletiani Imperium: altero enim annò vix finitò, Eboraci in Britannia inter communes omnium luctus decessit, Diis, an Deo devotus magis, authores plurimi incertum habent, nisi tamen eos exceperimus, quorum testimonio hæc ferè ultima fuere morientis Constantii verba: *nunc optatus adest obitus; nam filium Imperatorem relinquo, qui Christianorum lacrymas absterget*. Mort. an. 306. Symb. *Virtus dum patitur, vincit*.

Galerius Maximianus homo agrestis ruri natus, Constantium annis quinque superavit, superatus ab eodem belli & pacis gloriâ, Galerius quippe vix re alia insignis, quàm immanitate in Christi Ecclesiam, atque ob hanc per Orientis Imperium foedè vastatam, foedissimæ mortis supplicio notandus fuit; nam genitalibus foedissimum in modum putrescentibus, familiari tyrannis morte interiit,

I 2

post-

postquam in Imperij collegas sibi selegerat Licinium, & Maximinum pares sibi tyrannos. Symb. *Tutum silentii præmium. Aurel. Victor. Eutrop. Pompon. Lat. Egnatius.*

XXXVIII. Constantinus M. & Licinius cum Maximino & Maxentio Tyrannis.

Tandem post duorum, aut ferè trium Seculorum densissimam noctis caliginem obortus est Phœbus, plurimorum ritè credentium ardentissimis votis, suspiriis, & lacrymis exoptatissimus. Tandem post Neronem, Domitianos & Diocletianos Deorum aris ac focus addictissimos è coelis potius missus, quàm in terris natus est Imperator uni Deo ter Optimo Maximo supplex ac devotissimus, Constantinus re & nomine inter Cæsares hæctenus vel solus Magnus. Mundum ex opinione multorum aspexit primò post Christi incunabula an. 271. ducens ex regio Æneadum stemmate originem, matrem pariter nactus regiam, quæ cum nubendo, patiendo & educando tantum filium se effecisset maximam, major tamen indies effecta est per Romanæ Ecclesiæ constantissimum amorem, quem in se & aliis excolere nunquam non studebat: eum in finem sacratissimum Crucis Lignum, quod hominum Redemptor Divinus suo sanguine & amplexibus consecrârat, diligentissimè quæri, quæsitum invenire, & inventum colere didicit ac colere docuit. Sacræ Crucis trophæo supra aras collocato accessere ædes sacræ quamplurimæ, Helenæ Imperatricis curâ ac studiò erectæ, quod abundè testatur præter testes innumeros alios Trevirensium Archi-Episcopatus, cui ut Primas præficeretur D. Agritius, à D. Sylvestro Romano Pontifice impetravit Helena. Eidem Præsuli dono dedit inconsutilem Christi Domini togam, quam ab ea ætate ad nostra usque tempora Trevirenses conservavere, singulis septenniis confertissimo populo visendam. Clariorem adhuc dederunt M. Constantini matrem adversitates plurimæ, quas subiit, dum duobus tyrannis Diocletiano & Maximiano cogentibus,

à con-

à conjugè Constantio repudii libellum accepit: in hac orbitate tamen sua minimè orbatam se virtutibus sensit, quas ut Remerator Deus etiam in hac vita condignis afficeret præmiis, id solatii Helenæ matri concessit, ut intelligeret, filium Constantinum licèt Romæ ab æmulis arctissimâ custodiâ inclusum, ingeniosa tamen fraude ex hostium manibus ac ædibus elapsum, citatis equis usque in Britanniam avolâsse, ægrotanti genitori adstiturum: ad hoc, Eboraci moriturum patrem exclusis filiis reliquis soli Constantino Imperij sceptrum asseruisse &c.

Anno itaque Imperii patris 15. Christi 306. fasces adeptus est Constantinus, postquam in juventute sua ab æmulum turba variis vitæ discriminibus fuit expositus: cum enim à Galerio Imperatore contra Sarmatas supremus militiæ Dux fuisset missus, & gloriosus victor ipsum etiam hostium ductorem principem catenis onustum Galerio adduxisset, Constantinus Davidi similis inimicum Saulem in Galerio expertus est. Inter vitæ discrimina numerandum & illud venit, quo iustus est juvenis fortissimus certamen inire cum leone, quem & hinc Davidi æqualis felicissimè superavit, omen spectatoribus præbens plurimarum victoriarum, quas de hostibus permultis leoni haud dissimilibus esset reportaturus Constantinus jam tum Magnus. Magnum certè dixerunt vel hostes etiam potentissimi Maximianus Herculeus, Maximinus, Maxentius & Licinius, quorum primus solitudinis suæ & abdicati Imperij poenitudine ductus, Imperatorias habenas obscuris artibus haud obscurè reperit. Dolis suis instrumentum aptissimum sibi delegerat filiam suam Faustam, quam repudiata Minervina prima conjugè ut Constantinus duceret, persuasit. Verùm hæc tum mariti, quàm patris amantior, constructos dolos Constantino Cæsari syncerè aperuit: proditum igitur se à filia perfidus pater intelligens, ex Italia in Galliam aufugit, ubi tamen in via interceptus, Massiliæ resti suffocatus periit an. 307.

Maximianum in Imperio & struendis contra Constantinum insidiis proximè secutus Maxentius ex socio Imperii Imperatoris proditor, adulter & tyrannus factus, qui ut Imperatores quosvis excluderet, urbem Imperij dominam occupavit, Romanorum plurimos bonis fortunæ, vitæ ac famæ exspolians. Annis sex sub Maxentij jugo genuit Roma, quam ut tan-

I 3

dem

dem liberaret victor Constantinus, coelum ipsum an. 311. monuit, exhibens paratissimum in suppetias victori exercitum. Ita Nazarius Romanus Orator Senatui ipsi perhibuit, in restem adducens totam regionem Treverensibus proximam, quæ sub ipsum meridiem simul spectavit in aëre crucem coelestibus radiis circumdatam, cui inscripta legere erat verba ad spem maximam in Deum concipiendam allicientia: *in hoc signo vinces.* Addit Antonius Foresti Recentior Historicus ex Historiis vetustissimis, *Deum Hominem* ipsum in somnis spectabilem se præbuisse Cæsari cum crucis effigie, & eidem similem fieri jussisse, ut hoc sub crucis signo pugnaturi milites, & animosius certarent, & certius vincerent. Paruit coelestibus monitis Imperator; vexillis enim & militibus crucis signo tam ornatis, quam munitis ex Gallia in Italiam properans, Taurinum, Brixiam & Veronam transiit, ac demum ad fluvium Tiberim admovit exercitum, quem trans pontem Milvium Maxentius cum centum & septuaginta militum millibus expectabat, spe præmatura certam præsumens victoriam. Spem hanc magnam Maxentio fecerat pons alter, quem ea arte parari jusserat, ut si Constantini exercitus eundem maximo suo numero & pondere implevisset, resolutis machinis totus subito solveretur, & secum in profundum traheret exercitus adversi partem maximam. Verum opinione sua delusus nimium, dum pugnam capeffivit, equestris ordo à Constantinianis victus, pedestris vero exercitus pugnam omnino detrectavit. Fugientium igitur numerus ingens, dum pontem insidiis præparatum implevit, pons ipse vel nimia mole, vel potius Deo vindice solutus, unà Maxentium & partem devictorum maximam in ruinam traxit, paratum Constantino tumultum Maxentij implens cadavere. Relata hac victoria Constantinus Romanam triumphantis more ingressus, à Senatu populoque Romano *Pater Patriæ & Urbis Redemptor* fuit salutatus. Verum ipse coelestis auxilij probe memor, statuam Cæsari similem in foro publico erigi mandavit, quæ dextera crucis signum præfererat apposita hac epigraphe: *hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio, civitatem vestram tyrannidis jugo liberavi, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinae amplitudini & splendori restitui.* Fuit victoria hæc instar fertilissimæ sementis, ex qua enati sunt fructus in Ecclesia Romana uberrimi: cum enim D. Melchiadi

Pon-

Pontifici Romano Lateranam domum an. 312. incolendam dedit, tum enimverò Dei unius & Divorum cultus publicus efflorere ut nunquam magis coepit, Episcopis passim atque Sacerdotibus in publicum prodeuntibus. Secutus est brevi fidelium concursus ingens, Christicolarum frequens cætus, & extruitorum templorum festiva dedicatio, nec non saluberrimarum legum sanctio, Reipublicæ Christianæ exoptatissima. Romæ tunc erat videre spectaculum multorum oculis longè jucundissimum, quando Constantinus posita corona & purpura prehendit Augusta dextera instrumentum ad terram fodiendam idoneum, ut templo DD. Apostolorum Principis honoribus dicato initium faceret gloriosissimum, imitaturus forsan, aut superaturus in hoc etiam Vespasianum Imperatorem, qui restaurando Capitolio omnium primus Augustas manus operi admovit, & suismet humeris partem ex ruinis reliquam portavit. Superasse profectò Vespasiani solertiam singularem vice alia omnibus visus est Constantinus, dum unà omnes Christi Apostolos honoraturus, ædificavit templum alterum, quod exordio undequaque laudatissimo est auspiciatus: duodecies enim Imperatoriis humeris cæmentum portans in altum, ad sui imitationem Duces, Proceres & universum penè populum pertraxit. Supersedeo pluribus describere sacras aedes plurimas à Constantino in tribus terræ partibus, Europa nimirum, Asia & Africa erectas, quarum copiosissimum numerum recenset Anastasius Bibliothecarius Romanus, seculi IX. Historicus. Illud encomiis novis visum est cunctis in Imperatore Christiano dignissimum, quòd extructis à se ædificiis, præsertim sacris, minimè passus sit Constantini nomen adscribi; secus fecisse, cum probè nôset Trajanum, hunc *herbam parietariam* jocosò nomine appellare solebat. Rebus in Urbe compositis in Germaniam cum exercitu redire decrevit, ut Germanorum identidem rebellantium vires maximas supprimeret, quam expeditionem, in crucis signum spe firmissimè concepta, an. 313. prosperè effecisse præter Historicos testatur Orator Gallicanus in Panegyrico Constantini. Eo in itinere cum Mediolanum attigisset, Licinio in Imperio Collegæ Constantiam sororem suam matrimonii vinculo conjunxit, & quæ pro emolumento Ecclesiæ, præsertim in Oriente, fore perspexerat, cum eodem transegit Imperator providentissimus.

In

In Oriente tunc temporis agebat Maximinus, & ipse in Imperio socius an. 306. à Galerio Maximiano constitutus, tametsi foret gula, lascivia, crudelitate & nullo penè non vitio Tyrannus infamis; qui ter quaterve persecutione in Christianos promulgata, Orientem latè Martyrum implevit funeribus; verùm & multis illustrari perinde vidit miraculis, quibus haud una tantùm vice absterritus, tortorum ferociam aliquantùm inhibuit. Inter Christi pugiles contra Maximinum fortissimos eminuère Armeni, & in Palæstina Alexandria cives; Armeni enim Maximini victores, victoriam suam Christo gratissimi adscripsère, Duce eorundem Rege, qui unà cum subditis plurimis Deorum cultum ejuravit. Alexandria verò cives certatim ad subeundum Martyrium mutuis studiis animati, quasi ad pugnam sibi jucundissimam provocârunt tyrannum. Pugnam hanc nobilitavit plurimùm D. Catharinæ Virginis nobilissimæ victoria gloriosa, ducens in triumpho victos permultos Philosophos, quos Maximianus adversus unam sceminam certaturos convocârat. A tanta igitur Virgine & ipse victus tyrannus, vehementer doluit, palmas sibi alias eripi à suamet conjugè & Porphyrio Duce, qui spectato D. Catharinæ certamine haud dubitârunt idola damnare, & quovis metu contempto converti ad Christi aras, à quibus se avelli nunquam sustinuerunt, Fidem pluris longè, quàm mortalium vitam aut honores æstimantes. Maximino etiam cum amicitiae & affinitatis foedus à Constantino & Licinio initum summè displiceret, armato exercitu Licinium quamprimum aggredi statuit: verùm vix pugnae initium datum fuerat, pars exercitûs maxima confuso ordine veriùs fugiebat, quàm pugnabat, parte altera ad victores transfugium parante. Maximinus interea ut à fuga salutem impetraret, mutato corporis habitu inter gregarios victoris manus denique effugit: paulò post cum copias conducere, & bellum restaurare totis viribus laboraret, in Tharsensium urbe subito, eoque gravissimo morbo correptus, inter dolores vehementissimos mortem, quam crebris ejulatibus sibi imprecatu fuerat, oppetiit, apprimè gnarus, plurimorum Christicolarum sanguinem, ultionem humana majorem, tyranno tandem attulisse an. 314. Victoria hæc etsi plurimis saluti, Licinio ta-

men

men auctori fuit exitio; is enim superbiâ elatus, Constantino insidias struere, & hunc è medio tollere ratum fixum habebat, ut sublato Imperatore solus imperaret tyrannus. Verùm à Constantia conjugè Constantini sorore proditus, atque ob hoc à Constantino bis victus, à victore tamen vitâ & veniâ donatus, amissò Illyricò simul & Græciâ, fitas in Oriente provincias beneficiò ejusdem recuperavit. Licinius ad hæc, Licinij senioris filius, in Imperij socium Cæsar adlectus fuit, ut tot ac tantis beneficiis in patrem ac filium collatis, Constantinus in fide utrumque conservaret. Verùm & hoc modo tyrannus exasperatus magis, quàm emendatus, ingentes denuò copias terra marique coëgit, ut bis vinceret, à quo bis victus fuerat. Constantinus igitur cum exercitu in Thraciam contendit in apertis campis superaturus hostem. Crispum verò filium, quem nuper Cæsarem creaverat, in Asiam cum classe dimisit, supra mare debellaturus Amandum Licinianæ classis supremum Ducem. Triumphavit & Pater & filius victores gloriosissimi de Licinio, qui ab iisdem vita denuò donatus, privatam jussus est Thessalonicæ vitam reliquam ducere. At Licinius solitudinis suæ admodum pertæsus, vel verbis vel factis dixit: aut Cæsar ero, aut nihil. Adornatas itaque rursus rebelles copias, dum è Thracia evocare constituit, maturè denuò proditus, & missis à Constantino satellitibus fune tandem suffocatus est an. 318. Extinctò Licinio crucis supplicium lege sublatum; Augusti Octaviani lex, qua cælibatus erat vetitus, abrogata; testamentorum valor fuit confirmatus, ut relicta Ecclesiæ bona quævis, ejusdem in dominio deinceps permanerent.

Hucusque tot præclaris facinoribus comparatum Magni nomen an. 319. obscurare coepit factis longè diversis; augurum enim & haruspicum gregi, quibus paulò antè privatorum maximè ædibus severè interdixerat, tunc editò edictò contrariò liberum inter quosvis homines commercium vendicabat. Crispum etiam ex Minervina conjugè prima filium, jam Cæsarem multis victoriis clarissimum, *delicias patriæ* dictum, à Fausta tamen noverca de nefando scelere per summam injuriam accusatum, non audita parte altera sustulit: at mox innocentiam filii, Faustæ verò impias fraudes edoctus, post eandem ca-

R. P. Kolb. Series Impp.

K

lidi-

lidissimis thermis immerfam ac suffocatam, Licinium juniorem ex sorore Constantia nepotem funeribus cæteris adiecit, partim justæ iracundiæ, partim furori nimio ex multis suspicionibus indies magis accenso, alios de crimine sibi suspectos consecrans. Pluribus annis inter domesticas turbas consumptis, sibi denuò plenè restitutus Constantinus, Concilio Niceæ an. 325. congregato, quâ consiliis, quâ auxiliis præsentissimus esse studuit; Augustissimâ nimirum præsentiam suâ Rempublicam mirè promovens, Orthodoxos Episcopos ab Arij partibus malè habitos, aut à Diocletiano quondam dirè vexatos, blandis verbis, & (teste Eusebio) piis osculis solatus. Circa eandem ætatem cum Helena Augusta mater per octoginta annis aut major, inter filii manus placidissima morte fuisset extincta, eidem quovis meliori modo parentaturus, Constantinus Helenopolim Bythinæ urbem ædificavit; urbem aliam, olim Byzantium dictam, Romæ simillimam effecit; unde & Romam novam vocatam suo de nomine Constantinopolim dixit, & Magnæ Virginis honoribus dedicavit an. 330. 15. Maij. Annos Imperator ultimos inter certamina Catholicorum & Arianorum Episcoporum ferè consumpsit, quorum postremi adeò multa adversus D. Athanasium aliòsque Romanæ Ecclesiæ Episcopos confixere scelera, ut ipse Imperator partim à sorore Constantia, Arianis favente seductus, partim ab Eusebianis Sacerdotibus Arij amicis deceptus, D. Athanasium Alexandria Episcopum Trevirim in Germaniam exulatum dimiserit an. 336. Annus is erat Imperatori inter vivos penultimus, quo acceptis crebrò nuntiis intellexit, Persarum rebelles copias jam in armis stare contra Romanos. In Orientem igitur perrecturus adversus hostes, dum magnis itineribus cum exercitu properavit, in via morbis tentatus, Helenopoli primùm calidis thermis sanitatem recuperare frustra laboravit; indè verò Nicomediam delatus, diviso inter filios Imperio, morte beatissima Regni cœlestis coronam adeptus est, post relatas in terris victorias multas, triumpho in cœlis æterno dignissimus Imperator, quem fortissimum, & fortè inter omnes Cæsares jure *maximum* dixit posteritas vel eo etiam ex capite, quòd Imperatorum vix ullus & plures, & fortiores adversarios tam brevi tempore vicerit, simulque Ecclesiam & Imperium Romanum;

num, veluti super tyrannos multos evectum & stabilitum, præclaro unitatis & pacis vinculo conjunxerit. Diocletianus, Maximianus Herculeus, Galerius Maximianus, Maximinus, Maxentius, Licinius, & multi alij per Romanas provincias dispersi Præsides tyranni, tres mundi partes suis terroribus implevere, & non solùm multis millibus, sed millionibus etiam Divorum Martyrum auxere numerum, everfuri fortassis Ecclesiam universam funditus, nisi Constantinus ex innumeris periculis servatus à Superis, nunc singulis, nunc universis tyrannis palmas præripuisset, dubiò posteris relictò, an Constantini, an plurimorum Martyrum victoriæ Ecclesiam simul & Imperium magis conservarint & ornarint. Imp. annis 31. Symb. *Immedicabile vulnus ense recidendum.* Symb. Licin. *Pestis Reipublicæ literæ.* Aurel. Victor, Eutrop. Euseb. Sozom. Oros. Zosim. &c. &c.

XXXIX. Constantinus II. Constantius & Constans Fratres.

O Raculum Evangelicum est : *Omne regnum divisum contra se desolabitur.* Damnò suò maximò veritatem hanc edocti sunt tres fratres, tres simul Imperatores, Constantini M. filij, quorum prior Hispaniam, Galliam atque majorem Britanniam; alter verò Italiam, Africam, Illyricum, & Græciam; tertius denique Asiam, Thraciam atque Ægyptum accepit ex voluntate Magni Parentis ultima; verùm Constantinus fratrum natu maximus hac regnorum divisione læsum maximè conquestus, Constantem armis petere non dubitavit; ab hoc tamen haud diuturno Marte victus, atque occisus est propè Aquilejam Italiæ urbem trium duntaxat annorum Imperator Constantinus II. ob id laudatus valdè, quòd à Magni genitoris Religione nec latum unguem discesserit. Expertus est ante alios Constantini II. in Religione Romana constantiam singularem D. Athanasius Alexandria Episcopus, Arianorum per annos 40. malleus, quem Treviros usque in exilium abire compulsus an. 338. Constantinus II. quamprimum repetiit, & Episcopali Sedi suæ restitutum adversus fratrem Constantium nunquam non propugnavit, parvi pendens Hæreticorum iras

& minas. Dum igitur anno Imperij tertio vix finito clade extrema afflictum, & multis vulneribus trucidatum, atque fluvio immersum intellexere Episcopi Orthodoxi, Imperatoris sui vulnera suas dixere plagas maximas, probe gnari, amisisse Constantinum cum vita Ecclesiae partem permagnam, cum Imperii sui partes plus æquo extendere laborarit, paterni testamenti vix custos fidelis. Symb. *Patiens sit Principis auris.*

Non multo feliciorum natus est sortem & mortem fratrum natu minimus Constans; cum enim annos regiminis tres numeraret & decem, Magnentius copiarum Dux, & in Suevia Praefectus Augustae Vindelicorum diem mortis constituit Caesari, missis in Pyrenæos usque montes sicariis, qui Constantem occiderent. Vituperarunt plurimum Authores Ethnici Constantem; aiebant namque, eundem per annos vitae omnino decem vitiis magis indulgisse, quam Imperio conservando invigilasse, indignum profus coronâ & sceptrô. Verum diversa longè sententia est D. Athanasij, qui Constantem multis virtutibus ornatum Principem, & Orthodoxae Ecclesiae adversus Arianos in vita defensorem, in morte autem Martyrem appellare non dubitavit, hoc fortassis etiam commotus argumento, quod intelligeret, Magnentium à Constante adversus seditiosos milites olim servatum, Constantem verò à Magnentio superbo ac perfido proditore, nec non Christiani nominis hoste fuisse è medio sublatum, ut servitus adversus dominatum, scelus contra virtutem, hæresis contra religionem triumpharet. Et quid ni testetur talia de Constante Athanasius? cum eodem Caesare enim egit frequenter contra Arianos, ringente & S. Praesulem damnante Constantio. Protectoris sui etiam vel monita vel mandata lubentissimo amplexus animo, totius S. Codicis libros diversos, & fortè dispersos in compendium redegit, Constanti praesertim decumbenti praelegendum. De morbis igitur, qui Imperatorem hunc lecto affixum saepe tenebant, si Scriptores adversarij mentionem reliquissent posteris, plus laudis Constanti Caesari, & sibi ipsis servassent meritò; articulari quippe morbo praepeditum, Imperij curas postposuisse suis saepe doloribus, haud vana est fides. Symb. *Crescente superbia decrevit fortuna,*

Fra-

Fratres superavit Constantius annis, victoriis, sed & vitiis; ut enim vel solus imperaret, etiam in eos tyrannus saeviit, quos paulò antè purpurâ exornaverat, sanguinis propinquitate sibi conjunctissimos. Dalmatius Caesar ejusdem partuelis, Constantius & Hanibalianus patruus erant cum Optato patritio, quos in oborta seditione trucidari vel permiserat, vel turpius jusserat. Hac tamen ratione æmulos haud paucos provocavit; Sapores enim Persarum Rex novem victoriis devictum in extremas angustias in Asia redegerat; Magnentius verò & Vetrano rebelles Duces in Europa, regna & sceptrâ rapiebant, prior nempe Italiam, Galliam & partem Africae sibi vendicabat; posterior verò perfidiâ fortunam suam eò provexerat, ut in Constantii solio socius sententiam dixerit, & milites adversus Magnentium animaverit; de solio tamen ibidem praecipitatus ab iisdem militibus, à quibus non ita pridem fuerat in altum evectus. Conjunctis hoc maxime modo Vetranonis sibi copiis Constantius, Magnentium simulque hujus fratrem Decentium in finibus Hungariae aggressus, utrumque æmulum eò desperationis adegit, ut Magnentius gladiò, Decentius verò laqueo sibi vitam ademerit, victor tamen vivendi ac imperandi methodum minime emendavit, etsi mortiferum ulcus tactu sacrorum ossium D. Spiridionis depulerit, è presentissimo mortis discrimine ereptus. Interea Gallus Constantii partuelis & sororius in Oriente turbaverat omnia, juvenili ardore nimium incensus; contra quem igitur missus ubi advenit Dux Domitianus, mortis victima continuo cecidit, hortante & prodente Gallo occisus à militibus. Verum ubi in Italiam rediit victoriâ ovantium more, Gallus subito captus, & ferente sententiam Constantio, primum purpurâ, & mox vitâ privatus fuit. Cadendum tunc fuisset etiam Juliano Galli germano fratri, etsi inter fines Galliae ac Germaniae prope Argentoratum Gundamarum Germanorum Regem in pugna cepisset. Verum Eusebia Imperatrix Juliani sortem & orbitatem miserata, veniam & vitam reo conservavit, quin fortunam hujus ita immutavit, ut accepta in conjugem Helena sorore Constantij ab hoc fuerit successor in Imperio promulgatus. Annis 24. imperavit hic Caesar, perpetuus penè amicus Arianorum. Sensit ac doluit errorem Constantii gravissimum Alexandrinae Ecclesiae Praesul,

K 3

sul,

ful, qui in exilium pridem eiectus perpetuum exulavit jubente Cæsare, aut ejusdem potiùs conjugè Eusebia ex asse Ariana, ut incolumis servaretur secta Ariana & Eusebiana. Tandem tamen Constantini M. superstes filius unicus periit subito correptus morbo in Asia propè Taurinum promontorium, quem & malè vixisse, & malè mortuum fuisse concors est antiquissimorum authorum mens & sententia, si D. Gregorium Nazianzenum exceperimus, qui Constantium admissorum errorum egisse poenitentiam, & ad Romanæ Ecclesiæ gremium rediisse haud dubitavit scribere, longinquo forsan rumore ac famæ volantis errore deceptus, uti testantur Gregorii Turonensis & Tammaturgus &c. Symb. *Difficilia quæ pulchra. Amianus, Marcellin. Zosim. Eutrop. Ruffin.*

XL. Julianus Apostata.

Constantini M. ex fratre Constantio nepos sub disciplina Eusebii Nicomediensis Episcopi, & Libanii Sophistæ, nec non aliorum Judaicis atque ethnicis ritibus assuetorum Præceptorum adolevit, dein veste sacra, & tandem sagô sua texit scelera veterator astutissimus, in id unum intentus maximè, ut Constantio Cæsari non displiceret. Et hercle adeò placuit, ut ab eodem in Imperij successorem fuerit delectus, Romanorum coronâ indignissimum caput: vix enim Constantius morte vitam finierat, in apertos campos prorupere scelera, apostatam partim Arianorum, partim Hebræorum, partim idololatrarum amicam testantia. Ecclesiam Romanam, & hujus Conditorem Optimum Maximum summo prosequatur odiô, quem aut *Fabrum lignarium*, aut *Galileum* ore blasphemio vocitabat. Pravis ab inceptis ut desisteret, monuere sæpiùs haud obscura prodigia; cum enim Parisiis rebelles Constantio milites Julianum Cæsarem dicerent, sol, astronomis haud prævisa eclipsi, adeò obscuratus fuit, ut similem in aëre metamorphosin vix præterita secula notârint. Centum præterea & quinquaginta urbes partim in Europa, partim in Asia terræ motibus succubuere. Aliàs cum Hierosolymis novo Hebræorum templo fundamenta jaceret, ignis è terræ visceri-

sceribus erumpens, crebriùs molientem prohibuit, cum ex parte altera Christicolæ templum Apollinis ab Antiocho Epiphane extructum haud alia ratione destruerent, quàm allatis in idem templum D. Martyris Babylæ Reliquiis, quarum virtute ignis prodigiosus mœnia corripuit, & in cineres resolvit, ringente & furente ob disparem rei exitum Juliano. Post tanta è coelo testimonia exhibita, templum aliud cum in auras educere pararet, nox repetita continuò destruxit, quod extructum dies viderat, Galli fratris templo, quod è regione idem ædificare cœperat, atque D. M. Mammantis honoribus dedicarat, constanter illæso. Nihilominus ut Christi gregem non solum gladio, sed etiam calamo expugnaret, Christicolis literarum studio interdixit, ipse verò calamum strinxit illorum libellorum author, quos DD. Nazianzenus & Cyrillus solidissimè confutârunt. Ruinam profectò ultimam timuisset fidelium cohors, si vita longior Juliano favisset; eandem tamen fato uni tyranno fatali an. Imperii 2. in angustiis Persiæ abruptum telum ab ignota manu emissum, quod morienti extorsit blasphemam animam & vocem hanc ultimam: *vicisti Galilæe!* Symb. *Pennis suis ferriri grave. Marcellin, Zosim. Secrat. Theodoret. Sozomen. Ruffin.*

XLI. Jovinianus.

Præstantissimus corpore & animo Hungarus non procul Alba Græca an. 330. patre Vanoniano Comite nobilissimo natus, à primis incunabulis haud obscura dedit indicia indolis prorsus eximix. Prolem hanc sibi à Deo datam probè agnovit genitor, non minùs Religione, quàm militari virtute conspicuus: hujus igitur solerti cura à puero primis Ecclesiæ Romanæ rudimentis imbutum, instar testæ recentis odorem servasse optimum tradunt; experientia sanè fidei & morum magistra sæpè optima docuit universos, qualis quantusque fuerit Jovinianus in Ecclesia & Imperio: Juliano enim tyranno palam sæviente ac mandante, ut quisquis etiam è belli Ducibus Christo nuntium non quamprimum remitteret, is posito militari baltheo exulatum abiret: abiturum unà cum Ducibus Christianis aliis jam parabat Jovinianus inter domesticos Cæsaris tunc temporis dignitate vix ulli secundus. Verùm dum Valentinianus & Valens fratres Juliano &

no & Marti valedixere, Jovinianus ob sua simulque parentis insignia decora à Juliano retentus, in expeditione Persica tyranno fuit comes & amicus usque ad aras. Constantiam tanti herois remunerari Superi periculum amplius fecere prodendæ virtutis; sublato enim divina potius, quàm humana virtute Juliano, ab universo propemodum exercitu in Persiæ finibus Cæsar postulatus, Cæsaream dignitatem tum primùm admisit, dum electores milites in angustiis deprehensi suos errores adversus Religionem pristinos relinquere, atque ad Christi sacra se pronos ostendere coeperunt, necessitate corporis pro animi salute salubriter perorante. Ad eò inter armorum strepitus Religio & virtus non ultimum sibi locum vendicant. Erexisset procul dubio Jovinianus destructam à Juliano Ecclesiam, nisi Christianissimum Cæsarem hunc mors prorsus ignobilis inter communes penè omnium ejulatus eripuisset subito: post mensem enim Imperij octavum, dum diversorium recens extractum, & dealbatum, nimioque calore repletum ingressus erat, dormivit somnum ultimum an. ætat. 33. Imperator æterna memoria dignissimus, etsi non defuerint vituperatores ex gentilibus præsertim multi, qui hoc caput rerum in Joviniano reprehenderunt, quòd nimirum Susam & urbes alias munitissimas cum maxima ad Tigrim adita provinciarum parte Romani Imperij hostibus reddiderit, turpissimæ pacis vel author vel acceptor. Quasi verò tanta provinciarum & urbium jactura non potius Juliani temeritati, quàm Joviniani, ut ajebant, ignaviæ, re ipsa necessitati extremæ, fuerit adscribenda. Symb. *Scopus vite Christus. Marcellin. Zosim. Sozom. Soerat.*

XLII. Valentinianus I. & Valens.

Valentinianus nobilis Hungarus, tanti fuit habitus à Romanorum exercitu, ut mortuo Joviniano unanimi omnium calculo fuerit Cæsar electus. Teste Amiano Historico, Romanorum Imperium in Europa, Asia & Africa diversis ab hostibus tunc temporis convellebatur: ut igitur succurreret ex omni parte, Socium Imperatorem sibi junxit Valentem fratrem, haud prævidens ingentia mala, quæ in Republica Christiana essent hac ex societate

etate oritura; Valentiniano enim & Valenti mores erant valde dispares, & sacra nequaquam concordia; hic ut Romanam Ecclesiam funditus everteret, Arianis tribuit se & secum cuncta; ille ut fidem servaret Christo, publico relicto munere sub Juliano Apostata reliquit omnia. Imperator dein factus Valentinianus, idolorum cultum, quoad potuit, prohibuit: Orthodoxis enim Doctoribus Scholas aperuit, supersticiosos verò ariolos & sacrificulos, qui sub Juliano nimium invaluerunt, partim exilio multavit, partim Vulcano unà cum eorundem libris consecravit. Valens Imperator creatus, ut coronam Cæsaream diutissime conservaret, aruspices & artis divinatoriæ peritos adhibuit; horum pro in stygiis prælagiis territus, tulit è medio eos viros principes, quorum inchoari nomina noverat à literis *Theo*; his enim literis successoris in Imperio nomen inchoatum iri prædicebant augures homicidæ. Theodosio igitur M. Theodosii Imperatoris patri inter insontes cadendum fuit. Haud stetit hinc tyranni insania; octoginta quippe Orthodoxos Sacerdotes sibi supplices simul navigio imponi, dein verò in medium maris deduci, ac tandem crudelissimum in modum concremari mandavit. Verùm talionis poenam brevi expertus est tyrannus sacrilegus; à Gothicis enim in pugna vulnere lethali sauciatus, dum in agrestem campam haud procul Adrianopoli deportatur an. 378. inter flammam ab ignaris eum in locum conjectas, conflagrat æternum arsurus. Symb. *Val. Alienus ab ira, alienus à justitia.*

Valentinianus per duodecim Imperii annos relata crebrò de Germanis, Britannis, Polonis, Silesiis & aliis hostibus victoriâ, dum Silesiorum legatos postremum audiit, ob eorundem in verbis & gestibus, etiam coram Cæsare audaciam, tantum concepit animi dolorem, ut ruptâ in pectore arteriâ, unà cum copioso sanguine vitam funderet, Imperator ab Historicis valde laudatus, si paucos excipias, qui haud veriti sunt scribere, quòd Religionis varietatem aliquando in Imperio cunctorum arbitrio, & bigamiam sancita lege maritis permisit. Verùm de lege hac nec meminere quidem D. Hieronymus, Orosius, Severus & Zosimus, quorum tamen postremus Imperatorum Z. ilus, haud quicquam omisit vituperare, si qua via aut locus patuit vituperio. Quòd verò Religionem diversam quorumvis arbitrio reliquerit, suis-

met ipse Imperator refellit factis, quibus sua templa ademit Arianis, ut Episcopis Romanis redderet; aruspices verò & superstitionibus additos sacrificulos concremari iussit, ut locus amplior esset Sacerdotibus Orthodoxis. Indulgentior denique si aliquo tempore fuit in idololatrias aut hæreticos, indulgentiam hanc non tam accusare, quàm excusare consultum duxere authores; ajunt enim, oportuisse cedere multitudini, & quæ ferè semper est in incredula multitudine, furori ac seditioni. Symb. *Princeps Servator justus. Zosim. Socrat. Oros. Ruffin.*

XLIII. Gratianus & Valentinianus II. Fratres.

Gratianus & Valentinianus ex dissimillima matre fratres dissimilimi erant nati; Valentiniano enim patri Serena conjux prima ex asse Catholica Gratianum, Faustina verò conjux altera Valentinianum peperit, Ariò devotissima Imperatrix, Gratianum optimis moribus ab ineunte ætate Ausonius in Gallia natus Poëta informavit; Valentinianum filium mater pravo suo genio & muliebri inconstantia accommodabat, probatis præceptoribus adversa foemina. Hinc Gratianus unius Dei aris addictissimus deorum aras destruxit, parvi pendens plurimorum idololatrarum iram & odia, quæ vitam laudatissimo Imperatori eripuerit post 6. jam Imperii, ætatis verò 27. annum Lugduni in Gallia, ubi Maximus, rebellis copiarum & scelerum dux, totam Britanniam majorem sibi subjecerat; indè verò in Galliam transiens cum exercitu Armoricam provinciam ditionis suæ fecit, quam de Britannorum nomine minorem Britanniam appellavit, & demum propè Lugdunum in Gallia potitus est victoriâ, certò certius in Italiam quamprimum ovantem militem ducturus, nisi Mediolanensium Antistes Ambrosius, eloquentia sua plusquam humana, ab incepto itinere Maximum tantisper inhibuisset. Multorum etiam à Gratiano ad Maximum indè dixere secutum esse transfugium, quòd ille exterarum gentium milites Romanis copiis præhabens, Alanorum quoque more vestes induerit, consilio futuri parùm provido, & eventu rerum luctuosissimo. Symb. *Non quamdiu, sed quàm benè.*

Dum

Dum fata hæc tristia passus est in Gallia Gratianus, interea Valentinianum filium Faustina mater Arianorum placitis accommodabat; hinc tenerrimæ ætatis Cæsar haustus cum lacte Arii erroribus, tardissimè Crucem & crucifixum Deum colere didicit: imò Symmachi Romani Consulis, simulque idololatræ libello supplici & blanditiis usque adeò fuit permotus aliquando, ut aram & templum Deæ Victoriæ prius destructum, denuo instaurare in animum induxisset, nisi Ambrosius saniora consilia suppeditasset. Tandem tamen sublata genitrice tollere errores pristinos statuit Cæsar, Baptismatis salutare aquas ab eodem D. Præsule exposcens. Verùm dum gaudiò ovans Antistes hic Mediolanò Viennam Galliæ properat, Valentinianus ab Arbogaste Gallo belli duce, quem invitissimum suo ab officio removerat, ibidem præfocatur unà cum suis desideriis, felix æternùm si fuerint seria & sancta: talia verò fuisse, ipse omni exceptione major testis Ambrosius perhibuit oratione sua funebri, quam extincto Cæsari inter copiosissimas Christianorum lacrymas dixit an. Christi 392. postquam Valentinianus vixit annis 26. imperavit 16, Symb. *Amicus veterrimus optimus. S. Ambros. Ruffin. Zonar.*

XLIV. Theodosius M.

Felix Seculum Romanæ Ecclesiæ & Romano Imperio exoptatissimum! utpote cui seculo unà cum Augusto genitore Constantinus M. principium dedit felicissimum, & parem imposuit finem cum filiis Theodosius gemino suo nomine dignissimus, *Magnus* à Latinis, *Theodosius* à Græcis vocatus. Erat is primæ nobilitatis Hispanus; Trajano Imp. sanguinis propinquitate conjunctus; qui licèt inter bella natus fuerit & educatus, virtuti tamen & Religioni invenit campum amplissimum; post varios enim honoris gradus superatos, ob præclara in Rempublicam merita à Gratiano Imperatore in sororium, aut à Superis veritè in Imperii socium electus, scuto Religionis Romanæ fortissimè juxta ac felicissimè arrepto, constanter defendit Ecclesiam, Imperium & rem suam adversus hostes partim domesticos, partim externos. Ab Episcopis duobus potissimum fidei dogmate probè instructus, dum benè credere, imperare meliùs didicit.

L 2

cit.

cit. Alter Acholius Antiochiæ Præsul an. 380. Cæsarem Baptismatis lavacro abluit; alter Amphilocheus Jconii Antistes errores Arii Theodosium penitus damnare docuit, captata occasione ab ipso genitore & Arcadio filio, utroque simul Cæsare confidente: genitori namque eximia prorsus honoris indicia exhibuit, non item filio. Causam non absque utriusque Cæsaris fastidio rogatus, respondisse fertur, ita docere Arium cum sociis; Divino nimirum Patri singularem prorsus honorem toto non solum vertice, sed & corpore & animo toto deferre, non item Divino Filio. Haud odium, sed amorem conciliavit Amphilocheo opportuna comparatio; Theodosius enim Arii errores plenius edoctus, lata lege quamprimum restituit Episcopis Orthodoxis eas Ecclesias, quas Ariani pertinaci audacia sibi retinere laborabant: iussit pariter, teste Theodosiano Codice, ut omnes eam profiterentur fidem, quam D. Petrus Romæ doceret. Quanti proinde aestimaverit Theodosius M. Romanam Ecclesiam, & in Romana Ecclesia Supremos Præsules, vel ex eo etiam patet, quod D. Damaso, Summo Pontifici Concilium Constantinopoli I. congreganti, suam opem ac operam nunquam non addixerit, verbis ac factis potentissimus, ut Arius cum suis sectatoribus toto orbe proscriberetur. Dicere aliàs auditus est non raro, *pluris sibi esse Christiani*, quam *Cæsaris* nomen. Hactenus de Ecclesia, nunc de Imperio. Inter hostes Imperii principes fuere Maximus & Eugenius, uterque tyrannus, uterque in prælio captus, uterque à victore milite in frustra concisus, nemine ferme alio vitam hostibus reliquam optante, quam Theodosio, quem in cunctos summa clementia & miseratione maxima præditum fuisse concors est multorum sententia. Arbogastes tamen variæ seditionis author, Valentiniani II. Imperatoris proditor & latro, sublatis è medio scelerum sociis duobus, causæ pessimæ jure diffidendum ratus, summâ sui injuriâ maluit desperare, quam in optimi Principis clementiam spem ponere ultimam; ne enim vivus pertraheretur in potestatem victoris, violentas manus sibi intulit, fune spiritum suffocans, & carnificis munus occupans. Relatas de multis suis hostibus victorias multas haud sibi potius, quam Superis gratissimus tribuit emolumento suo maximo; quippe inter perpetuas noctis vigilias victoriam è cœlo novam petenti ac

flagi-

flagitanti Theodosio, præsentissimum adesse visum fuit flagitatum subsidium: vix enim decretoriæ pugnæ prope Aquilejam in Italia datum est initium, excitatus subito ventus validissimus, unâ cum densissimis pulveribus emissa ab hostibus tela suos in authores retorfit. Prorsus præclara hæc erat victoria; clarior verò fuerat illa, quam de se victo victor crebrò retulerat; iræ nimirum domitor ut foret constantissimus, legem sibi imposuit tum maximè servandam, cum ob rerum eventus minus prosperos eosque improvisos subito ira & furor insurgerent. Verùm vincentem sæpè se Cæsarem vicit semel fortior ira, permittens furioso militi civium Theffalonicæ septem omnino millia, ut tot funebus parentaret occiso à civibus urbis Præfecto. Arcuit idcirco procul Ecclesiæ aditu venientem Cæsarem Antistes Ambrosius, cui ad nutum paruit, Trajano major Imperator Magnus Theodosius, per menses octonos intra privatos parietes privatam, & dein publicam tori Ecclesiæ testatus poenitentiam. Deinceps verò ut tam judici, quam reo foret prospectum magis, lege nova sancitum severè voluit, ut mortis sententia in criminosos lata, ante unius mensis spatium haud perficeretur. Leges permultas alias Reipublicæ saluberrimas promulgavit, quas junior Theodosius suo Codice complexus solerter custodivit. Augustas conjuges duxit geminas, primam nimirum Flaccillam, hac verò extincta, Gallam Valentiniani I. filiam. Harum priorem Arcadii & Honorii Imperatorum matrem anno 386. vivis ereptam maximo-pere luxit; quatuor rerum capita commoverunt Imperatorem viduum si non ad fundendas lacrymas, certè ad ingeminandos gemitus & suspiria, quibus Augustæ piis manibus parentabat. Probè nimirum prospectum sibi habebat, quantopere Flaccilla profuerit Ecclesiæ, Imperio, genitori & filiis, bona mater, melior conjux, Imperatrix optima. Similibus quoque Theodosius dignissimus nominibus, conjugii vinculum multarum virtutum sibi fecit compendium, juratam fidem constanter servans Deo, Imperio, & conjugii. O verè Augustam fidem, quam à se violatam serò doluerunt non pauci, aliàs nominis etiam magni Imperatores & Reges! Tantis proin parentibus, quanti fuere Theodosius & Flaccilla, ut pares existerent filii in Imperio hæredes Arcadius & Honorius, præceptorem iisdem dedit Christiana do-

L 3

ctrina

strina instructissimum, Romanum Diaconum nomine Arsenium, quem Magistrum cum aliquando pedibus insistentem, discipulos vero filios suis sedibus insidentes deprehendisset Pater vigilantissimus, commonuit serio, ut deinceps Arsenius sedens doceret, filii vero starent & discerent. Vixit annis 60. ferè, imperavit verò 16. Theodosius M. quorum anno ultimo cum diem vitæ postremum imminere sibi probè intellexisset, Mediolani vitæ periodum absolvere studuit sine optimo an. 395. mortuus in manibus D. Ambrosii, quem Aulici adulatores dixerè hostem Cæsaris, Theodosius verò expertus est amicum usque ad aram. Symb. *Eripere telum, non dare irato decet. S. Ambros. Socrat. Niceph. Urspergens. Zonar. Evagr.*

XLV. Arcadius & Honorius Fratres.

Arcadio & Honorio ex Flaccilla Imperatrice probatissima natis, sed nondum adultis filiis Theodosius pater Imperium duas divisit in partes; in partes verò divisere plurimas bella simul domestica, simul & externa. Bellis causam dedere uberrimam Eudoxia Arcadii conjux, & Ruffinus, atque Stilico à Theodosio M. constituti tutores; nec non Theodosiani belliduces cum Gothorum Regibus Romanæ gloriæ invidissimis. Verùm meritas quamprimum dedere poenas Ruffinus Arcadio, Stilico Honorio; ille enim cum coronam Cæsaream suo jam capiti imponi juberet, caput amisit, ab Arcadii militibus triumphus causâ per castra portatum. Stilico pariter cum metam gloriæ se adeptum crederet, attigit vitæ terminum, occisus ab iisdem gregariis, quos prius ad defectionem animaverat perfidus dux. Hostem domesticum his majorem, dum ipsa fuit, dixit Eudoxia Imperatrix Ariana D. Chrysostrum, Constantinopolis Episcopum, quem in exilium abire compulit, ut amplior campus pateret Arianæ hæresi. Ferente summam hanc injuriam Chrysostrum, non tulit vindex injuriarum Deus; cedente enim S. Præsule, supervenit subito tristissimum Constantinopoli incendium, absumens simul templum S. Sophiæ, & primæ nobilitatis ædes; grando ingens pro-

stra;

stravit agrorum florem: Eudoxia puerperio succubuit; Arcadius in flore ætatis extinctus est an. salutis 408. numerans annos vix tres supra triginta, imperans an. 13. Atque adeò familiari suo eloquio sibi ac suis prælusit, dum crebrò dixit: *summa cadunt subito.* Immatura morte extinctum licet Arcadium, annis tamen Imperii sui ultimis haud omnino infelicem fuisse, jure pronuntiamus; pulsum enim in exilium D. Chrysostrum ardentè repetiit, & ejusdem dein mortui Reliquias sacras honore maximo in urbem principem reduxit; suos etiam simulque Eudoxiæ Augustæ errores privatim & publicè detestatus, supplices ad D. Innocentium I. Pontificem dedit libellos, quibus suam in D. Præsulis Joannis causa ignorantiam, conjugis verò imprudentiam confessus est, eamque ob causam venia facilè donatus, & mox anathemate solutus, ante fata ultima cum Superis & Ecclesia pacem stabilivit, pacis æternæ fructus percepturus. Altero ex capite felicissimus fuit Arcadius, quòd nimirum eidem morienti patri valedixerint unus saltem hæres masculus, Theodosius octennis parvulus, nec non quatuor filiæ, omnes denique inter Divas Virgines relatæ, quarum eximium in terris juxta ac coelis honorem, decus suam, nisi fallor, maximum jam pridem dixerit Theodosius tantarum Virginum Magnus avus.

Honorius fratre mortuo per annos 15. Occidentis Imperator fuit. Eadem ætate Alarius Visigothorum Rex peragratis cis & trans Danubium provinciis, cum copiosissimo suorum exercitu Italiam invasit; postquam tamen nec per biennium integrum Romam devicisset armis, dolis eandem vincere paravit, simulans verbis & vultu pacem, animo turpia coquens bella; namque datis & acceptis in rei fidem utrinque manibus, trecentos misit lectissimos juvenes, Romæ tristissimos obsides, qui intra muros admissi perspecta urbis natura, portam Asinariam subito occuparunt, intento in rei eventum toto Alarici exercitu, ut per eam viam in urbem irrumpens, igne ferroque vastaret omnia: hoc vanissimo titulo gloriosus maximè, quòd Romam orbis Dominam per nongentos annos nunquam, nimirum à Gallorum tempore expugnatam, expugnasset denuò Gothorum Rex Alaricus.

Inter

Inter selectissima Romæ spolia eminebat captiva Honorii soror Placidia, quam Alaricus jam senex juveni filio suo Ataulpho thalami consortem junxerat. Hæc ipsa partim suis consiliis, partim blanditiis Ataulphum permoverat, ne Romanum Imperium penitus dissolveret, aut penitus novam regnandi methodum Romæ introduceret. Quod verò Ataulphus tentare intermisit, experiri statuit Attalus, ob Arianam maximè hæresin Alarico acceptissimus, à quo proin purpurâ & Cæsaris nomine insignitus, Honorium in extremas angustias compulerat. Desperatis tamen humanis auxiliis coelum afflictissimo adfuit; ex defectu enim annonæ, quam Heraclianus Honorii dux & amicus in finibus Africae præter spem omnem interceperat; fames & pestis in exercitu Attali grassata, Romano Imperio salutis fuit adedò, ut ipse Alaricus Attalum & Cæsaris nomine, & insignibus spoliaverit, nec non amputata dextera in exilium ejecerit. Vestigiis Attali institit Heraclianus perfidus cum perfido genero suo Sabino, qui septingenta navigia adversus Honorium supra mare Mediterraneum, ut vocant, in classem adornârunt. Verùm vix in conspectum classis Cæsareæ venerat Heraclianus, subito correptus terrore, in parvum navigium transfiliens Carthaginem repetiit, ubi in templo *Memoriae* lethali vulnere percussus occidit. Tantis perfidiæ poenis nequaquam territi Tertullus Romæ Consul, Gratianus & Constantinus in Anglia duces, ac tandem etiam Gothorum Rex Wallia, Imperatori Honorio vim fecere: hos verò universos Constantius supremus militiæ Cæsareæ Præfectus victoriis pluribus prostravit. In mercedem præstitæ fidelitatis accepit victor Placidiam Ataulphi Gothorum Regis viduam unâ cum purpura, qua ornatus Honorii in Imperio socius brevi vitam finiit. Immatura quoque morte extinctus est Honorius an. æt. 40. Imper. 29. Christi 423. Imperator non tam ob bellorum gestorum gloriam, quàm constanter in Superùm auxilia conceptam fiduciam celebris. Victorias profectò frequenter de decem diversis tyrannis relatas, Deo gratissimus adscripsit, sub cuius scuto Religionem Christianam defendit constantissimè testibus *Orosio, S. Prospero & Sozomeno. Symb. Malè partum, malè disperit. Nicephor. Zosim. Zonar. Evagrius &c.*

Refle-

Reflexiones supra Seculum IV.

EO jam hoc seculo pervenere hætenus socii mei, ut in diversas omnino semitas à me declinaverint. Tametsi enim Erdmannus & Hübnerus in diversis suis foliis *Ecclesiam Dei visibilem* haud vanis miraculis seculo IV. divinitus propugnatam fateantur, in gestis maximè Constantini Magni, Juliani & Theodosij Magni; calamum tamen violentum stringere non verentur in Constantinum M. aut potius in Romanam Ecclesiam, dum sequentia objecere rerum capita.

- I. Constantinus M. Constantij Chlorig filius ex Helena procul dubio fuit susceptus; an verò Helena hæc fuerit conjux legitima, an concubina, adhuc sub iudice lis est. *Hübner. fol. 480.*
- II. Constantinus M. non fuit baptizatus Romæ à Sylvestro Pontifice;
- III. Sed Nicomediæ ab Eusebio Episcopo an. Imperij ultimo seu 37. *Hübner. fol. 482. Erdman. fol. 141.*
- IV. Causa dilati Baptismatis erat, quòd Constantinus ablui desideraret salutari fonte Jordanis; cum sciret, liquore simili ablutum fuisse Christum Servatorem suum. *Iidem fol. cit.*
- V. Hinc Donatio Constantiniana toto in orbe notissima, omni fundamento penitus est destituta. *Iidem.*
- VI. Constantinus M. in Synodo Nicæna an. 325. congregata egit Supremum Episcoporum Præsidem. *Erdman. fol. 44.*

Reflexio ac Responsio I. ad. I.

HAud ego te Hübnerem nunc Catholicorum calamis pungam, sed tuorummet amicorum, aut certè, non inimicorum telis confodiam. Lege absque mora Erdmanni fol. 135. de Constantino M. in quo hæc tibi occurrent verba planissima: *Zosimus lib. 2. cap. 8. ex invidia Helenam Constantii Chlorig concubinam vocavit, ut Constantini M. natales obscuraret. Verùm Scriptores ethnici alii, scilicet Eutropius lib. 9. cap. 14. & Aurelius Victor in Diocletiano satis responderunt Zosimo: En! Erdmannus Historicus Lutheranus,*

R. P. Kolb Series Impp. M En!

En! Eutropius & Aurelius Scriptores ethnici simulque antiquissimi, te recentissimum penitus exanimant; imò tu temetipsum perimis: fatearis enim in tuis tabulis Genealogicis tabul. 21. Helenam fuisse haudquaquam Trevis ancillam cauponariam, sed in Anglia natam Chaelis Regis filiam. Affirmas quoque, Constantium Chlorum à Maximiano tyranno coactum, dedisse libellum repudii Helenæ, ut duceret Theodoram ejusdem tyranni filiam, & Imperii partem acciperet, futurus sic Imperator perpetuus. Haud inficiaris adhæc in Imperii hæredem solum Constantinum fuisse Româ in Angliam vocatum & electum, omissis tribus ex Theodora filiis, scilicet Anibaliano, Constantino altero & Constantio. Meministi præterea, nec à suis æmulis, quos habuit plurimos, Imperatorem Constantinum fuisse uspiam dictum aut spurium, aut trivialis matris despectum filium. Si itaque alterutram, vel Helenam, vel Theodoram putas dicendam potius concubinam, quam conjugem, cur non animosius asseris concubinam fuisse Theodoram, quam nôsti procul dubio in Helenæ pulsæ thalamo fuisse locatam. Aut si ex Chlori filiis quempiam mavis dicere spurium, quam filium legitimum, cur non potius ignominia nota eos denigras, quos parentis Caesaris testamento postpositos Constantino M. novit orbis universus? Miror ego multis modis patrociniū tuum Hübnerē, quo patrocinaris magis Theodoræ, Maximiani tyranni natæ, quàm Helenæ Regis tandem Christiani Christianæ filia. Adverto hîc ego, haud fallor, causam tantæ displicentiæ tuæ; non tam displicet tibi Helena, quàm fortè Crux Servatoris tui ab eadem tam sollicitè quæsitā, quæ primis seculis fuit scandalum Judæorum, seculis ultimis verò cœpit esse Lutheranorum. Adeò confidunt in crucifixi Dei meritis, qui inter arborem frugiferam, & aridam haud invenêre discrimen, fugiuntque Crucem, ut Crucifixum inveniant. Rem totam inter Chlorum & Helenam, aut conjuges alios gentiles qua ratione evenit sæpè, dabo apertiolem. Veritâ polygamiâ, nefas non habebatur inter gentiles, ex gravi causa dare repudii libellum uxori; hinc ipse Augustus tribus aut duabus repudiatis conjugibus, cum Livia demum annos 50. in pace transigebat. Constantinus M. non minùs dimissa Minervina conjugē prima, secundam sibi jungebat Faustam Galerii filiam, uti nôrunt

Histo-

Historici. Cùm itaque Chloro à Diocletiano & Maximiano pars Imperii fuisset oblata eo pacto, ut dimissa Helena, Theodoram Maximiani filiam duceret, causam id faciendi gravissimam esse ratus, soluto conjugii vinculo primo, sese alligavit altero Theodoræ. Edic porrò, an non etiam inter Lutheranos par ferè huic gentilium doctrinæ viget lex hodie, ob quam sibi integrum esse existimant ex causa gravi, scilicet adulterii, dimittere conjugem priorem, ut detur locus posteriori? En igitur, quàm vicini sint hac etiam in parte gentilibus Lutherani, quàm procul verò ab illis Romano-Catholici! Ostende sis verò etiam, quòd vel ullus Imperatorum aut Principum Romano-Catholicorum sibi fas esse putaverit dimittere conjugem ullam, ut solutò matrimonii vinculo non vetitum audiverit, in thalamum inducere conjugem alteram. Ostende sis simul, Lutheranorum de conjugio dissolvendo doctrinam fuisse probatam Ecclesiæ olim veræ ac visibili, minùs verò probatam eam, quam nunc tenet Romana Ecclesia de conjugiiis nunquam dissolvendis, nisi mortis beneficiò. Talia si ostenderis, magnum te Hübnerē Apollinem omnes venerabimur. Hæc tibi si minùs sufficiant, perlege paucis Ruffinum lib. 10. in Eusebii Historia Ecclesiastica, in qua vocat Helenam incomparabili fide & Religione animi, ac magnificentia singulari feminam, cujus jure Constantinus esset filius. Idem lib. 10. c. 8. de eadem Helena hæc refert: reliquit etiam hæc indicium Religiosi animi Regina Venerabilis: Virgines, quas ibi reperit Deo sacratas, invitavit ad prandium, & tanta eas devotione curasse dicitur, ut indignum crederet, si famulorum uterentur officiis; sed ipsa suis manibus, famulæ habitu succincta cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina NB. orbis ac Mater Imperii, famularum Christi se famulam deputaret: & hæc quidem Hierosolymis gesta, Hucusque Ruffinus in Eusebio.

Duo ex his potissimum tibi collige notanda Hübnerē, Helenam nimirum fuisse Reginam aut Imperatricem, non concubinam; item Virginitatis jam in prima Ecclesia æstimationem fuisse maximam in aulis etiam Regum ac Imperatorum. Hæc si ritè notaveris, gradum ulterius faciemus.

M 2

Refle-

Reflexio ac Responſio II. ad. II. & III.

DUm de Constantini M. ſacro Baptiſmatis lavacro incidit mentio, quæſtioni continuò ſubjiciendi ſunt mihi Erdmannus, Hübnerus & quivis alij horum ſocij; quæro hinc: an fuit Constantini, Baptiſmum poſcentis tempore, Romana Eccleſia etiamnum *vera & viſibilis*; an verò jam tranſiit iſthoc tempore in *invifiibilem*? ſi prius tenendum ſit, tunc apertiffimè contra *veram eamque viſibilem* Romæ Eccleſiam inſurgit & arma capit Lutheranorum exercitus. Si verò poſterius placeat, tunc procul dubio aſſeritur, Constantinum evaſiſſe membrum Eccleſiæ haud ampliùs *veræ*, ſed fallacis, errantis, haud *Chriſtiane* deinceps, ſed *Anti-Chriſtiane*.

Fatemini verò in veſtris libellis, hoc ſeculo IV. etiamnum floruiſſe Religionem Chriſtianam, eamque veram ac viſibilem, maximè in Constantino M. Sed durum eſt vobis fateri ſimul, eandem Eccleſiam veram, Chriſtianam ac viſibilem fuiſſe Romanam, malletis nimirum Constantinopolitanam aut Nicomediensem. Non placet vobis *Tiberis aqua*, *Jordanis unda* ſapit magis. Rem clariorem mox dabo.

Ut audacter aſſeratis, hujus ſeculi decus maximum Constantinum M. non Romæ, ſed Nicomediæ, non à Pontifice Sylveſtrò, ſed Epifcopo Eufebio, non circa annum Salutis 312. aut 324. ſed an. 337. fuiſſe Baptiſmatis lavacrò purgatum, author eſt vobis Eufebius Nicomediæ, & ſimul Eufebius alter Cæſareæ Epifcopus, quorum prior Constantini ex ſacratiffimo hoc fonte ſuſcepti ſe præſentiffimum teſtem fuiſſe dixit, poſterior verò idipſum ex parte ſcripſit in hunc modum: *indè tranſiit Imperator ad ſuburbia Nicomediæ, quò advocatos Epifcopos hoc ferè modo eſt allocutus: Iſta mihi jam pridem ſitienti precantique ſalutarem opem à Deo per-equidem optata lux: & ſigillo vitæ nos aliquando frui demeremur, atque eſſe participes: ego Jordanis vada cæpi tandem inducere in animum meum, in quibus iſto more noſtro ſervator ablatus eſſe traditur &c.* hæc Eufebius. Alibi Baronio teſte Eufebius Nicomediensis à ſe Constantinum Baptiſmate fuiſſe ablutum aſſeruit, cui aſſertioni minimè contradicent adverſarij mei.

quibus

quibus in circumſtantiis librum ſcripſerit ſuum Eufebius Cæſariensis, ante omnia conſiderandum eſt. Eadem ætate bellum Eccleſiæ Romanæ moverat Arius transfuga perditus, *Chriſtum filium Divino Patre minorem prædicans*, & ſuas in partes ingentem hominum multitudinem trahens. Inter Arij aſſeclas haud ultimus erat Eufebius nuſpiam ſibi aut Eccleſiæ conſtans ſatis, imò ſibi & Eccleſiæ contrarius totus. Atque ne jaçtantiùs, quàm veriùs dicere hæc videar, legantur Baronius, Belarminus, Spondanus ſupra annum Chriſti 302. ubi ex D. Epiphania refertur, Potamonem Heracleæ in Ægypto Epifcopum & Eufebium libri authorem carcere concluſos, hunc tormentorum horrore concuſſum fidem negaſſe; illum verò, Potamonem nempe oculi jaçturam tunc ſubiſſe, jubente multorum oculos erui Diocletiano. Quin ex ipſo fonte hauriamus aquam, legamus Eccleſ. Hiſtoriæ librum VIII. aut in hoc duntaxat cap. 3. ubi Eufebius ſic orditur: *Post non multum verò temporis adduntur & alia. Jubetur, ut omnes, qui per loca ſingula Eccleſiis præſunt, primò quidem conjiciantur in vincula, tum deinde omnibus ſuppliciis immolare ſimulacris cogantur. Hic verò ingens ſpectaculum Sacerdotes Dei effecti ſunt huic mundo, & angelis, & hominibus, cum perſecutorum crudelitate ad ſupplicia raperentur &c. Illos autem qui & multò plures fuerunt, NB. quos metus oppreſſit, & ante congreſſum ſolus terror eliſit, præterire meliùs puto. Cateri verò, quorum mens promptior, & fides validior fuit, tormenta patiebantur &c.*

Hæc verba ſolerter notavit C. Baronius cum authoribus multis, inter quos veniunt D. Athanaſius & D. Hieronymus, qui Eufebium apertiffimè non modò Arij ſeçtorem, ſed *Arianorum Ducem* apellant.

De Eufebio autem altero Rufinus author eidem contemporaneus hæc refert lib. 10. Eccleſ. Hiſtor. c. 5. in fine: *Decem & ſeptem (ex trecentis & octodecim Epifcopis) ſoli tunc fuiſſe dicuntur, quibus Arii fides magis placeret, extrinſecus creatum Dei filium ex nullis ſubſtantibus, & non ex ipſa Patris Deitate progenitum confirmantes. Deſertur ad Constantinum Sacerdotalis Concilii ſententia: ille tanquam à Deo prolata veneratur, cui ſiquis tentàſſet obniti, velut contra Divina ſtatuta venientem, in exilium ſe proteſtatur açturum. Sex igitur ſoli cum Ario ſe patiuntur expelli, reliqui verò undecim conſilio inter ſe habito acquieſcunt ad ſubſcribendu*

in sola, non mente, cujus simulationis NB. author præcipuè extitit Nicomediæ Episcopus Eusebius. Hactenus Ruffinus.

En utrumque Eusebium non meo, sed priorem suomet, alterum verò Ruffini antiquissimo penicillo primis duntaxat lineamentis depictum, & tamen jam nigerrimum.

Age verò Hübner, & tu Erdmanne, rem penitiùs inspiciamus, componamus singula, ut comperta tandem veritas in medium prodeat. Vos ambo concordia vestris in libris pronuntiatis, Constantino M. an. 311. haud procul Treviris in aère spectatum fuisse S. Crucis signum hac syngraphe inscriptum: *in hoc signo vinces!* aut *in hoc vince.* Uterque eodem tenore affirmat, sub annum mox sequentem ad Christi Sacra conversum, dici coepisse *Christianum*; uterque vestrum testatus est, ad delendum Arium à Constantino Nicæam convocatos fuisse 318. Episcopos, ut dicerent in Concilio sententiam. Uterque asserit, Concilij ejusdem supremum Præsidentem eminuisse Constantinum. Ab Ariana item doctrina & amicitia remotissimum fuisse hunc Cæsarem, vestra est hodie sententia. Hunc ipsum Imperatorem arte & scientia, virtute & doctrina, prudentia & sapientia inter Imperatores Christianos vix ulli secundum fuisse, vestra est mens & opinio. Jam verò si Constantinus an. 337. annorum 66. senex Nicomediæ S. Baptismatis fonte fuerit lavatus, qua ratione evadere in *Christianum* jam potuit an. 312.? quo pacto in Ecclesia principem sedem occupavit Cæsar, qui nec per Ecclesiæ januam, Baptismum scilicet, in Ecclesiam ingressus est perpetuus *catechumenus*? qua methodo in Oecumenica Synodo supremi Præsidentis functus est munere adversus Arij & Arianorum doctrinam nondum Ecclesiæ membrum? Quî fieri potuit, ut Imperator scientiâ, doctrinâ, prudentiâ, sapientiâ & virtutibus Imperatoriis aliis clarissimus, inter tot suos & Imperii hostes, inter summa rerum discrimina, inter perpetuum Martem & mortem in annos nimirum multos distulerit remedium inter Ecclesiæ media summè ad salutem animæ necessarium? Et hem! quale prudentissimi Cæsaris fuisse argumentum edicant, ut ita fecisse videri vellet. *Jordanis saluberrimus liquor totum sibi Constantinum vendicabat, utpote quo ablutum fuisse intelligebat Servatorem Christum.* Verùm liceat hîc quærere, an forte ea

tè ea ætate ita mos ferebat, ut Jordanis libentiùs, quàm alterius fluminis unda lavarentur animæ potiùs, quàm catechumenorum corpora? minimè constat. An tanto tempore differendi Baptismum quisquam legitur exemplo prævixisse Cæsari, an Cæsaris exemplum quisquam est secutus? de nemine liquet; tametsi Regum exempla fortiora sint crebrò ipsis legibus. An non ex Jordane Romam usque aut alias in urbes Constantino præsentibus potuisset perferri facilè Jordanis gutta minima aut maxima? potuisset enim verò perferri in Italiam, Germaniam &c. quin ut eò perferretur, opus non erat; Constantinus enim in Palæstinam & vicina regna totos haud semel tantum misit exercitus, dux ipse persæpè inter duces Magnus & Maximus. An verò sui damnatus est denique voti Cæsaris in fide ardentissimus? minimè gentium; sed spe sua deceptus, morte præmatura deprehensus, *in suburbis Nicomediæ ab Eusebio Ariano Episcopo lotus, lautus ac lavatus mortem oppetiit.* Ita *Eusebius*, ita *Hübnerus* cum sociis defendit mordicus. O igitur Imperatorem sanè infelicissimum, qui nec Jordanis aquas nec Sacerdotem Christiana sacra propugnantem in vitæ discrimine ultimo impetravit, sed potiùs in ipso vitæ termino Christi desertor, & Arianorum Sacerdotum factus mancipium, horum in manibus spirare desit & sperare! Adèd Constantinum M. non ego, sed Erdmannus & Hübnerus deprimunt, dum tamen vel inter primæ magnitudinis sydera, hoc est, inter Romanorum Imperatores Christianos hoc nomine *maximos* collocant!

Responsio ac Reflexio III. ad II. & III.

S Equar hîc vestigia Erdmanni & Hübneri, æstimabo tanti, quanti æstimare citra errorem licet Eusebii Cæsariensis auctoritatem, præsertim in iis rerum capitibus, in quibus nec sibi nec Ario favisse nimirum putandus est. Percurramus unà celerrimè Eusebii Ecclesiasticam Historiam, ut quæ tum Hübnero &c. tum etiam mihi patrocinari fuerint visa, paucis annotem: tunc enim eveniet, ut quantum Eusebii auctoritas valuit Lutheranis &c. contra Romam & Romanos, tantum valeat necesse sit Romæ & Romanis contra e. g. Augustanos aut Saxones Lutheri asseclas.

Euseb.

Euseb. lib. 2. Eccles. Histor. cap. 14. de D. Petro scribit hunc in modum: à Divinae clementiae providentia probatissimorum omnium Apostolorum maximum, fidei munificentia & virtutis meritò primorum Principem Petrum Romam venisse in ipsis Claudii Imperatoris temporibus &c.

Idem Euseb. eod. lib. cap. 15. asserit, quòd illo tempore D. Marcus NB. Romæ Evangelium suum cœperit scribere. Addidit etiam sequentia: Petrus in Epistola sua, quam de urbe Roma scripsit, meminit Marci, in qua NB. tropicè Romam Babylona nominavit, cum dicit: salutem vos ea, quæ in Babylone est, electa Ecclesia & Marcus filius meus.

Dein cap. 17. ita refert: NB. continentiam Christiani velut fundamentum quoddam primò in animo collocant, & ita demum reliquas super banc pergunt edificare virtutes &c. Eod. cap. inferiùs Historiam suam sic profectur: cum viris autem sunt & fœminæ, in quibus plures jam grandævæ sunt virgines, integritatem casti corporis non necessitate aliqua, sed devotione servantes, dum sapientiæ studiis semet gestunt non solum animò, sed & corpore consecrare, indignum ducentes, libidini mancipare vas ad capiendam sapientiam præparatum.

In vita, ut appellat Constantini M. lib. 9. in diversis paginis recenset, sacratissimæ Crucis signum de die in aère; de nocte autem in somnis aut somniis spectatum Cæsari: hunc proin tantis commotum ostentis, cœpisse frontem cruce signare, crucem vexillis inserere, labaris circumferre, Romæ & aliis in urbibus instar trophæi erigere, crucis ignominiam legibus tollere &c. ut compendio rem dicam, summo in honore S. Crucis imaginem habere &c. Similia his sanè plurima reperire est in reliquis Eusebii libris Historicis, in quibus tum alienis, tum suis testimoniis perhibet Christianorum Ecclesiæ usitatissima suo tempore fuisse complura summi momenti capita, quæ tamen hac nostra ætate cane pejus & angue odio habent Lutherani. Si verò Eusebii autoritas æstimatur maximi in uno alteròve rerum capite, cur vilipenditur quamprimum in capite altero, quod tamen ab Arii & Arianorum dogmate est remotissimum? cur continuò placet, si Romanis non favet Eusebius; cur illico displicet si Luthero non faveat? tribuendum sanè est aliquid Eusebianis libris, ubi partium studia non obstant. Tribuerem ego plurimum Hübneri tomulis, si non perpetuò

tuò dicerent mihi: author hic noster nunquam fui aut suorum, sæpè autem veritatis est immemor, partium studiis vir addictissimus. Cæterum si qui authores alii, vel Latini, vel Græci hac in causa afferantur contra Romanos pro Eusebianis, hoc est, Arianis, tunc iidem authores ovium instar Eusebium secuti sunt absque prævio rerum examine; vel non de Constantino M. sed de hujus filio Constante, quorum posterior post susceptum Baptisma brevè extinctus esse traditur, scripserunt; vel denique eorundem libros hac etiam in parte corruerunt Ariani. Ita profectò non modò suspicari, sed firmiter tenere nos jubent maximi momenti argumenta ab authoribus multis allata, quæ facilè inveniuntur in Anastasio Bibliothecario, C. Baronio, Pappebrochio, Raskewo aliisque authoribus tum Recentioribus, tum Veteribus. Omnia hæc persuadent sibi faciliùs Lector, si adesse noverit Romæ monumenta rei veritatem exhibentia plurima, uti sunt lapis Baptismalis, erectæ basilicæ & multa opera, tum ante, tum post susceptum Baptisma diebus septem continuis à Christianissimo Cæsare peracta; quæ, nisi Romani hodie manifestæ fraudis, aut gravissimi mendacii convincantur, favet ipsis titulus possessionis, per quatuordecim secula ad nos usque factam traditionem etiam optimè stabilitus.

Reflexio ac Responso IV. ad IV.

SI eo ex capite ruat ruinosæ instar domûs Donatio Constantiniana, eò quòd Constantinus non Romæ, sed Nicomediæ, non à Sylvestro, sed ab Eusebio Baptismatis fonte à culpis fuerit mundatus, veluti gloriatur per nobile Historicorum Hübnerus & Erdmannus; tunc stylo in contrarium verso æquiori jure licebit mihi asseverare, quòd eadem Donatio instar inconcussæ petræ stare perseveret, quoniam velut in cineres abiêrunt machinæ & molimina supra Eusebium & Nicomediam ab eodem Hübnero & socio ædificari cœpta, sed parùm consummata. Romæ siquidem per Baptismum Ecclesiæ januam in Ecclesiam Romanam Magnum hunc Cæsarem fuisse ingressum præter soluta adversariorum argumenta testimonium vel hodie dicunt unanimis ferè vox populi, monumenta saxea, argentea & aurea, ac insuper testes suis in libris superstites tot ac tanti, quibus si Eusebium

bium & Eusebii sectatores compares, nec muscam quidem intueri licebit elephanto comparatam. Peractas verò Augusti Baptismatis ceremonias, proximè insecutam fuisse Romæ Donationem illam etiam inter vulgus notissimam haud coacti fatentur vel Jurisperiti vel Historici multi, quos vel invidia in Romanos Pontifices concepta, vel alius, nescio, quarum partium affectus non in transversum egit adeò, ut Donationem hanc vix Æsopi fabulis dignentur annumerare. Valeant verò hìc, quanti quanti fas est valere, Jurisperiti aut Theologi, aut Historici Lutherani; fingant causam vel casum evenisse hunc aut similem Ecclesiæ Lutheranae aut Calvinianæ in Electoratu Brandenburgico, sive Ducatu Wirtembergico, vel quavis in regione ab Augustana confessione nomen habente. Inter risus & cachinnos haud dubiè exclamarent iidem Jurisperiti, aut Theologi, aut Historici Lutherani: mittite procul hinc supervacaneas lites & inania jurgia, non usque adeò in angustias compulère nos quorumvis vel Politicorum, vel Historicorum argumenta, ut si Donationis Constantinianæ vetustissimus, ut ajunt, *titulus* ruat, non alia perinde constent sibi pro causa, aut casu nostro fulcra ac munimina. Fuit nimirum, & erit deinceps Elector Brandenburgicus, Dux Wirtembergicus & Ecclesia Augustana à *longissimo tempore à multis seculis in possessione &c.* Huic titulo omiſſis quibusvis aliis authoribus & testibus recentioribus, imò plurimis antiquioribus accedunt solùm testes omni exceptione majores DD. Cyprianus, & Epiphanius simulque Imperatores Carolus M. hujus filius Ludovicus Pius, Otto M. S. Henricus, Albertus I. Rudolphi Habsburgici filius &c. qui datis litteris, Augustissimis testimoniis asseverârunt, haud quicquam Juris aut potestatis sibi competere in eas vel urbes vel provincias, quas Donatione Constantiniana vel vera vel vana comprehendendi in vanum disputant nequaquam Græciæ Sapientes. Ita profectò in causa propria responderent, & risus ac cachinnos cicerent possessores Lutherani. Verùm si hæc liceant Themistocli, cur non & Epaminondæ? Risu nempe & cachinnis, quàm ira aut indignatione digniores sunt hi qualescunque adversus Romanam Ecclesiam actores aut accusatores, qui *molossorum instar eandem velut lunam lucidam perpetuò*

tuò allatrant, & non modò injustæ possessionis dominam appellant, sed veluti unam de Zingarorum gente rapacissimam Harpyam vocant. Obsecro huc adeste animis & cunctis sensibus vestris, quotquot amantes estis sinceræ charitatis & veritatis, numerate tantisper diœceses, Cathedrales aut Collegiales, uti vocamus, Ecclesias, monasteria urbes, oppida, vicos & villas seculo XVI. & XVII. Romanæ Ecclesiæ, Romano Imperio & Catholicis Regibus, aut Viris Principibus ademptas, quas suas modò per seculum integrum dicit vel Lutherana, vel Calviniana vel alia nova religio. An non majori jure de armorum violentia, de vi injusta, de fraude & confictis mendaciis tantorum bonorum qualescunque possessores reos agere est perquam facilè? vix namque longissimus Rheni, Danubii, Moeni & aliorum nobilissimorum fluminum tractus ullam urbem aut oppidum alluit, quæ non vel hodie quærat illatam sibi vim maximam & extremam violentiam ab iis maximè, qui rapacissimis manibus ac pedibus in sacras ac profanas possessiones involârunt, & suis domibus æquos rerum dominos exturbârunt, iis perquam similes avibus, quæ nidos haud extruunt, sed ab aliis extractos invadunt, & inde guttur in has voces solvunt: *sic vos non vobis nidificatis aves: sic vos non vobis mellificatis apes.*

Reflexio ac Responſio V. ad V.

HAudquaquam displicere potest Lutheranis Historicis Nicæna Synodus, nisi ausint dicere, omnem *veram* eamque *visibilem* evanuisse Ecclesiam eo jam tempore, quo eadem Synodus fuit celebrata, an. nimirum 325. Neutiquam displicet, imò placet maximè Hübnero & hæc Synodus & alia universæ Ecclesiæ Concilia, sed prima duntaxat, non postrema. Minimè verò ita eidem & sociis placeret hoc primum Concilium, si potiùs à Romano Pontifice, quàm à Romanorum Imperatore congregatum, institutum ac consummatum fuisse intelligerent; indè evenit, ut uno velut ore ac calamo sibi oraculum finxerint, quo Constantinum M. Supremum in Nicæna Synodo Præsidentem, primam ac supremam manum tanto operi admovisse affirmârunt. Non ego hìc mihi patronos advoco illos Historicos magis, qui Romano Pontifici sacramentum dixère, quàm eos, quos ducunt maximi Hübnerus

& socii, scilicet Eusebium & Ruffinum, ne authoritatem meis ab adversariis magni habitam, ego parvi pendam in rem meam. Aperiamus igitur Eusebii Historiam, à Ruffino continuatam; in eodem lib. 10. cap. 2. referuntur Episcoporum maximè Arianorum jurgia, & ad hæc Constantini M. responsum his verbis: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi: & ideò nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra jurgia ad illud Divinum reserventur examen. Vos autem nobis à Deo dati estis Dii, & conveniens non est, ut homo judicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est, Deus stetit à Synagoga eorum, in medio autem deos discernit.* Ex relatione itaque Eusebii atque Ruffini nulla ratione adigi potuit Constantinus, ut de Episcoporum caula quæstionem moveret, aut arbitrum ageret, probè gnarus, Imperatoris esse, *Episcopos juvare, non judicare.*

Verùm haud me satiat unius Eusebii aut Ruffini authoritas, potius ipsa excitat orexin, ut quid authores fide digniores longè, de Constantini in Concilio præsentia & dignitate scripserint, aveam intelligere. In loco itaque omnium principe collocatum fuisse Evangelii librum, Constantinum verò in *sella aurea* inter superiores Episcopos posita, haud consedisse prius, quàm Episcopi omnes, ut eum locum occuparet, & nutibus annuissent, & verbis significassent, affirmant unanimi calamo præter *Eusebium Socrates, Theodoretus, Sozomenus* aliique authores vetustissimi, ex quibus simul juvat intelligere, quod munus sumpserit sibi peragendum Imperator in Concilio præsens, haud Præses: munus sui esse existimavit, *attentè audire, studere paci, favere veritati & fovere concordiam, tumultus comprimere, non autem ferre suffragium; vel causam sententiâ definire, vel quampiam ad eam rem pertinentem inconsultis Patribus legem ferre.* Unde Divus Ambrosius epist. 32. ad Valentinianum Imp. missa, enixè commendavit singularem Constantini M. in Nicæna Synodo spectatam modestiam, *quòd liberum in omnibus reliquerit de fide judicium Episcopis.* Age verò, si Constantinus M. inter Ecclesiæ congregatos Patres eminuit Supremus Præses, & quidem *jure Imperatori proprio*, edic porrò, cur minùs perrexerunt

xerunt id juris sibi vindicare Imperatores Conciliorum tempore proximi, nimirum Theodosius M. Theodosius junior, Martianus, Constantinus IV. &c. certè nec verbo meminere Historici, ex quo liceret cognoscere, ullum Imperatorum horum hanc sibi prærogativam, aut petiisse, aut postulasse. Hoc verò dilucidissimis verbis expressere authores, Gregorium M. & Nicolaum Pontifices literis ad Mauritium & Michaëlem Imperatores datis monuisse, ut *nullam sibi adversus viros Ecclesiasticos arrogarent potestatem*, ducti ac animati exemplò Constantini M. cujus responsum ad Episcopos litigantes prolatum recitat Sozomenus & Theodoretus in hunc modum: *istæ criminationes tempus quidem sibi præstitutum habent, diem magni judicii; judicem autem, qui sit tum de omnibus sententiam pronuntiaturus: mihi verò non est fas, cum homo sim, ejusmodi causarum cognitionem arrogare, præsertim cum & qui accusant, & qui accusantur, Sacerdotes sint.*

Accedit his omnibus argumentum validissimum, quo demonstratur, alium præter Osum Cordubensem Episcopum Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, ac Sylvestri Pontificis Nuntium neminem fuisse *supremum in Concilio Præsidentem.* Ita profectò præter authores Latinos confessi sunt Scriptores Græci Dalmatius Cyzicenus Episcopus, & Photius Patriarcha Constantinopolitanus, etsi aliàs Romanorum Pontificum hostis infensissimus. Multa igitur occurrunt denuo, quæ suis in libellis ut delet Hübnerus, suadeo, imò cogit delere veritas Historiæ perpetuò ita amica, ut Historia non sit, ubi veritas non est.

REFLEXIO VI.

AD finem seculi hujus IV. moneo, rogo, obsecro & obtestor Lectores quosvis tam Orthodoxos, quàm Heterodoxos, ut quanta possunt diligentia, in animum suum inducant, & memoria crebrò repetant hujus seculi Imperatores tum maximè probos, tum maximè improbos. Ne quæso facilè memoriâ excidant insignia prorsus miracula, quæ Deus omnis sinceri miraculi author, pro Ecclesiæ suæ incremento, nunc imperante Constantino, nunc Theodosio utroque *Magno*, nunc imperantibus probatis Imperatoribus aliis, vel uno hoc seculo palam exhibuit stupentibus cunctis ad insolitam rerum faciem.

Perpendant simul, quo potissimum modo Ecclesiæ hostes infensissimos Maximianum Herculeum, Galerium Maximianum, Maximinum, Maxentium & Licinium Constantinus, Maximum verò, Eugenium & Arbogastem Theodosius non nisi inter cœlestis subsidii ostenta ad interneccionem deleverint. Oblivioni dentur minimè fata Constantii junioris, Juliani Apostatæ, Valentis & aliorum hoc seculo à Deo vindice punitorum tyrannorum. Colligantur etiam unum veluti in fasciculum ea ferè omnia, quæ & ipsimet Scriptores Luherani non audent inficiari, & Authores plurimi typis expresserunt de Ecclesia Dei hoc sanè seculo nemini non spectatissima, quorum aliqua, ut vel per otium Lector volvere, & ad manum in compendio habere possit, ex variis iisque antiquissimis authoribus secundum annorum seriem huc adscribere placuit.

Augmentum Ecclesiæ Romanæ, Romanorum Imperatorum maximè auxiliis hoc IV. seculo promotum.

Quam incrementum res Orthodoxa sub Constantino M. acceperit primis post susceptum Baptismum annis, scilicet circa annum 320. vel ex eo colligere licet, quòd præter 318. Episcopos tum in Oriente, tum Occidente, Episcopi plures alii diœceses erexerint, & parœcias plurimas suis Parochis distribuerint. *Vide Authores passim Græcos & Latinos apud C. Baronium.*

An. 327. Opera Frumenti Tyrii Catholici viri, qui visendi orbis causa ad Indos Orientales pervenerat, & ab Indorum Rege regni gubernacula temporis successu acceperat, ingens hominum multitudo ad Christum fuit conversa. *Secrat. Ruffin. Sozomen.*

Eodem anno Bacurius Iberorum seu Colchorum ad mare Caspium Rex ad Fidem Romanam conversus, missis ad Constantinum M. legatis petiit, velut vocamus, missionarios. *Authores iidem.*

An. 330. Ovinus Gallicanus Constantini M. gener à Scythis hostibus in iummas angustias redactus, detrectante etiam ulteriore pugnam exercitu, concepto ad Superos voto, devicit tandem hostes relatâ infi-

insigni victoria. In urbem denuò redux relicto Consulatu & quovis officio publico, ad ostia Tyberina pauperibus ministrare, & piis operibus operam navare cœpit, factus demum sub Juliano Apostata Martyr gloriosissimus. *Vide inferius etiam sub Juliano. Ado, Surius, Beda, Usuardus.*

An. 337. Constantinus M. sepelitur eo ferè modo, quo sepeliri hoc nostro tempore solent Imperatores aut Reges Catholici, nimirum inter officia & preces fidelium pro mortuis offerri solitas, quas ipse morti proximus enixè expetiit. *Euseb. in vit. Constantini l. 4.*

Circa idem tempus Gallus & Julianus Constantini M. nepotes, à Constantio filio sacris muniis destinati, in honorem D. Mammantis extruxerunt templa, sed dispari longè exitu clarissimis miraculis illustrato. *D. Greg. Nazianz. Sozomen.*

Eodem anno Constantius Imperator Arianus ulcere gravissimo laborans, à D. Spiridione Episcopo divinitus est sanatus, admota capiti Augusto manu, simulque adjectis monitis, ut deinceps exemplum patris sequeretur, pietatem coleret, veram Religionem non deleret. *Metaphrastes. Surius.*

An. 343. Sapore Persarum Rege adversus Romanos bella gerente, ingens persecutio Christianorum fuit suscepta, in qua 100. Episcopi & multi Laici nobilissimi, atque inter hos Uthazanes evnuchorum princeps, ipsiusque Sapores moderator, nec non omnium Regionum artificum præses, Pusices nomine, Martyrii corona coronati sunt. *S. August. & alii.*

Circa hæc tempora Constantius Imp. cum Sapore præliis novies repetitis decertans, ferè semper amissa victoria Constantinopolin rediit dispar omnino M. Parenti Religione & belli successibus. *Eutropius, Orosius.*

An. 347. Congregatum fuit Concilium Sardicense, in quo inter 300. Episcopos numeratus fuit D. Athanasius, qui cum Episcopis Catholicis ejusdem Concilii authorem agnoscit D. Julium Pontificem, cujus Legati Concilium gubernârunt; inter Legatos aurem Pontificios eminuit denuo Præses in Concilio, Osius Magnus ille Cordubensis Episcopus. *D. Athanas. & alii.*

An. 353. In aëre sub horam cujusdam diei tertiam signum Crucis clarissimis radiis coruscans, & à Monte Calvariæ usque ad montem Oliveti pertingens, fuit à plurimis spectatum; unde amici Crucis denuò facti plurimi, idolorum cultum damnârunt. *S. Hieron. Sozomen. Cyrill. Hierosolym. &c.*

An. 355. Constantius dirissimè sæviit in Romanos seu Orthodoxos Episcopos, inter quos Osius plurimum Conciliorum Præses propè jam centenarius senex, post diurnam constantiam & tormentorum tolerantiam in annos plures continuatam an. 357. Arianorum formulæ subscripsisse fertur; unde hujus lapsus, Tertulliani atque Origenis par lapsibus, summè afflixit Ecclesiam. Idem tamen Osius tormentis exemptus, vim sibi summam illatam testatus fuit; unde Arianam hæresin non minùs in morte, quàm vita antea condemnavit, D. Petro Christum neganti & denuò confitenti similis. *S. Athanas. & S. Hilarius.*

Circa idem tempus Athanasius Constantium Imp. appellare haud formidavit *Anti-Christum*, quòd in causis Ecclesiasticis judicem agere Princeps secularis sustinuerit. *S. Athanas.*

Circa idem tempus D. Hilarius ex illustri Pictaviensium cive Episcopus eorundem creatus, & summa autoritate pollens, petiit à Constantio Imp. ne permetteret suos Duces aut Præfectos immiscere sese causis Ecclesiasticis; cum itaque Constantius speraret, tanti Episcopi autoritate posse hostes ab invasione Galliæ cohiberi, ejusdem votis annuit, missis hanc in rem Augustis litteris 9. Calend. Octobris exaratis. *L. 12. C. Theodos. de Epif. & Cler.*

An. 356. Josephus comes multis miraculis illustratus, & ex Judæo Christianus factus, ac demum sub Constantio multa ab Arianis passus, adversis tamen nequaquam fatigatus, Episcopis Catholicis in rebus cunctis adesse studuit. *D. Epiphani.*

Eodem anno metu crudelissimæ mortis perculsis viris Romanis, foemina nobiles contempto metu Constantium Romæ triumphantem adièrunt, enixè petentes, ut Liberium summum Pontificem in exilium ejectum, Romæ & Ecclesiæ redderet; quibus Imperator respon-

dit,

dit, redditum iri à se Liberium, si unà cum Felice Pontificis sedem occupare paratus foret. Tam verò respondit ingens multitudo hominum: *unus Deus, unus Christus, unus summus Episcopus. Theodor. Ruffin. &c.*

An. 358. D. Antonius 105. annorum senex plurimis miraculis clarissimus, morte sancta defungitur; quem cum à se stare sparsissent Ariani Episcopi, ex eremo Alexandriam aliquando profectus, Arianos validissimè confutavit. Is ipse moriens vestes suas legavit DD. Athanasio & Serapioni, discipulis verò suis commendavit odium in Hæreticos. *D. Hieron. D. Athanas.*

An. 361. Dum Julianus Apostata jam non privatim, sed publicè coepit colere simulacra deorum, prodigiosus ros in militum chlamydes decidens reliquit varias *Cruces. Sozom.*

Anno 362. Eidem Juliano victimas immolanti, & exta animalium inspicienti, apparuit coronata *Crux. S. Gregor. Nazian. Sozomen. Nicephor.*

Nihilominus Julianus signum Crucis ex labaro, ut vocant, abradi jussit, inserta ejusdem loco imagine Jovis, Martis & Mercurij. *Auth. iidem.*

Eod. an. Duces ac Præfecti passim multi sub signis Juliani pugnare renuerunt, inter quos eminuerunt Jovinianus, Valentinianus & Valens Imperatores postea creati. Elpidius Senator nobilis cum multis sociis ab equis citatis primùm distractus, ac demum in ignem conjectus triumphavit. Macedonius, Theodulus & Tatianus, aliique Christiani juvenes ob contracta idolorum simulacra candentibus prunis combusti sunt. *Martyrol. Greg. Nazian.*

Eod. an. S. Babylæ Mart. & Episcopi Reliquiæ, eò quòd Oraculum Julianum ab iisdem præsentibus responsa dare prohiberetur, jubente Juliano ex templo Daphnitico ejectæ, à Christianis verò ex luco Daphnidis in urbem Antiochiam translatae sunt inter sacros hymnos & psalmos altissima voce recitatos, ubi repetitus est sæpè hic versus: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis. S. Chryf. Sozom. Theod. Nicephor.*

Eod. an. Julianus alius, Juliani Imp. Præfectus, & Felix socius apostatæ
R. P. Kolb Series Imp. O

tæ

tæ facti, miserè periêrunt immissis divinitus morbis foedissimis. Quin ipsum templum Daphniticum post ablatas D. Babylæ Reliquias igne cœlesti incensum conflagravit. Ubi Arthemius Dux sub Constantino M. jam stipendia meritis, & viso in aëre Crucis signo ad Orthodoxa sacra conversus, atque ad hoc usque tempus plurimum Cæsarium per Europam & Asiam in pugnis socius invictissimus, cum palam testatus fuisset, se conspexisse, fulmen cadere in templum Daphniticum, post vincula & tormenta capite plexus est veteranus miles. Huic accessit socius Eusignius annorum 110. miles, qui cum Juliano apostasiam suam exprobrasset, Constantini M. verò fidem ad sidera extulisset, cum sociis multis fudit sanguinem. S. *Chrysostr. Theodoret.*

Eod. an. Publica Matrona nobilissima, Dux chori Virginum, perpetuo castitatis voto ligatarum, prætergredienti Juliano cum occinisset verius, quibus debilitas simulacrorum demonstratur, cum eodem Virginum Choro passa est Martyrium jubente Juliano. Versus erant: *simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum &c. Theodor.*

Eod. an. cum mulier sanguinis profluvio liberata Christi statuam confici & in editiori loco poni curasset, eam continuo dejici ac constringi Julianus jussit, ut in ejusdem loco Cæsaris effigies locaretur, quam tamen ignis de coelo cadens subito dejecit. *Sozomen, Nicephor. Acta Trithemii.*

Eod. an. cum Julianus præcepisset, ut, cum aliàs Christiani paupertatis pretium ita extollerent, iidem bonis suis privarentur, atque adeò Gallicanus (de quo superius an. 330.) inter primos suis divitiarum reliquiis spoliaretur; hinc cum missi apparitores in Gallicani patrimonium manus injicerent, eorundem plerique, vel omnino omnes à dæmonibus arrepti, vel lepra percussi sunt. Diis nihilominus thus offerre jussus, Alexandriam perductus in Martyrum venit numerum. Parem constantiam Romæ exhibuit D. Hilarius D. Gallicano perquam familiaris. *Acta Martyrum.*

Eodem tempore cum DD. Joannes & Paulus fratres in aula Constantini M. educati, & honoribus aucti, Juliano jubente diis haud litarent, à Te-

à Terentiano prætorianorum Præfecto clam necati sunt, fingente ad evitandam seditionem, eosdem in exilium fuisse pulsos. Cum verò à dæmonibus tam unius, quam alterius Reliquiæ impellente Deo ostenderentur, imò Terentiani filius ad sepulchrum eorundem dæmonio fuisset liberatus, idem Terentianus relictis gentilium superstitionibus Christum professus, eorundem DD. Martyrum gesta conscripsit. *Sur.*

Eod. an. Donatistæ hæretici sedibus suis quondam pulsos, sed tum Juliano adulati, & hanc ob causam restituti, cum in Orthodoxos faverent, & SS. Eucharistiam suis canibus objicerent, ab iisdem suis canibus fuerunt lacerati. S. Chrismatis verò ampulla per fenestras sacrae ædis ejecta, Angelorum manibus fuit custodita. *D. Optatus.*

Eodem an. cum Julianus potestatem fecisset uxoribus dimittendi maritos, nec minùs scholas Catholicorum prohiberet, inter tumultus publicos Marius Victorinus nobilissimus Afer, Romæ Orator, Romanam Fidem amplexus est, qui apud ethnicos tanto in honore fuit, ut ex Senatusconsulto donari meruerit statuam in foro Trajani erectam. Hujus proin exemplo animatus D. Augustinus Fidei Romæ desiderio accendi cœpit. *SS. Hieron. & August.*

An. 364. Legatis Episcoporum hæreticorum à Valentiniano I. petentibus, ut liceret sibi per datam à Cæsare potestatem in unum convenire locum, respondit, *sibi, qui è laicorum numero esset, non licere ejusmodi negotiis suam potestatem interponere, & idè Episcopos, quibus hæc curæ essent, seorsum per se, ubicunque libitum fuerit, in unum convenire posse. Sozom.*

An. 369. Valentinianus Imp. Chronopium quemdam Episcopum à 70. Episcoporum Synodo damnatum, & ob hoc ad secularium potestatem seu tribunal appellentem, gravissimam auri multam emendandum judicavit. *Leg. 20. C. Theod. quer. appellat.*

An. 370. Valens Imp. Arianis addictissimus 80. Legatos à Catholicis missos interfici jussit. Idem subscribere volens nomen suum decreto, quo M. Basilium inter exules numerare constituit, tribus calamis Deo frangente ruptis, laceravit chartam. *D. Ephrem. Theodor.*
Eodem anno cum D. Basilus vocatus, recens natum Valentis Imp. filium

lium per miraculum sanasset, nihilominus Valens, contra promissum à se datum, puerum Arianis Sacerdotibus baptizandum commisisset, mox vivere desit. *D. Gregor. Nazianz. D. Ephrem. Socrat. Sozom.*

An. 372. D. Athanasius Episcopus Alexandrinus per 46. annos sub Constantino M. Constantio, Juliano & Valente Imperatoribus ab Arianis inimicissimis & dolosissimis mala perpeffus plurima, post inconcussam constantianam toti terrarum orbi probatam diem suum obiit. Vocat hunc D. Gregorius Nazianzenus *Orbis oculum, Sacerdotum Antistitem, Confessorum ducem & magistrum, sublimem vocem, fidei columnam, secundam Christi lucernam & præcursorem.* Quin liber bene magnus conscribi posset ex solis laudum titulis à SS. Patribus pro Athanasio relictis. *Vid. C. Baron.*

An. 373. Theodosius Theodosii M. Imp. pater, postquam, veluti inquit *Orosius*, suis legibus cum Mauritania totam Africam meliorem fecisset, post susceptum Baptisma Valente imperante jugulum percussori præbuit. Quæsitum simul ad necem fuisse Theodosium filium insinuat *S. Ambrosius.*

An. 374. D. Ambrosius ex Insubriæ, Liguriæ & Æmiliæ præfecto Mediolanensium creatur Episcopus, cujus ordinationi præsens esse gavisus est Valentinianus Imp. *Theodor. alique multi.*

An. 377. D. Ambrosius Sermonem suum de Virginitate propalavit, illumque in tres distinctum libros ad sororem suam Marcellinam misit, quæ in domo paterna cum aliis Virginitatis piis operibus se totam impendebat: unde duplicis generis Virgines primis post Christum seculis jam numerabantur, aliæ scilicet in Monasteriis, aliæ suis in domibus. *D. Ambros. D. Hieron. & alij.*

An. 380. Cùm D. Gregorius Nazianzenus maximum Constantinopoli templum sibi à Theodosio restitutum ingrederetur, sol purissimis radiis effulgens, dissipavit nubem densissimam cunctis stupentibus. *D. Greg. Naz. in Carm. de vita sua.*

An. 382. D. Hieronymus contra Helvidium *Virginitatis* hostem infensissimum; qui nempe foeminas matrimonio junctas Virginitatis pares,

res, aut his majores facere ausus est, scripsit librum, imò libros plures, ex quibus summa Virginitatis laus colligi potest. *Vid. lib. S. Hieronymi diversos.*

An. 383. Faustina Imperatrix Valentiniani II. mater Ariana variis modis persecuta est D. Ambrosium, cui contra Arianos disputanti visus Angelus dictare verba. Vidit eundem Angelum etiam vir Arianus pugil contra Ambrosium acerrimus, qui ob hoc manus victori dedit D. Antistiti, & cum eodem Fidem Orthodoxam propugnare coepit. *Paulin.* Imò *D. Joan. Damascenus* affirmat, D. Paulum Ambrosio spectabilem factum, eidem addidisse animos ad fortiter resistendum Faustinae.

An. 388. Theodosius M. instans sibi adversus Maximum tyrannum prælium commendavit virorum Religiosorum precibus; animavit simul Valentinianum II. ut amplecteretur Romana sacra, sic enim fore promisit, ut securior viveret contra hostes Maximo similes. *S. Ambros.*

Eodem an. fuit baptizatus D. Augustinus, cujus D. mater Monica an. 389. piissimè defuncta pro anima sua offerri sacrificia petiit. *S. August. lib. Conf. 9.*

Eodem an. cùm Apameæ in Syria urgente Marcello Episcopo destrueretur templum Jovis, ipse quidem Martyrium subiit, daemones verò templi destructionem impediens *aqua lustrali* procul fuerunt abacti. *Theodor. & Sozom.*

An. 391. Theodosius M. cùm in honorem D. Joannis Baptistæ Constantinopoli Ædem sacram ædificasset, in eam caput ejusdem D. Præcursoris transtulit, à Casare & fidei populo religione maxima deinceps cultum. *Sozom. D. Prosper. Cedren.*

An. 393. Multis jejuniis, orationibus, vigiliis, ciliciis & processionibus, ut vocamus, Theodosius M. sese paravit ad pugnam adversus Eugenium & Arbogastem rebellium duces. *Ruffin. Cedren.*

An. 394. Theodosius M. contra Eugenium in aciem egressus est signo S. Crucis ex labaris emicante; Eugenius verò Theodosio occurrens collocatis per Julias alpes deorum simulacris imaginem *Jovis fulminei* suo exercitui præferri jussit. Verùm mox secuta est hujus cla-

des, illius verò victoria miraculis & Divorum Joannis ac Philippi apparitionibus clarissima. *S. Augustin. Theodoret. & auctores alii plurimi.*

An. eodem S. Paulinus V. C. doctissimus, nobilissimus & ditissimus cum Therasia sua conjuge juxta Evangelica consilia paupertatem ac castitatem, nec non obedientiam perfectione summa, præsertim in Gallia & Italia didicit ac docuit, universorum amorem ac æstimationem tum verbis, tum factis, tum libris promeritus. *S. Ambros. S. Augustin.*

Eodem an. Severus Sulpitius civis Romanus genere, literis & divitiis clarissimus, Monachum indutus & S. Martinum secutus, multis inclaruit virtutibus: scripsit idem D. Martini gesta & patrata miracula. *Vid. hujus libros,*

Eodem an. Tetradius V. C. ex superbissimo ethnico factus est Christianus humillimus viso miraculo S. Martini, qui dæmonium ex seruo Tetradii abegit. *Sever. Sulpit. & alii.*

An. 396. Fritigildis Marcomannorum Regina S. Ambrosii famâ excitata Catholicorum præceptis erudiri petiit: ab eodem proinde ritè credere docta Marcomannis persuasit, ut Christo aliquo tempore fidem servare didicerint. *S. Paulin.*

An. 397. Joannes Hierosolymitanus Episcopus, S. Crucis particulas ad varios Episcopos misit, qui exemplo ejusdem animati tempore Paschatis Crucem populo adorandam exhibuerunt cantantibus Episcopis: *Ecce lignum Crucis: respondente populo: venite, adoremus. S. Paulin.*

Eodem an. D. Ambrosius vitam mortalem clausit, multis Imperatoribus & Ducibus, quin imò orbis parti maximæ notissimus & gratissimus, miraculis pluribus maximè insignis. *S. Paulin.*

An. 398. Gentiles ut idolorum suorum cultores secum in officio continerent, multa falsissima fingeant miracula, & affirmabant, D. Petrum hoc nomine indignissimum, maleficiis suis orbi imposuisse; Christum verò innocentissimum, sed tamen non nisi per annos 365. colendum esse: tempus autem à festo Pentecostes, seu adventus Spiritus S. computabant, ut falsis miraculis fidem facerent. *S. Augustin. lib. 18. de Civit. Dei.*

An. 399.

An. 399. Eutropius vir in aula Arcadii Imp. summa autoritate polens, postquam suasit Imperatori, & fortè persuasit, ut lex pro immunitate Ecclesiastica lata tolleretur, admissio gravi crimine primus confugit ad Ecclesiam, sed & omnium primus violentis manibus extractus. Tum verò Arcadius ipse ad furiosos milites pro Ecclesiastica immunitate dixit; D. Chrysostronus suggestum conscendens legem pro eadem immunitate latam, & denuo ab Arcadio confirmatam laudavit, vitæ veniam simul impetravit Eutropio, qui in Cyprum insulam exulare jussus abiit. *Zos. Socrat. Item l. 17. C. Theod. de pæn.*

Hæc multa, aut potiùs ex multis pauca, tum ex authoribus vetustis, tum ex C. Baronio describere haud piguit; quæ si Lector bene parato perpenderit animo, colliget inde sibi ex longiori breve compendium, quod hac ferè methodo concinnabit: hoc seculo IV. ex vetustissimis etiam authoribus intelligitur, quòd primis jam post natum Salvatorem seculis, vel in ipsis Imperatorum aulis & oculis instar clarissimorum syderum splenduerint præter reliqua Ecclesiæ Dogmata

- I. Adoratio SS. Crucis aut potiùs in Cruce adoratio crucifixi Dei.
- II. Hyperdulia Divinæ Genitricis Virginis.
- III. Dulia DD. Angelorum & animarum jam coelestium.
- IV. Cultus Sacrarum Imaginum.
- V. Religiosa Veneratio Sacrarum Reliquiarum.
- VI. Observantia Romanorum Imperatorum; Regum ac Virorum Principum in causis maximè spiritualibus erga summum Pontificem promptissima.
- VII. DD. Martyrum certamina, pro Aris Romanis gloriosissima, manifestis miraculis confirmata.
- VIII. Exemptio Clericorum ac Monachorum ab omni potestate Seculari.
- IX. Immunitas Ecclesiastica roborata hoc seculo magis & aucta.
- X. Sacrificia Missæ, uti vocamus, etiam pro defunctorum fidelium animabus, fortè inter purgantes animas detentis.
- XI. Votum Virginitatis & coetus Virginum intra & extra monasterium.
- XII. Summa Dogmatum concordia inter seculum IV. V. & sequentia, quibus juvabit huc oculos reflectere.

His

His rerum capitibus jure accedit summa reverentia à Catholicis Imperatoribus ipsis, non solum Romano Pontifici, sed & minoribus Episcopis, Abbatibus ac Sacerdotibus crebro exhibita; Episcopi ac Sacerdotes fuere tales, DD. Athanasius, Cyrillus, Hilarius, Serapion, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nissenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Optatus Milevitanus, Basilius M. Epiphanius, Joan. Chrysostomus, Prudentius & certè sexcenti alii, qui virtute & doctrina, verbis & exemplis, libris & epistolis haud humani, sed divini Spiritus instinctu plurima dixisse & docuisse, orasse & perorasse, scripsisse & pinxisse ab æquissimis rerum æstimatoribus fuerunt judicati; & quidni judicentur sic hodie? cum orbis universus perspectum habeat; ab his Ecclesiæ Doctoribus sub Cæsarum Catholicorum clypeis fuisse impugnatos & expugnatos eodem IV. seculo sequentes omnes hæreticos, scilicet

I. Origenistas.	XI. Anabaptistas.
II. Donatistas.	XII. Apollinaristas.
III. Arianos.	XIII. Seleucianos.
IV. Semiarianos.	XIV. Priscillianistas.
V. Photinianos.	XV. Trogloditas.
VI. Aërianos.	XVI. Polemianos.
VII. Eunomianos.	XVII. Collyridianos.
VIII. Macedonianos.	XVIII. Antidicomarianitas.
IX. Patritianos.	XIX. Antropomorphitas.
X. Messalianos.	XX. Nudipedes &c.

Periodi Secundæ.

Seculum Christi Nati V.

XLVI. Theodosius II.

Quam difficile sit domi forisque imperare, doctus est junior Theodosius Arcadij Imperatoris filius, septennis parvulus, dum è vivis excessit Augustus genitor. Isdegerdes Persarum Rex Theodosio ab Arcadio curator datus rem Imperij curavit pessimè. Verum

Verum ob hoc ab Artaburio duce in paucis strenuo in aciem provocatus, & tandem prostratus centum Persarum amisit millia. Non minus feliciter succubuit denique Joannes quondam Romæ Notarius, pessimæ notæ nebulo, qui divitiarum copiâ inflatus, ex humili loco ascendere speravit ad supremæ majestatis fastigium. Nec spes primò fallere videri poterat; captus enim in pugna aliàs victor perpetuus Artaburius, perpetuas in carcere tulisset compedes, nisi Aspares Artaburij filius miserrimam genitoris sortem miseratus, ope cœlestis genij & patrem liberasset, & raram de hoste victoriam retulisset. Longè diversa Cæsaris fortuna fuit in Africa & Europa; Aspares enim à Genserico Rege in Africæ finibus victus, tristis nuntius Constantinopolin rediit: Attila verò Hunnorum Rex occupata Hungaria Thraciam, Macedoniam & Illyricum depopulatus fuit, cui proin grande tributum solvit Theodosius, ut pacem daret & acciperet. Hæc foris. Domi Theodosius an. ætatis suæ 14. sororem suam natu maximam nomine Pulcheriam creavit Augustam, Ecclesiæ & Imperii bono maximò, quod, inficiente ferè nemine, una cum Ss. Sororibus simul Virginibus & ipsa Virgo virtutibus clarissima, per annos deinceps plures quàm 30. valde promovit. Pulcheriæ procul dubio exemplis & monitis suavissimis Theodosius virtutes verè Imperatorias magis edoctus, Cæsaris munus maxima annorum suorum parte implevit præclare, æstimator Romanæ Ecclesiæ eximius: sororis Augustæ enim hortatu edictis suis publicis strenuè in angustias redegit sui temporis hæreticos, Judæos & Paganos, quorum ultimorum delubra adeò jussit dirui, ut ne vestigium quidem appareret de veteri ædificio, sed solum triumpharet S. Crucis lignum iisdem in locis trophæi instar erectum. Cum non deessent etiam, qui Ecclesiasticæ immunitati refragarentur hostes multi, hos quamprimùm supprimendos ratus, ejusdem immunitatis leges in Ecclesiæ favorem auxit; cum non minus privilegio suo securos esse jussit eos maleficos, qui intra ædium sacrarum fores consisterent, quàm qui ad arasque penetrassent. Adhæc omnem Imperator Religiosissimus movit lapidem, ut in Concilio Ephesino an. 430. celebrari cœpto à pluribus, quàm ducentis Episcopis authore summo Pontifice Cœlestino condemnaretur Nestorius Constantinopoli quondam Episcopus; dein

verò Deiparæ Virginis hostis infensissimus, utpote quam *Dei Matrem* appellare recusavit etiam in exilio & morbo viventis ultimo, quo tum corpus universum, tum lingua præsertim, à rodente vermium examine absolvebatur. Mæcenatem literatorum ut exhiberet sese liberalissimum, literas ipse apprimè didicit, non rarò docuit, & doceri ab aliis præsertim curavit: inter Imperatores enim omnium primus extitit Theodosius junior, qui leges eas præcipuè, quas à Constantini M. ætate in Imperio sancitas noverat, in Codicem referri mandavit, legum ipse harum observantissimus Imperator. Constantinopoli ut præ armorum strepitu vigerent eruditorum Collegia publica, multam impendit operam. Bononiæ item in Italia Academiam suis sumptibus erexit, venturis Imperatoribus præbens exemplum imitatione dignissimum. Hætenus encornis locus fuit sat amplus; minus nunc spatium si non vituperiis, minoribus certò laudibus supersit. Circa annum 20. conubii cum Athenaide, Eudoxia dein appellata, celebrati, Theodosio vulnus infixit gravissimum discordiæ pomum, quod primum à Theodosio Eudoxiæ conjugii, & ab hac Paulino amicorum fidissimo donatum, turbavit omnia, negante factam donationem Imperatrice, contra quam tamen testimonium dixit comperta veritas, quæ proinde Paulino ingens Imperatoris odium, & denique necem peperit. Interea pacem in aula & Imperio conservare, aut amissam reparare constanter laboravit Pulcheria: verùm & ipsa tum Eudoxiæ Imperatricis, tum Chrysaphii in aula præpotentis viri machinationibus læsa, fratrem Cæsarem deseruit. Tum verò quamprimum intellexit Ecclesia & Imperium in Pulcheriæ absentia, quantum omnibus profuerit ejusdem augusta præsentia: Theodosius enim frater Eudoxiæ suæ & Chrysaphii circumventus dolis, invito licèt D. Leone Pontifice, consensit conciliabulo Ephesino, dicto *Concilio II.* in quo ab Eutylianis Episcopis Dogma de gemina Filii Divini natura damnatum, Orthodoxi Episcopi partim occisi, partim verberibus malè habiti, Ecclesiæ statum, vix ullo unquam tempore luctuosum magis, lamentabantur. Repetere igitur aulam rogata, à Pontifice & fratre Cæsare brevi tempore restituit rem Pulcheria; Theodosius enim errores suos suaviter edoctus Chrysaphium in remotam insulam exulare jussum abegit; Eudoxia poenitentia

tiæ causa Palæstinam petiit: Imperator ipse de peccatis poenitentium more indutus habitum, profectus est Ephesum, ibidem offensum Numen amplius placaturus: quæ enim verò omnia opportuno perfecit tempore: anno etenim mox altero, Christi 450. vel subito morbo correptus, vel casu ex equo præcipitatus exspiravit. an. Imperij 43. Symb. *Tempori parendum. Niceph. Evagr. Sozom.*

XLVII. Valentinianus III.

INter bona alia id boni adscribendum est bellis: cautos efficiunt Reges, & à vitiis crebrò avertunt Regum animos. Valentinianus Constantii Romani quondam Patritij, & illius, quæ soror fuit Honorij Cæsaris, Placidia filius, M. Theodosii nepos à Theodosio juniore Occidentis Imperator constitutus, primùm in Italia floruit, in qua an. 437. Ravennam expugnavit. Indè à tribus iisque supremis copiarum ducibus Aëtio, Castino & Bonifacio perfidis æmulis proditus, & validissimis rebellium turmis eodem tempore in arenam fuit provocatus: Aëtius enim à pristino honore & officio remotus in Hungaria Hunnos, Castinus in Gallia Gallos & Hispanos, Bonifacius in Africa Vandalos adversus Valentinianum Cæsarem animabat, aut potius irritabat. Victus denique hostis domesticus omnis succubuit; Bonifacius quippe amissa victoria mœrere contabuit; Castinus Ravennam perductus venit, & in exilium abiit; Aëtius post varios fortunæ casus à Cæsare oblatam veniam accepit, & illatam ab eodem injuriam remisit, futurus deinceps Valentiniani supremus militiae præfectus, & multorum hostium victor gloriosus. Inter hostes externos eminuit Attila Hunnorum Rex, *flagellum Dei* sua sponte vocatus. Peragratis iste ad Danubium regionibus, & excisâ sylvâ Hercyniâ operosis pontibus Rhenum junxit, ut septingenta Hunnorum & aliorum Barbarorum milia in Galliam duceret, totis viribus aggressurus Cæsareum exercitum. Verùm propè Tolosam in Occitania à Merovæo Francorum, & Theodorico Gothorum Rege, nec non ab Aëtio Romanorum Duce suas conjungentibus copias, ad internecionem deletus, properè in Hungariam recessit, rediturus post elapsi anni spatium in Italiam. Ut tamen Italiae deinceps parceret, curavit D. Leo Pontifex Maximus, qui

quod eloquentiâ suâ efficere non poterat, effecit genius tutelarîs è cœlo demissus extremum Attilæ exitium minitatus, si D. Leoni non obediret. Ita Rex Barbarus rem ipse cum aliis affirmavit, fide humana hic eò dignior, quòd à Fide Divina fuerat remotior. Obedivit itaque Leoni Attila, Pannoniam suo cum exercitu repetens. Dedit is Attilæ reditus Valentiniano Cæsari otium & mali multiplicis causam; Maximi enim Romæ Patritii uxor dolosè in aulam Cæsaris evocata, & ab eodem flagitium passa, marito Maximo inter lacrymas illatam vim & ignominiam conquesta fuit. Dissimulavit tantisper conceptum animo dolorem Maximus, ut uberior vindictæ locus foret & post vindictam plenæ sceleribus gloriæ, si qua tamen in scelere possit esse gloria. Ut nimirum sublato Valentiniano in solium eveheretur, à nemine obicem poni posse persuasum sibi habebat proditor, quàm ab Aëtio: hic igitur à Maximo tanquam affectati sceptri reus per summam injuriam ad Valentinianum delatus, ab hoc non audita parte altera fuit gladio transfixus. Trucidatò Aëtio insidias paravit Valentiniano Maximus ex multis sceleribus identidem audacior; addictissimos enim Aëtio milites adversus Cæsarem incitabat fingens, per summum Cæsaris nefas percussum fuisse Ducem subditis charissimum, Imperio fidissimum. Militum itaque tanta fraude circumventorum manibus succubuit denique Valentinianus III. orbatus vitâ, Imperio & sua conjuge Eudoxia Theodosij filia, quam sibi fraude novissima thalami contortem junxit Maximus, ab eadem tamen & ipse denique proditus, à Genserico Rege Româ fugatus, & à suis militibus occisus. Atque hic fuit finis tristissimæ Augustissimæ illius Familiæ, quam M. Theodosius tam gloriosè fundaverat, Valentinianus verò tanto dedecore finiêrat an. Christi 455. Symb. *Omnia mea mecum porto. Prosper. Sigebert. Gregor. Turon. Zonar. &c.*

Post Valentiniani necem collapsum Occidentis Imperium dum erigere per annos viginti laborârunt decem nomine veriùs, quàm re Imperatores, penitus everterunt illud, pilæ instar inter latronum manus jactatum: post menses enim duntaxat duos Valentiniani occisor Maximus lapidibus fuit obrutus: Avitus vix creatus Cæsar è folio fuit dejectus: Majoranus à Ricimero copiarum duce trucidatus: Severus ab eodem Ricimero post Imperii annos tres veneno necatus: Anthemius
quam-

quamvis Ricimeri gener à socero post quinque annos è medio sublatus: Ricimerus 34. diebus solium occupans, tandem infelicissimè mortuus est. Necdum hic finis inconstantia & turbarum maximarum: Olybrius enim post septem mensium spatium moriens sequitur Ricimerum mortuum: Glycerius exactis 15. mensibus à Julio Nepote deponitur: Julio Nepoti vix unius anni Cæsari ab Oreste vita & Imperium eripitur: Momylus Augustulus Orestis filius ab Odoacro Herulorum Rege, quem in Italiam vocârunt Julii Nepotis amici, in exilium ejicitur, occiso priùs genitore Oreste.

Odoacer Herulorum Rex postquam Romam diebus quatuor supra decem penitus expilavit, Capitolium triumphantis more conscendit coronandus Italorum Rex. Contempsit is Imperatoris titulum ab Augustulo *puero*, ut aiebat ipse, pessimè usurpatum & infamatum. Armis deinceps à Theodorico Gothorum Rege petitus, vinci ab eodem haudquaquam potuit; ad epulas igitur, ut vinceretur ab eodem, invitatus comparuit, grandem solvens symbolam; vitam enim simul & regnum in convivio reliquit: Italiae proin regnum per annos 61. Gothis, per annos verò 206. Longobardis paruit, modico spatio Imperatoribus in Italia & Occidentis regionibus relicto.

Periodus III.

Profigatò per tres annorum centurias Occidentis Imperiò, atque interrupta tanto tempore Romanorum Imperatorum una ex parte serie, partem alteram tamen prosequemur, multorum Historicorum ducti exemplis, utpote qui saltu ex Occidente in Orientem facto, aut uno persistentes, alteroque pede in Orientem attracto, gesta enarrare perrexerunt illorum Cæsarum, quos Constantino-
polis, Roma altera, à Theodosio juniore usque ad Constantinum VI. Imperatricis Irenes filium, nunquam abrupto ordine numeravit: hac enim etiam methodo nostram assequemur metam, dum, quantum Ecclesiam Romanam vel promoverint, vel presserint Imperatores, palam omnibus aperiemus.

XLVIII. Martianus.

Martianus natione Illyricus primùm gregarius miles, dein verò clarissimus militum tribunus, rectè factorum famam insigni probitate constanter auxit & propagavit, Theodosii M. filiis & nepotibus Imperatoribus jam pretiosissimus; unde cum Theodosius junior prole mascula destitutus foret, post ejus facta Pulcheria Cæsaris Soror Augusta, raris naturæ & gratiæ donis exulta, atque adeò universo Imperio gratissima, dum imperare potius fuit iussa, quàm rogata, Martianum sibi & annis & virtutibus, non tamen nobilitate parem despondit sponsum Imperatorem eo pacto, ut fidei conjugali virginitatis candorem conjunctum, etiam emissò votò ambobus liceret, & deceret perpetuò custodire. Ratum habuit vel maximè connubium hoc Romana Ecclesia, cui conjuges castissimi peperere prolem exoptatissimam, incrementum nempe Religionis Orthodoxæ maximum, quod præter alia multa dedit Concilium inter Oecumenica IV. Chalcedone an. 451. conjunctis cum D. Leone I. Pontifice Martiani & Pulcheriæ studiis celebratum: in eodem namque ab Episcopis pluribus quàm sexcentis damnatus est Eutyches cum fautore suo Dioscoro, assertaque contra eosdem in Christo, *Persona unica, Natura tamen gemina, Divina scilicet atque Humana*. Anno mox altero sanctionem edidit, qua cautum voluit, ne quis deinceps de fidei Articulis disputaret. Verba Imperatoris sunt: *nam verè impius atque sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum reliquit, & injuriam facit judicio religiosissimæ Synodi, si quis semel judicata, ac rectè disposita revolvere & disputare contendit*. Bella ut declinaret, nihil ampliùs dilexit, quàm pacis fœdera, quæ vel nexuit, vel connexa summò studiò conservavit, hæc persæpè usurpans verba: *dum licet in pace vivere, arma non induamus*. Attilæ idcirco furori bellico modum posuit, ut ejus in Imperium irruptiones, quas penitus impedire non potuit, partim diu distulerit, partim à se procul averterit. Dum Vandalorum Regem pace ac amicitia superare haud potuit, ad arma non provocavit. Nomades tamen & Blemyes Mauritaniam feroces populos procul Imperii finibus arcuit, nec minùs Avitum Romæ

mæ Senatorem, Imperii fascibus inhiantem domuit. Imperatorio igitur honore, quem pridem auguriò suò dormientis capiti insidens aquila significarat, dignissimus Martianus, dum imperavit, ingens universis gaudium, dum imperare cessavit, majorem tristitiam cunctis attulit, annis duntaxat 6. Imperator, mortuus jam an. 456. cui annis abhinc 4. iter ad æternitatem stravit Pulcheria virgo etiam in tumulo integerrima. Symb. *Pax bello potior*. Procop. *Evagr. Nicephor. Theodoret.*

XLIX. Leo I.

Leonem I. fuisse Imperatorem in paucis celeberrimum, nòrunt Historici; qua tamen methodo in Augustum solum ascenderit, vix bene concordant. Cum Nicephoro pars ab eade magna hunc fermè in modum recenset: Leo in Thracia natus, sub Martiano Imperatore militum tribunus, & tandem Ducibus Cæsareis quibusvis par aut major, cum fortè mendicabulum oculorum beneficio destitutum in via sibi haberet obvium, cæcitatem hominis miseratus, Scipionis novi si non nomen, certè sibi arripuit officium: duxit namque per viam haud modicam fame & siti maceratum virum. Rogatus proin ab eodem, ut frigidam saltem levandæ siti quæreret, mox paruit precibus, currens per vicina dumeta, ut fontem conspiceret: frustra quærentem, & de humana ope jam desperantem subito coepit solari Deiparæ vox suavissima, monens, ut fontem sibi jam proximum ampliùs quæreret, simulque frigidam extinguendæ siti, & è fonte lutum aperiendis cæci oculis idoneum erueret, ac denique futurus Cæsar ædem Magnæ Virgini dicendam haud procul eodem fonte extrueret. Leo igitur cœlestibus monitis intentissimus, fontem ampliùs quæsitum invenit, frigidam & lutum ad infirmum portavit, oculos oblit, visum restituit, creatus Cæsar ædem M. Virgini sacratam extruxit. Hæc summa rerum, quam pluribus prosequitur *Nicephorus in Histor. Eccles. lib. 15*. Quamvis itaque Leo I. cœlesti voce in thronum vocatus venerit, humana tamen opera scabellum, ut ascenderet, posuit: erant quippe in exercitu Martiniæ defuncti Aspares pater & Artaburius filius viri Patricii ac præpotentes, Ario tamen addicti, quibus suos ob errores & privata studia cum spes sceptri nulla affulgeret, collatis in Leo-

Leonem suffragiis eundem dixere Cæsarem suis, ut sperabant & postulabant, peridoneum commodis. Verùm spes fefellit utrumque; Imperator enim Leo præclaris Martiani vestigiis insistens, Ecclesiæ & Imperii augmentum primis in amoribus habuit, parùm anxius de privatorum commodis; unde anno Imperii sui altero rei Catholicæ studiofissimus, datis variis epistolis ad viros miraculis claros, conatus est Fidei Romanæ Dogmata in Concilio Calcedonensi paucis abhinc annis probata miraculorum multitudine demonstrare. Viros inter eosdem eminuit Simon Stylita, ab orbis parte maxima honoratus, cujus an. 460. defuncti exuvias sacras Constantinopolim transferri curavit, atque in ipsius Divi honorem Ecclesiam opere suo conspicuam valde erexit. Haudquaquam placuere talia facta Patritio Aspari; unde eò temeritatis & audaciæ progressus est aliquando, ut Cæsaris purpuram dextrâ prehensens Leonem interrogaret, an meminisset, purpurâ vestitorum esse promissis stare? reposuit mox Imperator: an Asparem fugeret, hoc maximè modo lædi purpurâ vestitos? Sic tamen læsus haud ultus est Asparis audaciam. Cæterùm tametsi fuerit Princeps religione, justitiâ, clementiâ & literarum æstimatione adèd insignis, ut crebrò exclamârit: *Utinam liceret meo tempore, quæ erogantur in milites, in Professores artium impendere!* & aliàs: *oportet Principem, quoscunque intuetur, misericordiâ dignari:* his tamen virtutibus haud par fuit ejus felicitas: urbs enim Imperatoris princeps sedes Constantinopolis, fortuito incendiò penè tota consumpta, classis pluribus, quàm mille constans navigiis, quæ adversus Genfericum Africæ tyrannum Vandalorum Regem destinata erat, inertiam Basilisci supremi classium ducis ferè omnis amissa, Occidentis etiam Imperium, cui ampliùs conservando impar erat, penitus avullum, postquam annis 20. instar pilæ inter tumultuarios Imperatores fuit jactatum. Denique is ipse Asper, cujus potenti suffragio in solium ascenderat, morti Cæsarem destinabat: hujus tamen & filii Artaburii proditio maturè patefacta, authoribus suis exitium attulit, Leonem verò Imperio superstitem reliquit ad annum Christi 474. Imperii 17. Duo rerum capita hoc in Cæsare minùs fuere probata: primum erat Asparis & Artaburii cædes specie amicitiae,

con-

convivij scilicet titulo procurata. Alterum fuit in Arianos aliòsque novatores in fine minùs longè, quàm in principio Leonis odium; Zenonem enim & Basiliscum nec seriò Orthodoxos, nec Imperio idoneos ad summòs dignitatum apices promovit. *Symb. Regis clementia virtus. Niceph. Marcell. Procop.*

L. Leo II, & LI. Zeno Isauricus.

Zeno genere Isaurus dux Orientis creatus, ducta in thalamum Leonis Imp. filia ex eadem suscepit Leonem II. filium, qui etsi ab avo, Leo à Leone Imperator fuerit constitutus, is tamen sceptri quamprimùm pertæsus, exemplo toti orbi novissimo diadema suismet manibus genitoris capiti imposuit. Zeno itaque, licèt hac ratione Imperator coronatus, voluptatum tamen cœno immerfus Imperium potiùs suis sceleribus foedavit, quàm virtutibus gubernavit. Pulsus ob hæc à Basilisco Imperij invasore in Isaurum, indè tamen brevè reductus, rebellium ducem in Cappadociam abire compulit. Odoacrem etiam Herulorum Regem, Romæ expilatorem à Cæsarum exordio primum, Theodorici Gothorum Principis operâ potiùs, quàm suâ potentiâ propè Ravennam oppressit; unde Theodoricus in Italia primus Gothorum Rex partim Marte, partim scelere coronam regiam arripuit. Cæterùm imperante Zenone Constantinopolis denuo pars magna in cineres abiit. Inter ingentem librorum copiam interiøre etiam intestina draconis centum ac viginti pedibus longa, quibus aureis literis inscripta exhibebatur Ilias & Odysea Homeri. Annus Zenonis ultimus erat 491. Imperii 18. quo vel comitali morbo, vel vinò nimio oppressus jacuit exanimi similis; pro mortuo igitur habitus, vel potiùs fraude Ariadnæ Imperatricis inter mortuos præmaturè numeratus, dum vivus tumulo illatus fuit, expergefactus denique ejulatibus frustra lucem & auram repetiit, Ariadna sponte vidua novas nuptias surdis auribus meditante. *Symb. Malo nodo, malus cuneus, Evagr. Cedren. Egnat. Zonar.*

LII. Basiliscus.

Reliquerat Leo I. Imperator viduam nomine Verinam, cujus potenti molimine Zeno gener in exilium abire compulsus, Basiliscus verò Verinæ frater inter vivos servatus, quin etiam in solium evectus, continuò tyrannum induit, & hæresin restituit, pulsus in exilium Episcopis Romanis, quorum loco conquistis sacrificuli Eutychiani Fullonem & Elurum hæresiarchas coluêre. Hæresi atque tyrannidi Basiliscus junxit avaritiam, triplici hoc vitiorum vinculo plurima ligans scelera, inter quæ maximopere displicuit fraus multiplex, qua Catholicis crebrò imponere haud dubitavit, vultu simulans Catholicum. Ob scelera itaque Deo hominique invisus, ab eodem est victus, quem vincere parabat Zenonem æmulum, ut pœnam talionis Basiliscus subiret: Zeno nimirum probè memor, quanta rerum omnium penuriâ in exilio laborasset, hanc ob causam in conjugem etiam & liberis ulturus hostem, licet affinem suum, mandato severissimè vetuit, ne nudis & famelicis plus cibi aut vestimenti concederetur, quàm tantùm sufficeret ad vitam aliquo tempore servandam. Mos hic ulciscendi planè barbarus! Exilii locus in Cappadocia arx erat custodibus multis & mœnibus circumcincta, in qua Basiliscus sua cum familia an. 476. fame periit, vix unius anni Imperator. Tantas ærumnas suo domino accersivit ante alios Armazius supremus copiarum Dux, Basilisco longo ex tempore fidissimus; quem verò post amissam classem Zeno blanditiis & promissis variis oneratum, suas ad eum pertraxit in partes, ut suo cum exercitu penè toto ad eundem transfugerit. Tantùm obest Imperatorum sæpè rebus, Ducum ambitio, avaritia & perfidia. Symb. *Dolus & simulatio.*

LIII. Anastasius Dicorus.

Anastasius in Macedonia Arianis parentibus natus, indè verò in aula Cæsaris per varios gradus laboris ac honoris promotus, à secretis denique Imperatori, aut Imperatrici veriùs fuit: is enim sepulto inter mortuos vivo Zenone mox ab Ariadna Augusta vidua in thalamum ac thronum invitatus venit, miran-

mirante Imperio universo, ac amores vetitos suspicantè. *Dicorum* dicere Græci hunc suum Imperatorem, quòd bicolor ipsi oculus foret, dexter nimirum nigricans, glaucus sinister. Oculis penè par fuit Dicori imperandi methodus, in principio nimirum moderata, in fine absque moderatione: Imperator namque coronatus Euphemio Patriarchæ Constantinopolis syngrapham porrexit Cæsaris fide & sigillo munitam, qua Synodi Chalcedonensis decreta se sanctè custoditarum recepit. Tributum grave, Chrysargyrum dictum, subditis remisit. Officia etiam & Magistratus priùs venales, vendi prohibuit, optimè meritum tribuens locum. Ut armis quoque modum poneret, pacem bello præhabens, eandem partim aurò coëmit, partim gladio hostibus extorsit. Hactenus dextro duntaxat oculo providisse Imperio videri poterat, deinceps verò eidem invidisse oculo sinistro; nam eam, quam hucusque instar viperæ in sinu occultaverat, tandem prodidit hæresin. Eutychianorum nempe hæreticorum fautor haud occultus amplius, Euphemium Constantinopolis Antistitem urbe ejecit, subrogato in ipsius sedem Timotheo Eutychiano. D. Hormisdæ Pontificis Legatos Pontificios ne quidem in conspectum admisit, verùm rimoso impositos navigio Romam remisit, monito severè nauclero, ne ad ullum maris portum appelleret navigium, ut naufragio Legatos certiùs perderet, quos incendio priùs periisse peroptabat. Quin eò vesaniæ pervenit tyrannus, ut Catholicorum multos sepe circumdatos jugulari præceperit. Quibus sanè sceleribus ad eum provocavit divinam Nemesein, ut non modò à Vitaliano Christianorum defensore obsidione circumcinctus, & tres simul è supremis belli Ducibus à Persis & Gethis fuerint victi, sed & ipse Imperator an. Christi 518. Imperij 27. fulmine percussus interiêrit has inter voces quovis fulmine magis tremendas: *En, ob improbitatem tuam XIV. vitæ annos tibi deleo!* Symb. *Mellitum venenum blanda oratio. Evagr. Cedren. Zonar.*

Reflexiones supra Seculum V.

Impetravi hoc V. Seculo, cur & mihi & meis gratuler adversariis, Erdmanno & Hübnero; nec enim dum ab anno 400. usque ad annum 500. viam Historicam inivimus comites, multum diversas pervasimus semitas, ducti sapissimè per communes calles & colles. Ad metam tamen cum me pervenisse jam cernerem, itineris rationem tum à memetipso, tum à viatoribus adversis poscendam esse ratus, quæ in rem Christianæ Religionis cedere, aut contra eandem occurrere possent, probè examinavi. Et tunc advertēbam, omnino multa silentio regi à Lutheranis Historicis, quæ Romanæ apprimè serviunt Ecclesiæ. Eadem igitur haud ego tegam silentiò, postquam responsum, quod uno alteròve aut etiam tertio de capite à me expectant, antagonists hic meis dandum expedivero. Historiam nimirum suam de Synodo III. & IV. Ephesi, atque Chalcedone congregata ita instruxerunt, ut, dum Imperatoribus Theodosio juniore & Martino adscribunt omnia, nihil Romano Pontifici concedant. Ajunt hinc,

I. Concilium Ephesinum I. à Theodosio juniore fuit celebratum.

II. Concilium Chalcedonense congregavit Martianus Imperator.

III. Pulcheria Imperatrix Martino nupsit eo pacto, ut Virgini liceret permanere, sed ob hanc causam, quòd annos ætatis numeraret jam 51.

Responsio ac Reflexio I. ad I. & II.

Neminem doctorum virorum fugit facilè, Romanis Imperatoribus in cogendis octodecim Oecumenicis Conciliis, plurimum laudis ab universa Ecclesia fuisse meritò tributum. Et profectò plurimum encomij ac præmij cœlestis, promeriti sunt Constantinus M. Theodosius M. Theodosius junior, Martianus, Justinianus, Constantinus IV. &c. utpote qui armata manu inermes Episcopos adversus quosvis hostium impetus & insidias tutati sunt, in destinatum Concilio locum conduxerunt, conductos defenderunt; rebelles verò ac schismaticos vel in exilium expulerunt, vel carceribus concluderunt, vel alias justissimas solvere poenas jusserunt, coercentes adversa eorum

cor-

corpora, quorum contumaces animos nec censuris Ecclesiæ domari satis posse intellexerant. Alterum nimirum Ecclesiæ brachium est, potestas secularis; uruntur, percutiuntur & resecantur membra putrida, dum à brachio altero medicinam haud accipiunt. Verùmenimverò quòd ad ullum ex octodecim Ecclesiæ majoribus Conciliis Imperatorum omnium, aut Regum quispiam, vel sua unius autoritate sacros Antistites convocarit, convocatis *Præses supremus* legem præscripserit, tanquam *supremus Judex* sententiam ultimam dixerit, non consulto Pontifice maximo in Ecclesia momenti negotium secundum leges finièrit, agedum, pronuntia, quisquis audes pronuntiare vel Historicus, vel Jurisperitus, vel Theologus! Interea dum pronuntiaveris, & pronuntiatam animi sententiam per idoneis argumentis munièris, securam mihi erit possessio, ipso naturæ lumine, & communi judicum judicio plusquam satis stabilita. Sed ne perinde ansam dicendi capias, aliud præter sæpius jam repetitum possessionis titulum non favere hic argumentum mihi, inspicere ne tædeat annales, quos tibi aperiet C. Baronius de Concilio Ephesino antiquissimos, in quibus invenies super Nestorii hæresi maximè, congregatum fuisse à Cœlestino Pontifice Concilium Romæ Romanum, post hoc coactum annuente eodem Pontifice à D. Cyrillo Alexandria Alexandrinum, & demum consentientibus Cœlestino Pontifice ac Theodosio II. Cæsare, Ephesi Ephesinum, idque Oecumenicum, cui Pontificis loco Præses suprema cum potestate præfuerit idem Cyrillus Alexandria Episcopus: huic verò accesserint Legati Pontificii Arcadius & Projectus Episcopi, nec non Philippus S. R. E. Presbyter; quos cum maris tempestate impeditos in itinere fuisse constaret, in dies quindecim Concilii Sessio prima fuerit dilata, & demum adventibus debitus locus & honos exhibitus à congregatis Patribus. Convenère autem Patrum eo in Concilio ducenti, qui in æde D. Virginis honoribus dedicata, suis è sedibus sententias contra Nestorium dixerunt, & Salutationi Angelicæ Augmentum saluberrimum hac clausula addiderunt: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ, Amen.* Unde D. Prosper Aquitanus Rhegiensis Episcopus, eximius laudibus extulit D. Cœlestinum Papam, quòd per eum omnes orientales Ecclesiæ gemina peste fuerint purgatæ, quando

Q3

Cyril-

Cyrillo Alexandrinæ urbis Antistiti gloriosissimo Fidei Catholicæ defensori ad execrandam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio, eodemque Pelagianos, dum cognatis confæderarentur erroribus, iterum prostravit. Quin Theodosius Imperator ipse, nec non Episcopi Orientis Legatos miserunt Romam Joannem Presbyterum & Epictetum Diaconum, qui an. 432. circa Ferias Natales Christi, Romæ Cœlestino Pontifici Ephesinæ Synodi progressus faustissimos fuerunt gratulati. Lege hac super re Gennad. lib. de Script. Eccles. c. 54. S. Prosperum, C. Baronium supr. an. 431.

Ad Concilium pariter Chalcedonense autoritate D. Leonis Pontifici venerunt Legati Lucentius Episcopus Asculanus, Bonifacius & Basilius S. R. E. Cardinales, atque Julianus Coënsis Episcopus, qui ante reliquos Patres universos, locatas ordine sedes, nemine refragante, occupârunt, uti habent acta Concilii. Eodem proinde in Concilio octavo Idus Octobris sess. 1. cum Martianus Imperator significasset, sese Constantini M. exemplo, Concilio adesse & adfuturum, Legati Pontificii mox palàm fecêre, quæ mandata acceperint *ab Apostolico Papa Urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum*. Leg. Concil. Act. & Evagrium lib. 2. c. 4. Cum verò inter mandata Pontificis omnium primum foret, ut Dioscorus Alexandriae Episcopus hæreticus, cum sociis hæreticis è Concilio excluderentur, ob conciliabulum privata autoritate Ephesi celebratum, mox Pontifici obsecundârunt cum Imperatore Episcopi; tum consecuta est sacri Trisagii acclamatio, atque hoc modo finita prima Sessio, ut vocant. Dum autem 3. Idus Octobris tertio convenerant, nec Imperatori, nec ulli alteri viro seculari integrum fuit collectis adesse Patribus, quòd eadem die suscipienda & expedienda fuerit Dioscori Episcopi hæretici secundùm Canones Ecclesiasticos damnatio. Verùm cum Dioscorus bis in iudicium vocatus, compariturum se respondisset, si iudices quoque *Laici* adessent, reposuit Cecropius Sebastenus Episcopus, omnium Episcoporum loco: *quando quedam Regularia, hoc est, Ecclesiastica, negotia examinantur secundùm Canones, neque Iudices alios, vel Laicos interesse oportere*. Postquam tamen Dioscorus in pertinaci proposito perstitit, exhibiti fuêre & alta voce recitati libelli adversùs Dioscorum à Clericis

cis Alexandrinis præsertim, Synodo oblatis, quos omnes hac inscriptione notatos erat cernere: *Sanctissimo & Beatissimo universali Episcopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ & universali Synodo*. Iisdem verò libellis cum appellaretur Dioscorus *Origenista hæreticus, in sanctissimam Trinitatem blasphemus, homicida &c. ac demum Leonem Pontificem excommunicare præsumpsisset*, placuit collectis Patribus tertio vocare Dioscorum, ut de expressis multiplices in libello sceleribus responderet. Sed cum nec tertio vocatus veniret, tum demum Apostolicæ Sedis Legati Leonis nomine sententiam dixerunt, qua Dioscorum omni Episcopali dignitate & Sacerdotali ministerio spoliatum declarârunt. Huic verò sententiæ Episcopi universi nomen suum subscripsêre, post Legatos nimirum Pontificios Anatolius Constantinopolitanus, & deinde Maximus Antiochenus & reliquo ordine Episcopi reliqui. Leg. act. Concil. d. Sess. 3. vid. etiam C. Baron. supra an. 451.

Hæc multaque alia his similia si authoribus tum antiquis, tum Recentioribus investigare libuisset vel Hübnero vel Erdmanno, nisi ruborem omnem exuissent, veriti fuissent, omnia tribuere Imperatoribus, nihil verò Pontificibus; sed ita divisissent imperium in Conciliis maximum, ut Pontifici majorem, Cæsari minorem, huic profanam, illi sacram potestatem adscripsissent.

Reflexio ac Responso III. ad III.

Summum attulêre solatium mihi Hübneri & Erdmanni dicta de Pulcheriæ Imperatricis continentia simulque rara prudentia, quam Orientis maximè Imperium incremento suo & solatio singulari longo tempore expertum fuit. Hanc ipsam verò ob causam multa cogitando assequi haud poteram, qua nimirum ratione viri Historici exempla tam rara verbis duntaxat prædicarent, exempla verò exemplis propagare non satagerent, remoti procul ab imitatione. Placet haud dubiè in Pulcheria & Martiano castimonix & fortè Religionis etiam splendor adeò, ut Lutheranorum authorum etiam quispiam vix quicquam vituperare sustineat: lubeat igitur amplecti, quod laudari maximè, vituperari potest minimè; *imitari non pigeat, quod cele-*

celebrare delectat. D. Aug. Verùm quod reponitis, iterum intelligo. Perseveravit, inquitis, esse Virgo Pulcheria, eò quòd annos ætatis numeraret tot, quot inhabilem ad procreandas proles jam reddiderant. O præclarum argumentum! O Achillem fortissimum ad enervandum castimoniæ valorem & vigorem! *Pulcheria 51. annos jam numerat; igitur dum nubere cogitur, in castimoniæ leges Virgo jurat.* Quæro hinc ego ex hisce Pseudo-Logicis: an non Pulcheria annos nata E. g. 20. 30. 40. eandem sibi indixit legem, ut *virum non cognosceret*, M. Virginis exemplum, & D. Pauli consilium secuta? Ita sanè Pulcheriam adhuc tenellam Virginem secum statuisse, & propositum hoc servâsse per annos vitæ singulos tot sunt assertores, quot de Pulcheria Imperatrice notitiam hauserunt Historici hoc nomine digni: lege idcirco inter Authores Veteres Sozomenum, inter Recentiores C. Baronium, imò quosvis de Pulcheria sinceram mentionem continentes. Nec miraculo par erat res, istis jam seculis talia exempla experiri & intueri, ita ut cunctis fuerit integrum nubere, meliùs verò atque sanctiùs haberetur, Virginem & esse, & Virginem permanere: edicite enim, obsecro, cui virorum nupserunt cum plurimis aliis natalium splendore Virginibus maximis tres D. Pulcheriæ sorores, *DD. Pacilla, Marina, Arcadia.* quas nulla omissa etiam Hübnerus in suis tabulis appulit, ut M. Theodosii Genealogiam texeret. Multa proin hoc loco præteriens silentio, unius rei commonere Hübnerum haud supersedeo. In his suis de Genealogia Imperatorum tabulis fol. 21. asserit, Theodosium II. D. Pulcheriæ fratrem natum an. 401. mortuum an. 450. Pulcheriam verò post Theodosium, Pacillam, Marinam & Arcadium ponit loco nativitatis ultimo, si igitur hunc in modum Genealogiam suam texere perseveret Hübnerus, adversarium semet opponere sibi nullo negotio cupiet: D. Pulcheria enim eodem anno, quo satis concessit Theodosius, nupsit Martiano, anno nimirum 450. Atque adeò Pulcheria teste Hübnero, quinto nativitatis loco, patri Arcadio nata, minimè numeravit annos *ætatis* 51. sed fortè 44. Quamvis ego hujus minimè sustineam esse sententiæ: Hübnerum enim, ne sui obliviscatur nimium, rogatum duntaxat volui. Cæterum uberiorem

riorem equidem facere mentionem de tantis Virginibus non dedignantur Scriptores Heterodoxi, dum meminere, has summo loco natas filias sub auroram & vesperum invitasse Imperatorem fratrem, ut secum sacris adesset constanter. Non desunt denique authores, qui hisce in sororibus magna ex parte fuisse impleta ea omnia referunt, quæ Poëtarum fabulæ vel de Mafis, vel aliis castissimis sororibus confinxere. Talia igitur legant & sana mente perpendant Hübnerus atque Erdmannus, siquæ à vero aberrare videantur, refutant ac revellant; si verò synceræ conformia censeantur Historiæ, tunc mirentur & imitentur, simulque considerent, num magis Romanæ, quàm Lutheranæ talia studia fuerint eo tempore, & hodie sint communia.

REFLEXIO IV.

Post datas adversariis responsiones haud pigeat secundùm annorum hujus seculi seriem intelligere nonnulla vel Imperatorum, vel aliorum principum virorum, aut etiam foeminarum gesta, quæ si Romanæ Ecclesiæ non opitulari plurimum, saltem refragari aut obesse nequaquam poterunt.

An. 401. In urbe Gaza ob Theodosium II. ex Eudoxia natum Porphyrius Gazensis in Palæstina Episcopus ab Arcadio Imp. impetravit copiam convertendi omnia Deorum delubra in sacras Christianorum ædes, quam maximi momenti rem executioni dedit inter multa miracula. *Marian. Diacon.*

An. 406. Arcadius ex Palæstina S. Samuelis Prophetæ Ss. Reliquias Constantinopolim transferri jussit, hinc eadem perpetuis fidelium populorum processibus, ut vocant, inter cantus & preces longissimo itinere fuerunt ductæ. *S. Hieron. & Theodor.*

Eod. an. Honorius Imp. impetrata adversus Gothos miraculosâ victoriâ cunctis hæreticis bonorum publicationem indixit. *Vid. C. Baronium.*

An. 407. Cumanis propè Pontum Euxinum, mortuum inter miracula D. Joannem Chrysostrum luxerunt, ad cujus funus & sepulchrum ex Syria, Cilicia, Ponto & Armenia tanta hominum mul-

titudo concurrat, ut etiam hic populorum concursus par miraculo videri potuerit. *Pallad.*

An. 408. Romanorum Imperatores centum annorum inducias pacti sunt cum Persarum Rege, cujus pacis occasione S. Marutha Mesopotamiæ Episcopus Imperatoris ad Regem Legatus, potestatem ab eodem Rege impetravit erigendi multas Ecclesias, postquam Regis filium dæmonio liberavit. *Socrat.*

Hoc tempore D. Augustinus librum suum scripsit de Civitate Dei, in quo ostendit, gentilium maxima scelera in causa fuisse, cur à Gothis aded vexata sit Roma, aliàs omnino extinguenda, nisi Christianorum meritis conservata, stare perseverasset.

An. 414. In Macedonia & Palæstina promotus fuit maximè cultus Ss. Reliquiarum, cui etiam augmentum attulit inventio Reliquiarum S. Stephani, quæ multis miraculis inclaruere. *Gennad. Marcellin. Niceph.*

An. 416. Reliquiis S. Stephani ab Orosio ex Oriente in Occidentem translatis patrantur miracula plurima, inter quæ meritò numeranda veniunt septem mortui iisdem Ss. Reliquiis inter vivos denuo numerati. *S. Augustin. Gennad.*

Eod. an. Judæi 540. miraculis virtute Reliquiarum S. Stephani patratis, conversi sunt ad fidem Orthodoxam in Insula Minorica. *Severin. ejusdem loci Episc.*

An. 417. D. Augustinus eos valde reprehendit, qui è templis redièrunt, antequam Sacrum seu Missa, ut vulgò dicitur, fuit finita; item eos, qui choreas in festis DD. Martyrum instituerunt. *S. August. de temp. serm. 215.*

Eod. an. Theodoretus Cyri in Syria civitatis Episcopus creatus, numeravit sua in Dicecesi parœcias 800. Marcionitarum plura, quàm decem millia convertit, adjutus plurimùm Ss. Reliquiis S. Joan. Baptistæ. *Theodoret. variis in epistolis ad Leon. Pont. datis.*

An. 425. Valentinianus III. Imp. varia jura & privilegia ab Arianis Imperatoribus adempta Clericis restituit: inter alia fuit, ne Clerici aut Monachi judiciis Secularium essent subjecti: *fas enim non est, ut divinæ rei Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Ita

Valen-

Valentin. l. 62. 63. 64. C. Theod. de heret. & l. 46. 47. C. Theod. de Episcopis & Clericis.

An. 427. Memoria S. Chrysoctomi jam solenniter in Ecclesia Christiana celebrabatur. *Marcellin.*

An. 430. In ipsa oppugnatione Hypponis mortuus est S. Augustinus annorum 76. senex, 30. annorum Episcopus, pro quo defuncto statim Missæ sacrificium oblatum fuisse testatur *Possidius Episcopus Calamensis, qui morienti presens adstitt.*

An. 434. S. Stephani Reliquiæ liberârunt Virginem Carthaginensem dæmoniò. *S. Prosper.*

An. 435. S. Germanus pergens ex Gallia aut Germania in Italiam, scilicet Ravennam ad Valentinianum Imp. fatis concessit inter ingentia miracula. Idem capsulam Ss. Reliquiis refertam secum portare semper solebat, quas dein Galla Placidia Augusta sibi servavit. Vestimenta ejusdem Reliquiarum loco, Episcopi inter sese diviserunt, cadaver verò sumptibus Imperatoris in Galliam inter perpetua miracula translatum universis placuit. *Constantius ejusdem temporis scriptor.*

Eod. an. in lucem editus est Codex Theodosianus, in quo plurima in favorem Romanæ Ecclesiæ sunt legenda. *Vid. eund. Cod.*

An. 438. Corpus S. Joannis Chrysoctomi Cumanis transferri curavit Imperator Theodosius, cujus Legati cum Cumanas advenissent, corpus D. Chrysoctomi loco suo amoturi, ipsum verò nulla humana opera moveri potuisset, tunc rei hujus certior factus Imperator, literis tanquam ad vivum Chrysoctomum missis, veniam omnium delictorum à parentibus Arcadio & Eudoxia admissorum petiit. Protinus indè Divi corpus moveri se passum, in theca argentea Sacerdotum humeris, confluentibus undique Clericis ac Monachis, inter ardentes faces translatum est primò Chalcedonem, Chalcedone verò, comitante ipso Imperatore ac Broclo Episcopo, nec non populo Constantinopolitano, supra Bosphorum navibus tectum, ac ardentibus cereis collucentem, Constantinopolim usque, ad ædem Ss. Petri ac Pauli inter Psalms & hymnos perductum. *Cosmas, Nicephor.*

Eodem anno à S. Thyrsò M. facta est D. Pulcheriæ Imperatrici revelatio Reliquiarum 40. Martyrum, quos sub Licinio Imp. passos esse in Armenia diximus. *Sozom. qui se translationis pompæ interfuisse testatur.*

Eod. an. Eudoxia Theodosij Imp. conjux, ut liberaret se conceptò vorò, Hierosolymam peregrinationem instituit, & ibidem inter varia pietatis exercitia annum totum insumpsit. *Socrat. Evagr.*

Eod. an. Augusta secum retulit duas catenas, quibus in carcere ligabatur D. Petrus. Earundem alteram Constantinopoli servavit, alteram verò Romam misit; unde filia Theodosij Eudoxia templum D. Petri ad vincula dictum ædificavit. *Evagr.*

An. 445. Valentinianus III. succurrit D. Leoni Pontifici in compescendo Episcopo Arelatensi, qui adversus Viennensem Episcopum insurgens, & ejusdem se metropolitanum constituere præsumebat: hanc in rem edictum edidit Imperator publicum, in quo Primatum Ecclesiæ Romanæ supra omnes Episcopos clarissimè agnoscit, & eò usque agnitum fuisse testatur. *Vid. C. Baron.*

An. 446. Terræ motibus universam ferè terram quassantibus, cum Theodosius & Pulcheria universusque populus in campis oraret, subito puer in altum abreptus, & denuo in terram demissus, didicisse se ab Angelis *Trisagion* testatus est: unde præeunte Imperatore omnis vox altissimè insonuit: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis. Nicephor, Asclepiad. Acacius, Justinian. Sicutulus &c.*

An. 449. Valentinianus III. Imp. Romæ agens reprobavit non minùs quàm Romanus Pontifex, conciliabulum Ephesinum; cui cum aliquo tempore favisset Theodosius Imperator, agnito tandem errore suo egit publicè poenitentiam; qua de causa Ephesum petiit S. Joannem Evangelistam honoraturus. *Nicephor, Cedren. Zonaras.*

Eod. an. formula Fidei Orthodoxæ ab hæreticis repulsa, & mox S. Euphemie Reliquiis imposita confirmatur miraculò. *Nicephor. Constantin. Episc. Zonaras & Glicas.*

Eod. an. petiit Imperator à Romano Pontifice, ut in honorem D. Euphe-

phemiæ Chalcedon vocaretur metropolis, absque præjudicio tamen Nicomediæ.

Anno 453. Mortua est D. Pulcheria die 11. Septembris, quo tam à Latina quàm Græca colitur Ecclesia. Erexit eadem templum, in quo imaginem Deiparæ Virginis posuit à D. Luca pictam. *Niceph. duo Theodoret.*

An. 456. Childericus Francorum Rex in Gallia etsi gentilis, commotus tamen pluribus miraculis à S. Genovesa patris, cœpit favere maximè Christianis. *Acta S. Genoves.*

Anno 461. Leo imp. miraculis Danielis Stylitæ commotus, eundem non rarò adibat, miratus in Daniele novum Simeonem Stylitam. *Vita Daniel.*

An. 463. D. Elisæi Prophetæ Reliquiæ translatae sunt ex Palæstina Alexandriam majoris venerationis causâ. *Cedren.*

An. 466. Leo Imp. constitutionem novam edidit pro immunitate Ecclesiastica. *L. 6. C. de his, qui confugiunt ad Eccles.*

Anno 472. Sidonius vivente adhuc uxore Papianilla vir nobilissimus, & Aviti Imp. gener eligitur Episcopus Arvernensium. *Vide Gregor. Turon.*

An. 476. Basiliscus Imp. omnes hæreticos exilio mulctatos liberavit; verum eidem sese mox opposuit D. Simplicius Pont. Acacius Patriarcha Constantinopolis, Clerici plurimi, ingens Monachorum multitudo, inter quos D. Daniel Stylita stetit, qui monitis coelestibus descendere adactus de columna sua, Constantinopolim pervenit; unde Basiliscus palinodiam cecinit. *Evagr. Theodoret.*

An. 477. Zeno victor Basilisci in honorem S. Theclæ, cujus patrocinio fruebatur, amplissimum templum Seleuciæ Isauriæ construxit. *Evagr.*

Eod. an. Sublato Basilisco Zeno Imp. profectus est ad Danielem Stylitam, à quo quondam sui ejectionem in exilium, sed & restitutionem intellexerat. Præsente Daniele Deo se gratissimum ostendit, & indè literas ad D. Simplicium Pont. misit, in quibus Romanæ Ecclesiæ se omnia restituisse testatur. *Sur. S. Simplic. ep. 7.*

An. 482. Zeno Imp. à Mogo & Acacio perverſis Episcopis ſeductus, Enoticon ſeu compositionem diverſarum Religionum miſit ad varios Episcopos, in quo Concilium Nicænum, Conſtantinopolitanum & Ephelinum ſe ſuſcipere affirmavit, Concilium verò Chalcodonenſe rejecit. *Evagr.*

An. 484. Cùm Ariani Episcopi ſpargerent, recuſari ab Episcopis Catholicis de Fide diſputationes, jubente Hunnerico Wandalorum Rege in Africa omnes Catholicorum ædes ſacræ ſunt clauſæ, Episcopi ſuis bonis privati, lignis cædendis & aliis operibus viliffimis addiçti, furente plurimùm eodem Hunnerico, præſertim cùm adverteret plurima patrari miracula pro confirmatione Romanæ Fidei. *Victor Uticens.*

Eod. an. in Typaſenſi Mauritanix civitate, cùm Regis mandatò plurimis Catholicis dexteræ fuiſſent amputatæ, & linguæ radicitus evulſæ, iidem tamen abſque linguis articulatè, quamdiu vixerunt, locuti ſunt. *Victor Uticens. Aen. Gaz. Marcellin. Comes, Procop. Item S. Greg. Papa & S. Iſidor.*

Eod. temp. cùm eorum quiſpiam, qui linguæ jaçturam tulerant, in vitium carnis lapſus fuiſſet, mox eundem beneficio loquendi privavit Deus vindex. *S. Greg.*

An. 485. Anthimius Salaminæ Episcopus invenit corpus integrum S. Barnabæ Apoſtoli, unà cum Evangelio S. Matthæi ſupra pectus locato, quo opportuniffimè comprobatur contra Eutyçhianos vera Chriſti humanitas. Inventionem verò hanc comitata ſunt complura miracula. *Alexander Monachus, Theodorus Lector, Suidas, Nicephorus.*

An. 493. Apparitio S. Michaëlis ubique terrarum in Europa & Aſia præcipuè, copioſius cœpit à Latina & Græca Eccleſia celebrari. *Drepranus Florus & Sidonius.*

Anno 499. Opera D. Clotildis Francorum Reginae contigit converſio Clodovæi Regis inter clariffima miracula. *Gregor. Turon. Sigebert. & alii.*

Tam multa ſeculo hoc V. ab Imperatoribus ipſis patrata, vel ſaltem

tem ſpectata facinora; item exhibita in utramque partem, pro Eccleſia nimirum contra Eccleſiæ hoſtes miracula &c. ſi veluti in faſciculum mihi denuo colligam, fas erit hoc maximè modo rationes rationi jungerè: vidit hoc ſeculum & multa & rara ſpectacula in Eccleſia & Imperio, haud una tantùm tragoedia diverſiffimos oſtendit rerum eventus, ſcenam aperiente & claudente divina providentia, de qua Prov. cap. 8. ita legimus: *cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delicie meæ eſſe cum filiis hominum.* Veligitur pronuntiat Hübnerus & ſocii, hoc ſeculo V. *Dei Eccleſiam orbis noſtri oculo jam fuiſſe ereptam, vel comparant eandem Eccleſiam civitati ſupra montem poſita?* ſi hoc ultimum dilemmatis cornu eligant, ipſimet ſe confodiunt; frequentiffimum enim in Eccleſia velut in theatro patentiffimo, aut in civitate ampliffima locum haudquaquam anguſtum occupavit hoc etiam ſeculo V. Adoratio ſacratiffimæ Crucis & omnia Fidei Romanæ capita ſeculo priori fol. 98. & 99. recensita.

Verumenimverò talia ac tanta rerum capita concedere, quid aliud eſt, quàm Lutheranam & Calvinianam Religionem aperto Marte petere, toxicum præbere, aut jugulum ferire; cornu itaque dilemmatis alterum eſt ſuſtinendum dolore Hübneri maximo: pronuntiet is amabo cum ſociis, hoc jam V. ſeculo Chriſti Eccleſiam paulò antè cunctis *viſibilem* mortalium penè omnium oculis fuiſſe ereptam, tunc enimverò tela ſua in ſeipſos denuo convertunt, præſertim Hübnerus, qui apertiffimè in ſuis tomulis pronuntiat, *ſeculo primùm VI. circa D. Gregorii M. tempora Eccleſiam inſtar ſyderis hominum oculis cœpiſſe eripi.* Quin tomulo I. de Imperatoribus inſcripto faſſus eſt, Anaſtaſium Imperatorem Eccleſiæ Chriſtianæ inſenſiffimum, prodigioſo fulmine percuffum, & cœleſti hac voce, veluti prævio tonitru concuſſum interiſſe: *En! ob perverſitatem Fidei tuæ quatuordecim tibi vite annos deleo!* Talia cornua, talia fulmina cur timeant, non habent Romani: his enim abſque temeritatis nota præſens hoc ſeculum claudere licebit hac coronide: *viderunt & hoc ſeculo V. oculi mei ſalutare tuum, quod parâſti ante faciem omnium populorum; lamen ad revelatio-*

nem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Luc. 2. viderunt oculi mei Ecclesiam tuam Domine lucentem instar luminis aut magni luminaris, quod præesset diei ac nocti, & luceret filiis lucis ac filiis tenebrarum, hisque foret in ruinam pervicaci voluntate accersitam, illis verò in resurrectionem.

Periodi III.

Seculum Christi Nati VI.

LIV. Justinus I. Thrax.

Justinus Thraciæ decus, licet genere obscurissimus, primùm subulcus, tum verò faber lignarius, paulò post miles, ex milite prætorianæ cohortis Dux, tandemque ex Duce Imperator evasit, Senatûs potissimum favore, quem propria virtute & aurò alienò sibi conciliavit & simul corrupit: aurum enim ab Amantio eunuchorum Anastasii Imp. præfecto, euclione ditissimo acceperat, ut Theocratiano Tribuno emeret diadema; quod verò emptor haudquaquam sui oblitus capitis, præripuit æmulo. Et profectò præripuisse placuit jure plurimis; Imperator enim hic novus Religionis Romanæ acerrimus extitit propugnator & custos; eos nempe, quos Anastasius in exilium ejecit, Justinus continuò repetiit; Severum quoque hæresiarcham, quem Dicorus in sacram Antiochiæ sedem promovit, ipse amovit, simulque hæreticorum sectas oppugnavit. His egregiis factis haud contentus, severissima contra Arianos edicta promulgavit; Chalcedonensis è contrario consilii Decreta integrè servari præcepit, elegantissimo Latinam simul & Græcam Ecclesiam connectens vinculo. Verùm Theodoricus Gothorum Rex, Italorum tyrannus his de Justino auditis nuntiis, & commotus famâ, non minori ferociâ, in Catholicos sæviit, quàm Justinus laudatò zelò & constantiâ in Arianos animadvertit; Joannem I. enim D. Pontificem, quòd Justino Imperatorium diadema suis manibus imposuisset, Constantinopoli reducem inediâ & squalore carceris Ravennæ confecit: Boëtium verò & Sym-

Symmachum Romæ Consulares viros omnium æstimatione maximos, quòd sua consilia & Pontifici & Cæsari subministrâssent, primùm exiliò, & mox capitis poenâ multavit. Tantorum Martyrum & aliorum cædibus irritata Dei ultio Theodorico fuit præsentissima; dum enim accumbenti ad mensam Regi apponitur solitò majoris caput piscis, id ipsum Symmachi occisi caput coenanti adesse visum, incussit tantum terrorem, ut rationis beneficiò destitutus inter confusissimos ejulatus damnatam animam expuerit an. regni 33. Christi 526. Justinus anno sequenti, cum morbis & annis se gravatum agnosceret, Justinianum ex sorore nepotem adoptavit in filium & Imperij hæredem, ut Cæsar senex adesset juveni, juvenis Cæsar seni. Verùm haud diuturno tempore simul imperârunt; quarto enim post factam adoptionem mense Justinus fatis concessit post 9. annos Imperij. Symb. *Quod pudet, hoc pigeat.* Procop. Egnat. Niceph. Evagr. Cedren. &c.

LV. Justinianus I.

Justinianus Thaurisii an. 482. in Illyrico natus patre Sabatio, matre Vigilantia, Justini Imperatoris sorore an. ætatis 45. Cæsar adoptatus, per annos 38. aut 39. ita Imperium moderatus est, ut à plurimis fuerit laudatus plurimum, à non paucis tamen etiam reprehensus multum. Inclaruit orientis instar solis suo in Imperio Justinianus, in principio aurora, in medio meridies, in fine occasus haud immeritò appellandus. Splendorem sanè tanti Cæsaris obliquis & lividis aspexere oculis hostes potentissimi in Europa, Asia & Africa: in Italia namque tres Gothorum Reges, Vitiges, Teja & Totila victi, regno finem imposuerunt suo, postquam annis ferè 60. aut 70. inter Italos duravit. In Asia Cosrhoës Persarum Rex, primò cum Justiniani copiis haud congredi ausus, dein verò translata in Europam maxima Cæsarei exercitus parte, invadens Romanum Imperium, quamvis non fuerit penitus devictus, in regnum tamen suum celeri cursu redire compulsus, tantisper quievit. Africa annis ferè centum à Vandalis occupata, tunc verò brevi temporis intervallo expugnata, Romanorum Imperatori denuo sacramentum dixit, Gilimere eorundem Re-

ge in triumphum Constantinopolim abstracto, quem, cum Justinianum Cæsarem & Theodoram Augustam conjugem in sublimi solio confidentes aspexisset, cum risu has crebrò ingeminasse voces tradunt: *vanitas vanitatum & omnia vanitas!* Tales ac tanti responderunt fructus prudentissimis Justiniani Imperatoris consiliis, & simul Belisarii felicissimis præliis, quæ hic foris commisit, ille domi ordinavit, dubio posteris relicto, uter plus vicerit. Auxit nimirum post Imperii auspiciis Justiniani lucem & gloriam maximè Belisarius belli Dux in paucis memorandus; is enim Persis domitis amissas circa Euphratem provincias recuperavit. Gilimere etiam Vandalorum Rege in pugna capto Africam recepit, parem virtutem in bello Italico exhibuit, & fidem suam Imperatori inconcussam demonstravit; rogantibus enim Gothicis, ut ipsorum & Italiae regnum Rex acceptaret, simul offerentibus coronam regiam, obfirmato restitit animo. Adeò jurata fides Cæsari potior coronâ fuit Belisario! Argumentum fidei constantissimæ dedit alterum ex Italia Constantinopolim redux; mendacibus enim æmulorum delationibus affectati clam Imperii reus ad Cæsarem delatus, ab Augusto omni destitutus est honore & officio. Verùm quanti interfit Imperatoris vel unico destitui fidissimo ac fortissimo Duce, brevè tristissimus rerum eventus docuit: Belisarii enim potenti dextra nudatus Justinianus, facta suorum procerum conjuratione suo de solio est deturbatus, Imperij insignibus ad Florianum Senatorem translatis. Tum verò Belisarius calore novo inflammatus, & fortissimorum juvenum caterva stipatus, in foro publico comparuit, tumultuarium Cæsarem, quem vultu amicitiam simulante venerari poterat videri, lethali vulnere interimens: interempti caput à trunco suo rescissum, mox triumphantis more ad Imperij supremum caput detulit, & ingentem luctum in majus convertit gaudium. Restituto itaque Cæsare restitutus & sibi suisque Belisarius felix esse potuisset, si plus in ipso Numinis, quàm Principis gratia valuisset; nam Constantinopoli Romam denuo reversus, cum Theodoræ Augustæ, Arianæ & impotentis animi faminæ mandatò, D. Sylverium Pontificem Romanum vi captum, in insulas relegasset, ipse denuo, ut vel hanc culpam elueret, de stru-ctis Imperatori insidiis insimulatus omni honore privatus est: hinc mœ-
rore

rore atque ærumnis consumptus, gloriosæ vitæ imposuit finem haudquaquam gloriosum. Dum hæc foris sunt gesta Marte, Imperator domi pacis inclaruit artibus: cum namque in densissimam sylvam excrevissent Jurisprudentiæ leges aut legum libri, Justinianus ab aliis desperatam molem ausus in se suscipere, operâ Triboniani Jurisconsulti peritissimi potissimum, redactis in pauca volumina legibus utilibus ac necessariis, jus penè universum Cæsareum duobus libris complexus est, quorum alterum Codicem Justinianum, alterum Digesta, seu Pandectas appellavit, quòd leges Romanorum universas ab Urbe condita latas, atque adeò mille & aliquot centenis annis haud debito ordine compositas, ipse ritè composuerit, & eleganti ordine collocarit: eam ob rem edi in lucem jussit etiam Institutorum librum, ut jurium præcepta faciliori studio humanus intellectus assequeretur, & memoria firmius retineret. Cum nihilominus Suidas author Græcus & socii pauci Justinianum inter *idiotas* numerarint, vel senem Cæsarem ita vilipendisse censendi sunt, vel certè horum authorum paucitas superatur à multis aliis, quibuscum communis inter eruditos fama Justinianum Imperatoribus legum peritissimis constanter annumeravit jure merito: tam bardum enim nepotem suum jam provectæ ætatis virum, si novisset Justinus Imperator prudentissimus, haud ita facilè in Imperij solium evexisset; nec Historici alii tantâ concordiam dixissent, Justinianum necdum Cæsarem virtutibus & literarum studiis se consecrasse totum. Talia si minùs placeant, amice Lector, aude sis prodere argumenta, quibus Justinianus vir aut juvenis probetur malus & indoctus. Cæterùm literis & virtutibus junxit præclarè Religionis Orthodoxæ amorem ac æstimationem, quibus incensus Arianæ hæresis & focus interdixit, strenuam addicens operam iis Episcopis, qui supremo Præside Vigilio in Concilio Constantinopolitano II. sententias adversùs Arianos aliosque ejusdem temporis hæreticos dixerunt. Templum adhæc & arte & pretio prorsus eximium Constantinopoli extruxit Sanctæ Sophiæ, hoc est Divinæ sapientiæ dedicatum. Hactenus partim encomiis digna, partim reprehensione haud indigna in medium allata sunt facinora, quibus similia aut deteriora sunt, quæ se-

quuntur. In senibus sapientiam atque prudentiam aut veneramur præsentem, aut requirimus absentem. Justinianus verò uxoris Theodoræ captus blanditiis, dum nunc in sacros Præsules sævire permisit indomitam fæminam, nunc strenuos belli Duces persecutus est, nunc Eutychianæ sectæ vel omnino subscripsit, vel ei remissè fuit refragatus, in senectute præclarum opus suum corruptit & obscuravit, occiduo soli haud absimilis, cum hic obductis nubibus omnem subito terrarum orbi negat lucem, ipse sepultus tenebris. Ita de Justiniano ausi sunt permulti scribere authores, quibus tamen contrarium strinxere calamum non pauci, qui Justinianum vel inter cœli sydera, hoc est, Divum inter Divos collocârunt. Aded non rarò incerta Historicorum venduntur testimonia! Vixit Justinianus an. 48. imperavit an. 38. mort. an. Christi 565. Symb. *Summum jus, summa injuria. Procop. Egnat. Nicephor. Evagr. Zonar.*

LVI. Justinus II.

Justinus II. ex patre Dulcissimo & matre Vigilantia Imperatoris sorore ortus, Curopalata, uti vocabant, munere fungebatur primò; Curopalata seu palatij Præfectus Justinus tanto in pretio fuit avunculo suo Justiniano, ut ab hoc Imperator dictus, eundem ipsum ferè virtutibus & vitiis æmulatus fuerit; Imperium enim partim exornavit, sed & demum obscuravit; ab initio namque principatus sui accessu facilis, comis, liberalis ac beneficus in omnes esse studuit. Rei Catholicæ simul defensor ardentissimus, Ecclesiæ statuta servari integra præcepit, haud cuiquam aures denegans citiùs, quàm novatoribus. Hic finis esto encomiis: annis enim crescentibus incrementum accipere vitia, & cum primis avaritia, qua Ecclesiæ etiam suos thesauros eripuit, & stipem ac stipendia egenis negavit, ipsorum Pelagianorum ad aras factus amicus. Haud melior fors sub Justino fuit Narseti Duci in paucis strenuo, quàm sub Justiniano fuerat fortuna Belisario; namque Sophia Imperatrix supra foeminam sibi suisque adulatoribus sapere visa, Narsetem Neapoli natum & educatum, postea verò Gothorum Orientalium in Italia victorem clarissimum contempnit persuadens

Impe-

Imperatori, eunuchum hunc aptiorem fore, ut ad colum sedens fladeret, quàm ut milites regeret imbellis spado. Byzantium igitur redire jussus Narsetes haud paruit, insignem ulturus injuriam in Italia: vindictæ locum peropportunum dare visus est vindictæ avido Alboinus Longobardorum Rex, qui tunc Germaniæ Regem Cunimundum ad Istri littora infestabat aded, ut eundem non solum regio diademate, verum etiam capite privaret, usus ejusdem craniò, quod aurò circumdederat, in mensa phialæ loco. Alboinus hic à Narsete in Italiam vocatus præstò cum exercitu adfuit, inchoaturus regnum Longobardorum, quod annis sex & ducentis maximo Ecclesiæ damno in Italia duravit numeratis Regibus viginti & uno. Hoc eodem Imperante Justino initium datum est Ravennæ Exarchatui, cui exauthorato Narsete Exarchum præfecit Longinum, ut reliquam Italiæ partem à barbaris necdum occupatam servaret supremus civium & militum præses. Annis morti vicinis phrenesi crebrò correptus sapere didicit suo & totius Imperii bono maximo; ejurata enim, in quam se lapsum dolebat, Pelagiana hæresi Ecclesiæ denuo restitutus, velut nonnullorum fert opinio, Tiberium sibi apprimè charum, oratione seria ad virtutes sectandas animatum, Imperii successorem constituit, ipse verò podagræ doloribus diu lecto affixus, viam adiit æternitatis an. 579. Imperii 14. Symb. *Libertas res inestimabilis. Egnat. Zonar. Evagr. Nicephor.*

LVII. Tiberius II.

Tiberius natione Thrax ex Cæsaris Notario excubitorum Præfectus creatus, an. autem 574. in Imperio successor promulgatus, & demum an. 578. Cæsar coronatus nulla labe Imperium scedasse legitur, Imperator major omni laude: naturæ enim donis rarissimis, quibus abundabat, junxit singularem prudentiam, mansuetudinem, liberalitatem, justitiam, Religionem &c. Munificentiam certè tantâ erat præditus, ut ingentium thesaurorum à Justino & Narsete relictorum partem maximam in egenos ac pauperes erogaret; reprehensus ob hoc crebriùs à Sophia Justini vidua: hac prodigalitate exhauriri æraria, *dum opes publicæ prodigerentur in privatos*

usus, respondit: *nequaquam; non enim deerunt fisco nostro & argentum & aurum, quod inde pauperibus elargiemur.* Hoc maxime modo ad certamen provocasse Superos visus est Tiberius, ut secum magnificentiam certarent: marmoream namque molem Crucis signo ornatam, & velut sepulchro impositam, dum Religionis causâ suo loco moveri mandavit Imperator, ingentem auri copiam invenit, publico ærario & pauperum peculio grande solatium. Divitiis accessere victoriæ & ipsæ ditissimæ; recepta enim in fidem Mesopotamiâ, Persæ variis pugnis prostrati cum victoriis Tiberio reliquere ingentem prædam. Vix ceperunt tunc suam fortunam, aut potius Cæsaris clementiam captivorum plerique, qui omnes Constantinopolim ducti, & ibidem lautè habitati, simulque splendide ornati verius, quàm vestiti in patriam remissi sunt inter majoris largitoris laudes, quàm victoris. Victus Cosroës Persarum Rex hac tum victoriâ, tum Tiberii clementia commotus, lege nova sancivit, ne Persarum quispiam deinceps Romanum Imperatorem bello lacefferet. Mauritius Imperatoris gener erat, cui maxima ex parte debebatur relata de Persis victoriâ: Tiberius igitur, qui vel in ingratos etiam erat beneficentissimus, ut Mauritio Persarum hostium domitori se gratum probaret, eundem post se futurum Cæsarem appellavit, addita hac sententia omni cedro dignissima: *non meliorem esse lapidem sepulchralem, quàm bonum successorem relinquere.* Orientis Imperiò hac ratione in tutum locato, non minus laboravit Occidentem purgare externis hostibus; & Romam quidem non obsidione solum Longobardorum sed & fame, hoste duplici pressam liberavit, missis præsidiis & magnâ frumenti copiâ. Procul tamen adversas copias pelle labor ingens, & vanus erat in Italia, non item in Gallia, ubi hostes varii variis diminuti cladibus Tiberii mortem suam dixere victoriam, quæ evenit an. 583. Imp. 4. Symb. *Stips pauperum, thesaurus divitum.* P. Diacon. Zonar. Evagr. Nicephor.

LVIII. Mauritius.

MAuritus natione Cappadox inter amanuenses Justinii primùm numeratus, dein excubitorum Præfectus, mox supremus militiæ Dux, sub Tiberio ingens idque geminum à Cæsare impetravit beneficium; ductâ enim Constantiâ Imperatoris aut gener aut sororius, & reportatâ de Persis victoriâ in Imperio Successor meritus est & esse & appellari. Non Persarum modò, sed & permultorum aliorum hostium Mauritius terror existit; Armenos enim fudit, Scythas Mœsiâ expulit, Longobardos in Italia repressit, Hunnos, aut si mavis dicere, Avars sub Cagano Rege certantes variè devicit, semel victus ab eodem Rege, aut potius ab avaritia; nam cum 12000. militum, à Cagano per plura prælia captorum, aliquot aureorum millibus tardaret, imò recusaret redimere, Rex barbarus ad unum omnes captivos trucidari jussit, sanguinem Christianorum omni auro pretiosorem nullo amplius in pretio habens. Peperit ea clades Mauritio odium universi populi; unde & *sævi, & avari, & tyranni* oborta nomina. Ingemuit equidem Imperator instar Davidis post patratum scelus pœnitentia ductus, & veniam severam à cœlo impetravit; dormienti enim optio divinitus oblata fuit, ut vel inter vivos superstes, vel inter vitâ defunctos gravem lueret pœnam. Inter summas angustias deprehensus Cæsar præsentis vitæ pœnas elegit: & en! quamprimum è vestigio secuta est severissima ultoris manus! cum enim militi debita etiam stipendia tantisper negasset, ab eodem milite Phocas militum tribunus Mauritio vivo subrogatus, citius in Mauritium hujusque familiam sævit, quàm solium conscendit. Spectavit Imperator & genitor Augustus suum in filiis fundi sanguinem, sed suum duxat esse optavit, se unum accusans millies, excusans verò Imperatricem & filios, Dei tamen justitiam mirè simul dilaudans. Hæc verba ad singulos carnificum ictus ingeminavit: *Justus es Domine, & relictum judicium tuum!* Psalm 119. Grave itaque in Imperatore vitium avaritiam Mauritius ex asse Catholicus in morte præsertim eluit rarâ pœnitentia, quam severa Dei vindicis justitia postulavit ab eo Imperatore,

tore, qui per annos 19. 6. m. usque nimirum ad annum 602. Imperii fasces ita tenuit, ut Ecclesia nulla sui parte diminuta, plurimum verò fuerit adaucta. Symb. *Quod timidum, idem crudele. Cedren. Zonar. Niceph. &c.*

Reflexiones supra Seculum VI.

ULtra spem omnem meam etiam ad metam Seculi hujus VI. ferè per eandem, quam tenuit Erdmannus & Hübnerus viam perveni: quamvis enim & hic multa oculos nostros incurrerint, quæ *veram* eamque ut vocamus *visibilem* nobis clarissimè spectandam proponebant Ecclesiam, nihilominus nominati mei comites, quasi aspicerent neutiquam, fixis oculis minimè considerârunt, atque hinc summo silentio præterierunt. Dabo eadem legenda & videnda, postquam lites aut lapides modicos, qui in via occurrebant, paucis memoravero, & pro mea causa, quæ dicenda sunt, quasi causidicus dixerò. Silente Erdmanno Hübnerus hunc maximè in modum differuit:

I. En! Papistæ excæcatum scribunt Belisarium Justiniani Imp. Ducem, quòd Pontificem Romanum persecutus fuerit.

II. His maximè seculis in Occidente ob belli tumultus decrevit Imperatorum potestas, crevit verò Pontificum autoritas.

III. Hoc & sequentibus seculis vires accepit ignorantia summa.

Reflexio ac Responsio I. ad I.

OSTendit hic, velut aliàs semper Hübnerus adversùs Romanum Pontificem affectum suum scilicet amicissimum, dum D. Sylverio exilium suum haud invidet; at verò ex Belisarii culpa id Sylverio accidisse, vel intelligere tantùm, hoc animum torquet. Pluris nimirum valet Hübnero miser & nocens Belisarius, quàm Sylverius Pontifex miserrimus & innocentissimus. Edic porrò, quod hac in causa dicunt Papistæ, id ipsum cur non etiam dicere sustinent Lutherani? nec enim destituuntur autoritate, nec privantur ratione. In exilium ejectum fuisse Pontificem Sylverium, volente Theodora Justiniani Ariana conjuge, & hoc ipsum suadente Antonia Belisarii uxore

re, Theodoræ adulatrice, quis est authorum veterum, qui possit ignorare? Hoc ipsum negare, nisi per summum nefas haud valuit ipse Anthimus Constantinopolis Pseudo-Episcopus, hæreticorum primipilus, quem exilio multatum, dum non restituit Sylverius Pont. iram furiosarum fœminarum incurrit adeò, ut Vigilium in Sylverii pulsi locum promoverint. Vigilus verò, inter ærumnas moriente Sylverio, ex morte aliena didicit æstimare maximi vitam suam, nec irato Justiniano, nec furenti Theodoræ amplius cedens, etsi in annos septenos Constantinopoli in carcere veriùs, quàm honesta captivitate detentus fuerit. Et quis demum sit, qui inter plurimos reos absolvat Belisarium, quem à Vigilio necdum Pontifice, ut Pontifex esset, auro corruptum fuisse testati sunt veteres & recentiores Historici Latini & Græci. *vide Baron.* E fastigio honorum summo fuisse dejectum Belisarium, quis fuit in aula Cæsaris, qui ignoravit, & quidem elapso brevi tempore, postquam supremus Antistes coepit sedere Vigilus, exulare Sylverius? Compendio absolvatur responsio. Belisario copiarum armatarum Ducem fuisse eximium, toti orbi est notissimum; Christianorum verò Ducem aut eorundem constantem fuisse socium, vix ulli per spectum habetur: lege *Theophanem in miscellan. Cedrenum, Zonaram, Constantinum Manassen & RR.*

Reflexio ac Responsio II. ad II.

DUM afferitur, his seculis inter belli tumultus decrevisse in Occidente Cæsaris potentiam, crevisse autem Pontificis potestatem, & quidem per *missionarios* in diversas provincias, regiones & regna excurrentes, perinde non magis vituperatur, quàm commendatur, Pontificia dignitas aut potestas: hic enim crescendi modus maximè proprius est & fuit constanter tam Ecclesiæ veteris, quàm novæ. Crescit nimirum inter adversa virtus, quæ *in infirmitate perficitur*, & incrementum sumit omnium virtutum seminari-um vera Dei Ecclesia. Noëmus & Abraham fidelium Viri principes cum suis filiis & seris nepotibus inter ærumnas, & dura rerum discrimina Ecclesiam suam conservârunt & altiùs erexerunt. Patriarcharum horum vestigiis institerunt Duces populorum ritè credentium Moyses

& Josue cum Judicum serie. Nec ipsorum Regum uni Deo & Ecclesiæ adhærentium diversa fuit conditio: inter belli tumultus firmiter stetit, & robur novum accepit Synagoga, pugnantibus Saule, Davide, Ezechia & aliis tum Judæ, tum Samariæ Regibus in Dei Fide persistentibus. Crescentibus annis crevère ante Servatorem natum armorum strepitus; regionem Palæstinam Deo quondam sacratissimam, atque in hac Ecclesiæ sedem sacratiorum invasere nunc Assyriorum, nunc Persarum, nunc Græcorum, nunc denique Romanorum exercitus; actum & conclamatum esse de Hebræorum aris vociferabantur tunc temporis hostes diversissimi Judæorum victores, & tamen *Sceptrum de tribu Juda haud omnino auferri poterat; non penitus deleri, haudquam exscindi patiebatur Deus suam gentem, donec misit, quem missurus fuerat, consummatorem Veteris & Authorem novæ Ecclesiæ Jesum Christum.* Hic ipse orbis Redemptor inter adversa natus & educatus, non nisi inter tumultuantem populum fudit sanguinem, tumultus pares prædicens Magister discipulis, qui in orbem universum dispersi, semissos esse testati sunt ab eo, *qui non venit pacem mittere, sed gladium.* Dum contra Ecclesiam arma cum sociis sumpsit Saulus, novum induit militem Paulus, ut disceret, quanta eum oporteret & agere & pati pro Dei nomine. Vita hominis, maximè Christiani, *militia est super terram;* Ecclesia hæc nostra non triumphantium, sed militantium more pugnat & vincit inter gladios & clypeos, lætatur sæpè inter sortes & mortes, inter ferrum & ignem, inter dolores & angores, inter tormenta & armamenta; unde militantis Ecclesiæ à militia nomen habet. Mirandum proinde haud est nobis amplius, inter migrationes, ut vocant, gentium, inter Attilas & Totilas, inter Gensericos & Theodoricos, inter Vandalos & Gothos, inter Arianos & Nestorianos, inter Gentiles & Hebræos, inter summa Imperii Romani discrimina, missis in omnes terrarum partes viris idoneis auctam valdè & dilatam fuisse Ecclesiæ Romanæ potestatem ac dignitatem. Novum hinc igitur sua sponte se offert argumentum pro me contra Hübnerum, quo demonstratur facilè Ecclesiæ militantis lux ac splendor omnium perstringens oculos, & quidem eorundem etiam vespertilionum, qui obscurari,

rari, & sub modium recondi hoc seculo jam cœpisse Ecclesiam hætenus altis vocibus clamavère, nec tamen testimoniis suis plùs, quàm coram Assuero Persarum Rege Aman & socii evicère, non synceri testes aut actores, sed perpetui calumniatores. *Vide seriem Rom. Pont. Secul. VI. pag. 77.*

Reflexio ac Responsio III. ad III.

QUòd densis adèò ignorantia tenebris obscuratum non fuerit Seculum V. aut VI. demonstratum fuit in Serie Romanorum Pontificum, productis in medium Scriptoribus permultis, præsertim Theologis: nunc igitur paucis ostendendum, quòd hæc ipsa duo secula & à Jurisprudencia, & à Philosophia, & à literis politioribus nomen ac fama ante secula priora quatuor acceperint: seculo enim V. Theodosii M. filii Arcadius & Honorius, atque ejusdem nepos Theodosius junior, omnes Romanorum Imperatores, quavis literarum eruditione erant instructissimi, & idcirco literarum æstimatores maximi. Quanti verò fecerit junior Theodosius præ rebus reliquis artes liberales atque scientias, intellexit Roma imprimis, cui de Doctoribus publicis, & his de justa mercede prospexit. Nec minùs experta id ipsum fuit Bononia Italiæ amplissima civitas, in qua Academiam erexit, & in suas classes singulas facultates distribuit, postquam unum in Codicem latas per multa secula civiles leges ingenti multorum operâ ac solertiâ collegit, ad eos attendens potissimùm Canones, quos à Christianis Imperatoribus editos noverat, nec tamen ea spernens reliquorum Cæsarum præcepta, quæ Fidei Orthodoxæ non contravenire judicabat. In honore igitur maximo haberi tunc cœperunt Jurisperitorum Collegia adèò, ut vel eo jam tempore inter vulgus etiam notissimum fuerit adagium: *dat Theodosius, aut Justinianus honores.* Opus nimirum præstantissimum, quod Theodosius tam præclarè cœperat, perfectiùs dare conatus est Justinianus, dum Triboniani, Theophili & Dorothei atque sexdecim aliorum Jurisperitorum studio operaque usus fuit ad conscribendum novo ac meliori ordine Codicem Justinianum an. 629. Codicem secuta sunt elapsò quadrienniò Institutiones ac Digesta; hinc ab anno salutis 523. usque ad ætatem hanc nostram

in Academiis & tribunalibus publicis tantum inter Jurisperitos ferè valet Justinianus, quantum valet inter Poëtas Homerus aut Virgilius, inter Oratores Cicero aut Demosthenes, inter Philosophos Plato aut Aristoteles, inter Historicos Plinius aut Tacitus, inter Theologos D. Aquinas aut sententiarum Magister, inter Canonistas Gratianus aut Gregorius. Opus magni moliminis haud esset, sat longos doctorum virorum catalogos huc adducere, si tamen operæ pretium foret: sat enim multos in suis discursibus ipsimet numerârunt hujus seculi Scriptores Coburgenses Academici, ut adeò necessarium sit neutiquam, Hübnerum mittere ad CC. Baronium, Bellarminum, Theophilum Raynaudum, Brietium aliósq; Historicos, qui magno numero viros doctos utriusque seculi V. & VI. conscripserunt, & lectori amico, vel etiam inimico legendos obtulerunt; imò etiam hodie, dum suis in libris vivunt, offerunt; ut unà cum multis demonstrent, Ecclesiam & Historiam esse temporum vivam memoriam, dum & hæc & illa majorum virtutes & vitia libris consignant, ut eradicentur vitia, virtutes verò plantentur magis, & sic fructum amplum ferat Historia, amplissimum verò Ecclesia in doctorum coetu constantè illustrissima. Atque ex his planissimum etiam est omnibus, quantus nempe, aut qualis vel Historicus, vel Jurisperitus sit Hübnerus, dum nec novit authores Jurisprudentiæ, nec hujus seculi Historiam, minùs Historicos.

REFLEXIO IV.

Agnoscamus amabo, in paucis hujus seculi Imperatoribus, duobus nimirum Justinis, uno Justiniano, uno Tiberio & uno denique Mauritio Ecclesiæ supremum moderatorem, qua ratione exhibuerit tribus totius universi partibus, an accepta Superis etiamnum in terris splendeat *Ecclesia* cunctis verè *spectabilis*. Tres ex quinque hujus seculi Imperatoribus exiitè, qui juratam Romanæ Ecclesiæ fidem constantè servârunt, Justinus nempe I. Tiberius & Mauritius. Justinianus verò, ut verior refert sententia, tandem vel Sauli, vel Salomoni insipienti similior, dum & uxoriis amoribus, & Eutychnianorum blanditiis aures præbuit amicas nimium,
res

res sacras velut alter Saul involavit, & dum plùs æquo sapere studuit, desipere velut Salomon coepit, factus denique Eutychnianorum amicus ad aras etiam: unde multorum justissimo odio expositus, ingentes laudes, quas per annos priores instar lucidissimorum syderum numerabat, haud modicè obscuravit. *Legatur de Justiniani gestis Evagrius, Procopius, Nicephorus & Alciatus*, quorum prior Justinianum à Deo hæresum vindice punitum repentè, & subitanea morte ereptum fuisse scribit, postquam Eutychnium Antiochiæ Episcopum, ab Eutyche hæretico longissimè diversum, & reliquos Romanæ Ecclesiæ adiciatissimos Sacerdotes exilii poena multari mandâisset. Evagrio in describenda Justiniani morte consensit Procopius & Nicephorus, quorum posterior ait: *cum Imperator Episcoporum exilii libellum dictaret, eundem invisibili ictum plaga periisse*. Addidit tamen, quod omisit Evagrius, *eundem ipsum extremo vitæ spiritu facti pœnituisse, & jussisse Eutychnium ab exilio revocari*. Ab his tamen & plurimis authoribus aliis toto diversus est cœlo Alciatus, recentior prioribus longè Historiographus; is enim Justinianum supra cœli sydera altissimè collocavit. Diversæ sententiæ diversos Historicos huc adducere studui, ut Hübnerus intelligat, Historicis inter diversas partes, nisi comperta veritas se pandat, partem nullam esse relictam, nisi mediam.

Justinus II. Justiniani nepos in principio etiam Princeps verè Catholicus, *Defensoris Ecclesiæ* nomen gloriosum impetravit, tanto tempore felix, quanto fidelis; verùm postquam & ipse conjugi Sophiæ, veluti Phœbus Phaëtonti Imperii fræna commodavit, susque deque omnia vertit; avaritiæ enim stimulis incitatus, Ecclesiæ thesauros rapuit, & paulò post Pelagium hæresiarcham cum sociis protegendum suscepit, factus fortassis & ipse totus Pelagianus, postquam Narsetem Ducem peregregium exauthoravit Imperii damnò maximò. Id tamen singulari Numinis beneficio tribuendum esse censuerunt tot, quot quot moriturientis lectulo adstitère, scilicet Patriarcha & Senatus Cæsareus in quorum præsentia editis pluribus felicissimæ mortis indiciis Tiberium Successorem intermortua licèt jam voce ad Imperium ritè gubernandum, & Ecclesiam protegendam fortissimè animavit. *Lege hac juper re Evagrium, Theophanem atque Cedrenum.*

E contrario Justinus I. Tiberius II. & maxima ex parte Mauriti-
 tius Imperatores dum constanter fidem servavêre Deo & Ecclesiæ, in
 fide conservaverunt constanter Imperium, & præsentissima coeli sub-
 sidia multoties accepere tam pacis, quàm belli gloria clarissimi. Ju-
 stinus præterea ingentem laudem promeritus est ab universa Ecclesia,
 dum Latinæ Græcam, Religionis & amicitiae foedere conjungi firmiter
 & ipse curavit sedulo. Tiberius verò (quod sibi albò calculò probè
 notandum existiment Hübnerus & Erdmannus) sacrae Crucis imagi-
 nem dum religiosissimè coluit, thesauros invenit; quin teste ipso Hübne-
 ro à coelesti genio hoc lætissimum accepit nuntium: *Hæc tibi ter san-
 ctum Numen indicat, Tiberi: tempora impia & Tyrannica te Impera-
 tore non venient.* Mauritius denique hoc seculum multis Martyribus
 refertum suo ac suorum nobilissimo sanguine veluti sigillo coelesti com-
 munivit: etsi enim instar Davidis aut Theodosii crimen gravissimum ad-
 miserit, culpam tamen confessus gravissimam, justissimo Numini seve-
 rissimas poenas persolvit, dum ab eodem inter vitæ præsentis & futuræ
 poenas eligere jussus, maluit incidere in manus Phocæ hostis sui & ty-
 ranni, quàm irati Numinis sustinere vindictam, cui in Mauritio sola ava-
 ritia & fusus innocentium sanguis summopere displicuit, Religio Chri-
 stiana verò in eodem maximopere placuit, Religio, inquam, Christia-
 na, & Mauriti, & hoc nostro tempore *Romana.*

REFLEXIO V.

QUAMVIS VI. seculo Ecclesia Romana tum ab idolorum cultoribus,
 tum à diversis omnino hæreticis, scilicet Arianis, Pelagianis,
 Nestorianis, Eutychianis ingens acceperit damnum; ex parte ta-
 men altera eidem accessit incrementum acceptò damnò longè excellen-
 tius, quod vel ex solis viris ac scæminis Principibus uberius intelli-
 mus, si, quæ sequuntur, in compendio perlegerimus.

Augmen-

Augmentum Ecclesiæ Romanæ à Viris Principibus hoc VI. seculo datum variis exemplis ostenditur.

AB an. 499. in Gallia Clodovæus Francorum Rex omnium primus
 Catholicus usque ad annum 511. Rem Christianam longè la-
 tèque promovit, variis adjutus miraculis. *Historici passim
 multi.*

An. 522. Cabaon Tripolis in Africa Præfectus licet Maurus, Dux ta-
 men strenuissimus, dum ad Orthodoxa Sacra fuit conversus, justi-
 tiæ, jejunii & castitatis sedulo servatis legibus potius, quàm armo-
 rum profanorum robore, Thrasamundum Vandalorum Regem de-
 vicit, quem ferè iisdem fatis, quibus devictum Antiochum M. de-
 cessisse novimus, extinctum fuisse constat. *Procop. Evagr.*

An. 523. Zatus Lazorum seu Colchorum Rex, Iberis ad portas Ca-
 spias quondam conterminus, venit Constantinopolin, ut præsentem
 Cæsarem Justino baptizaretur. *Zonar. Cedren.*

Eod. an. Arethas urbis Nagra in Arabia Princeps à Dunaano Rege
 ex Christiano in Hebræum mutato, unà cum tota familia, & plu-
 rimis aliis in fide Orthodoxa constantissimis, supplicio fuit affectus.
Zonar. Cedren. Sur.

An. 526. Severinus Boëthius & hujus socer Symmachus Viri Romæ
 Consules virtutibus & scientiis eximii, ac in aula Regis Theodori-
 ci Principes, de prodicione malè suspecti, jubente eodem Rege fue-
 runt capite plexi in odium potius fidei Christianæ, quàm fidei po-
 liticæ. *Procop. Cassiodor. & alii.*

An. 527. Gorda Hunnorum ad Bosphorum commorantium Rex Ro-
 manam fidem fecit suam. *Theophanes.*

An. 560. Theodomirus, Suevorum in Gallicia Hispaniæ commo-
 rantium Rex ad Aras Romanas conversus est, occasione sanitatis re-
 stitutæ Ariamiro filio regio à S. Martino Episcopo Turonensi. *D.
 Greg. Turon. & Isidor. in Chron. Suevor.*

An. 580. Theodor III. Bojorum Rex aut Princeps, relicto idolorum
 cultu unà cum suis subditis à S. Ruperto & duodecim sociis Sacerdoti-
 bus ritè credere doctus fuit. *Sur. Annales Bavar.* An. 582.

An. 582. Cosrhoës Persarum Rex potentissimus, à Mauritio Imperatore sapiùs victus, & adversâ fortuna crebrò tentatus, sub extremum vitæ tempus salutare Baptismi aquas adhibuisse scribitur. *Evagr.*

An. 586. D. Hermenegildus primogenitus Leovigildi in Hispania Regis Ariani filius, ducta in conjugem D. Ingunde Sigeberti Francorum Regis filia Orthodoxa, didicit Romana Dogmata, sed ob hæc à genitore post gravissimas persecutiones & carceris ærumnas die festo Paschatis martyrio affectus cecidit, Ingunde in exilium ejecta. *Authores passim multi.*

An. 588. vel 89. Leovigildus Rex agoni proximus monuit Recaredum filium alterum, ut potiùs D. Hermenegildi fratris constantiam, quàm parentis adversùs Catholicos sævitiam deinceps sequeretur. *Gregor. Turon.*

An. 590. Recaredus S. Hermenegildi frater, audita Episcoporum Catholicorum & Arianorum disputatione, amplexus est Catholicorum sententias & Fidem. *DD. Gregor. Papa, Gregor. Turon. Isidor. & alii.*

An. 591. Agilulphus Dux Tauritanus in Regem Longobardorum à Theodolinda Regina electus, & Christiana Sacra edoctus, cum subditis Arium ejuravit. *Paul. Diacon.*

Eod. an. Cosrhoës Hormisdæ Persarum Regis filius ob exortas seditio- nes à patria fugitivus, atque in via dubius, an Romani Imperij potiùs, quàm Turcarum Regiones adiret, relicto equis fræno libero ad Romanas denique devenit Romanorum professus Sacra. *C. Baron.*

Eod. an. Naaman Saracenorum Princeps cum multis imitatoribus suis Christianis sese adjunxit. *Evagr.*

An. 597. Edilpertus Anglorum in Cantio Rex, à D. Augustino D. Gregorij M. discipulo & Apostolo, fuit ad Romanam Ecclesiam adductus. Regis exemplum secuta mox decem hominum millia, die nato Servatori sacratissima Baptismatis fonte sunt abluta. *Beda.*

Augmen-

Augmentum Ecclesiæ Romanæ à fœminis Principibus hoc VI. seculo datum variis exemplis ostenditur.

Circa annum 540. D. Radegundis Thuringiæ Regis Bertharii filia, Clotarii Regis in Francia conjux, variè rem Catholicam promovit. Eodem an. 567. ab Imperatore Justino II. accepit partem S. Crucis, quæ miraculis claruit plurimis: unde repetiti sunt etiam in Gallia hymni: *Pange lingua gloriosi lauream certaminis. Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis Mysterium. D. Greg. Turon.*

D. Clotildis Burgundiorum Regis filia, Clodovæi in Francia Regis conjux in Fide Orthodoxa Regina constantissima, floruit hoc seculo, cujus proinde constantiæ Gallia Christianam Religionem mirè auctam debet. *Historici passim.*

Sophia Justini II. Imp. conjux, etsi Narsetem Ducem eximium fuerit persecuta nimium, Romana tamen Sacra deseruit nunquam, quin potiùs ad eadem Sacra accedens propiùs, atque pauperum patrona effecta, omnes ære alieno oppressos liberavit, & maximè Orthodoxos promovit, datò aurò liberalissimum in modum. *Theophan. Cedren.*

Theodosia Leovigildi Regis inter Hispanos prima conjux DD. Leandri, Fulgentii & Isidori Episcoporum soror, cum conjugem regium in Fide Christiana sibi jungere haud valeret, alios plurimos sibi subditorum suorum conjunxit. *Isidor.*

Gordia Imperatoris Mauritii soror, Philippici Ducis conjux, constanter conservare & promovere studuit doctrinam Orthodoxam in Oriente præsertim, postquam Philippicus beneficiò Christi Servatoris, cujus imaginem miraculosam semper secum ferebat, stupendam contra Persas an. 586. impetravit victoriam. *Theophan. Cedren.*

Constantina Mauritii Imp. conjux, Tiberij Imp. filia, datis ad D. Gregorium M. epistolis pluribus, profuit constanter ad Fidem Romanam conversis & convertendis. Eadem à D. Gregorio M. expectit caput D. Pauli, postquam in honorem ejusdem D. Apostoli

R. P. Kolb Series Imp.

U

tem-

templum ædificavit. Verùm quod petiit, haud impetravit: missæ proin eidem fuerunt partes quæpiam de catenis D. Paulum quondam ligantibus, quibus multa patrari miracula ipse *D. Gregorius suis epistolis testatur.*

D. Ingundis Sigeberti Francorum Regis filia, D. Hermenegildi conjux, occiso patre Rege cum filio Theodorico exul in Africam ejecta pro Fide Orthodoxa strenuè patitur.

Theodolinda Garibaldi Bavarorum Regis filia, Anthariti Regis Longobardorum vidua, Agilulphi Regis sponsa, sponso regio & subditis fit causa, & occasio amplectendæ Fidei Romanæ. *Paul. Diacon.*

Bertha Edilperti Anglorum in Cantio Regis conjux, ex stemmate Regum Francorum oriunda, occasionem dedit conversioni plurimorum in Anglia. *Beda.*

Omittuntur hîc Martyres hujus seculi numerû plurimi, qui tum in Italia sub Theodorico, & aliis tam Gothorum, quàm Longobardorum Regibus; tum in Hispania sub Leovigildo, nec non Regibus haud paucis aliis; tum in Africa & Asia sub tyrannis pro Religione Christiana eaque Romana sanguinem fuderunt copiosissimum. Dubitanti facilè fidem conciliabunt Martyrologia, & ex multis Historicis præsertim Baronius, qui multos expresso nomine, plurimos verò velut in turmas collectos sine certo nomine lectori non tam spectandos, quàm admirandos dabit. Si igitur sincerae veritatis amator rem ritè arbitrari haud gravabitur, deprehendet absque difficultate, etsi de Romanis Pontificibus, & Episcopis Ecclesiæ permultis, sanè doctissimis atque sanctissimis haud cogitet, nec etiam SS. Martyrum multitudinem ullo in pretio habeat, Romanam Ecclesiam hoc sexto seculo, vel per solos viros & sceminas Principes, præcipuè verò Imperatores extitisse omnibus nimium quantùm *spectabilem.* Eandem ipsam verò tam apertis indiciis demonstratam convenisse cum ea, quam fundavit Fundator Ecclesiæ Christus, & ædificârunt Apostoli assumpti in societatem divini laboris & passionum.

Perio-

Periodi III. Seculum Christi Nati VII.

LIX. Phocas.

PHocas, dum velut Imperii fungus, citò natus est Imperator, non ita tardè periit, interitu longè citiùs haud indignus, nisi Deus scelerum vindex hunc conservâisset tyrannum. Talia profectò significavit divinum oraculum familiari cuidam ipsis Superis viro, qui Phocam à Deo non modò non eligi, sed vix tolerari Imperatorem hunc posse sibi persuasum habuit. Popularis erat Mauritii Imp. Phocas in Cappadocia natus, inter strepitus & arma educatus, ad tribunitiam dein potestatem admissus, & tandem à seditioso milite (à quo, quidquid factum videris, haud factum velis) intrusus Cæsar Imperium penè pessumdedit: Armeniana namque, Cappadocia, Paphlagonia, Galatia, Syria, Phoenicia, & Palæstina à Cosrhoë II. Persarum Rege fuit depopulata, Hierosolyma verò expilata; ubi Crucis patibulum sacratissimo Christi cruore sacratum, opimum sanè spolium, in Persidem usque fuit translatum, cum ex parte altera Avars seu Hunni, Dalmatæ, aliisque armis assueti populi Europam vastarent, atque Asiam dilacerarent. Ex parte alia Africam infestabat Mahomet; Longobardi magis vexabant Italiam, Slavi Dalmatiam & Illyricum. Hispania Gothis, Gallia verò Francorum Regibus in prædam cedebat. Adèò ubique terrarum clades provinciarum, strages civium, convulsio reipublicæ ob unius pessimè imperantis hominis luxum & scelera secuta fuit, ut alterutrum ex duobus rerum capitibus sanæ electioni superesset remedium ultimum, nimirum aut delictum intueri Imperii nomen, aut trucidare tyrannum. Placuit universis ultimum & optimum tunc remedium. Senatus itaque populusque Constantinopolitanus, missis ad Heraclianum Africæ ac Lybiæ Præfectum legatis, promptissimum impetrârunt auxilium; Heraclius enim Heracliani filius cum classe à genitore missus imperata quamprimum fecit, & facienda imperavit: conjurationis namque concilii, at-

U 2

que

que hos inter fororius Phocæ, Priscus nomine, nec non Phocius, cujus uxorem Phocas rapuerat, ac denique Gregoras vir strenuus, cum multis aliis juncti Heraclio, tyrannum adoriuntur, & tum verbis gravissimè objurgatum, tum verberibus graviùs percussum, capite plectunt, coniecto in ignes cadavere, in aquas cinere, ne quid superesset inter homines de monstro hominum, quod sæviit in annos 8. Symb. *Fortunam citiùs reperias, quàm invenias. Nicephor. Zonar. &c.*

LX. Heraclius.

INitium Imperij habuit difficile, medium gloriosum, exitum lamentabilem. Sternendus nimirum erat initio Imperatorum probrum, sceleratorum hominum à Deo immissum flagellum, ipsum sceleratissimum, tyrannus Phocas. Cum Cagano Avarum Rege pax ineunda erat difficilis, ut adversus Cosrhoën ad arma identidem provocantem res armis, & quidem totis viribus ageretur: petitam enim à se pacem tunc Heraclio se daturum respondit, cum Christicolas suo relicto cultu prostratos cerneret, ut unum Deum Persicum, solem nimirum, Dei duntaxat umbram adorarent. Tam superbo igitur simul & impio responso, ut par erat, commotus Heraclius nihil non egit, ut tantam elati hostis superbiam vel pedibus contereret. In auxilium invocati Superi præsto fuère, nam sensim fusi fugatique pluribus præliis Persæ victoris potestati reliquerunt urbes & provincias, in quibus Deorum fana plurima solo æquata, & multa hominum millia trucidata, suo sanguine Diis suis parentârunt. Præsentissimam tunc coeli potentiam confessi agnovère vel ipsimet cadentes Persæ, quorum Rex Cosrhoës à suomet filio Syroë interemptus est, quòd paci petitæ bellum tam atrox prætulisset. Culpam itaque patris emendaturus filius pacem non tam obtulit, quam petitam impetravit à victore Cæsare, cui inter opima victoriarum spolia fuit redditum Crucis sacratissimæ lignum, ex quo Servator hominum Deus ipse annis abhinc sexcentis circiter pependerit. Id ipsum præ reliquis gratissimum spoliolum deposito diademate, suis humeris impositum Heraclius pristino loco Hierosolymis restituit, quin altiùs extulit, ut majori proborum cultui propone-

poneretur ac venerationi. Habuit indè suum principium dies ille Ecclesiæ Romanæ festus ac festivus, cui ab exaltatione S. Crucis nomen est inditum. Initium hoc sanè fuit difficile, & hinc longè facilius & felicius medium, quod tamen excepit rerum exitus stupendus & tremendus. Adèd nimirum proclivis est mortalium ad deteriora voluntas depravata, ut ab uno ad extremum alterum non ita longo temporis intervallo detur lapsus profundissimus. Alterum nempe Salomonem in Heraclio spectavit cum gemitu fidelium cohors, dum nunc S. Crucis bajulum, tum verò Monothelitarum amicum & defensorem acerrimum, simulque præstigiis ac magicis artibus infatuatum, nec non incesto Martinæ neptis conjugio dementatum obstupuit Imperatorem, cujus damnatâ millies incuriâ invaluit etiam nimum quantum Mahometes gente Arabs, aut orci potiùs ex progenie natus nebulo, utpote, qui tum divitiis, tum dolis, tum armis ex Arianorum, Hebræorum & gentilium commixtis dogmatum centonibus ea felicitate confarcinavit suam nequitiae pallium, novam nempe fidei regulam, ut lapsis tot seculis non solum Romano Imperio, sed & aliis Monarchis potentissimis vix cedat potentiâ, certè hominum multitudine potentior, quos polygamiae & carnalium scelerum fimetum in dies & noctes singulas ingenti numero enititur. Annis Imperavit 31. Heraclius, an. 641. vel aqua intercute, vel potiùs fœdissimo renum morbo extinctus, qualis nimirum morbus illorum crebrò esse solet, qui dum carnalia amant vitia, carnalem animam in carne cogunt putrescere. Symb. *A Deo victoria. Cedren. Paul. Diacon. Evagr. Zonar. Egnat.*

LXI. Constantinus III.

Constantinus Heraclij ex prima conjugè Eudoxia filius vix natus, jam imperare, aut Imperator minimùm nominari mandante patre jussus est, diademate Imperii jam altero ætatis anno ornatus, & solio impositus, quòd genitor bello Persico implicitus, & periculis aliis externis obnoxius, pericula sibi suisque timeret domestica. In absentia patris Orthodoxis dogmatibus & moribus ritè instructus Cæsar parvulus multis maximè placuit, pluribus displicuit inter innumeros eo seculo malos. Tandem ætatis suæ an. 29. post

extinctum genitorem, paterni Imperij hæres, non item paternorum scelerum æmulator esse contendit; per menses namque paucissimos, quibus imperare solus coepit, documenta exhibuit laudatissima, Orthodoxis Sacris nunquam non addictissimus. Verùm hæc ipsa veræ Religionis æstimatio adversus Cæsarem excitavit Martinam quondam Heraclij concubinam incestuosam, utpote sanguinis propinquitate eidem junctam, dein verò nomine tenus conjugem, Constantini novercam, quæ unà cum scelerum sociis Ecclesiæ & Imperio eripuit in ætatis flore constitutum Imperatorem venenò, mense Imperij 5. Pyrrhus Constantinopolis Pseudo Patriarcha iniquissimorum consiliorum conscius & scelerum particeps maximè, immaturam Constantini mortem vel primus procuravit, vel haud inter ultimos promovit, brevè futurus vindictæ justissimæ matura victima. Cæterùm plura fortassis desiderabit Lector de Constantino hoc & aliis optimi nominis Imperatoribus intelligere: verùm justis desideriis satisfacere haud finunt Historici Recentiores & Veteres, qui paucis non rarò lineis contenti, scripsère veriùs Cæsarium nomina, quàm gesta. Symb. *Insania leta voluptas.*

LXII. Heracleon.

Est Philosophis maximè nota parcemia, qua sic pronuntiant: *nullum violentum diuturnum, aut perpetuum.* Quàm violenta fuerint Martinæ arrogantis foeminae consilia in occidendo Cæsare privigno suo, paucis perspeximus; quàm violenti etiam fuerint ejusdem conatus in promovendo filio spurio in Cæsaris thronum, paucis nunc perspiciemus. Heracleon incestus Heraclij ex Martina filius, annos ætatis 10. numerabat, dum mater enecuit privignum Constantinum: puer itaque, scelerum multorum partus, invitis ferè omnibus in Imperii solium à matre evectus, puerili methodo, aut potiùs foeminarum pravissimarum more imperavit, matre puerum, puer fasces tenente, utroque simul turbante Rempublicam. Interea interempti Cæsaris mors venenò accita, Senatui populòque innouit; horum igitur communi sententiâ & junctâ operâ longè atrociora promeritis, Heracleoni nares, matri verò lingua fuit abscissa, ut publicum sui sceleris testimonium in Cappadociam usque perferrent, quo
exu-

exulatum missi venère, postquam sex mensibus puero & foeminae furiosæ Imperium paruit. Pyrrhus pariter violentæ necis conscius & particeps, partem poenæ & ipse subire fuit jussus; ab officio enim sacro remotus, procul Constantinopoli exulavit, nec hac dignus gratia. Symb. *Mali principii malus exitus.*

LXIII. Constans II.

Constans II. Constantini III. filius parenti plurimùm Fide & moribus se exhibuit dissimilem: ille enim constanter Catholicorum defensor probatissimus, hic pertinaciter Monothelitarum fautor improbus, Theodosium fratrem inter Ecclesiæ Diaconos numeratum, novus Cain interfecit, postquam Martinum Pontificem, qui Monothelitarum sectam non tardiùs, quàm Theodorus Pontifex damnaverat, à Calliopa Exarcho captum, Constantinopoli in Pontum ejecit exulem. Discrimen tum ingens inter D. Martinum Præsulem, & Constantem Cæsarem manifestis miraculis demonstravit coelum in gravioribus periculis constanter auxiliò suò Ecclesiæ præsentissimum: *Vide Reflexionem hujus seculi IV.* Exemplum D. Præsulis supremi vel exemplo suo provocavit, vel strenuè æmulari didicit D. Maximus, qui quondam à secretis Cæsari, sed relicta dein aula inter Monachos demum in urbe Chrysopoli Abbas creatus, miræ constantiæ posteris reliquit facinora: mandantibus enim Constante & Pseudo-Patriarcha Constantinopoli Paulo, tormentis subjectus D. Abbas, carnificis armata dextera amisit utramque manum & linguam; sine lingua tamen, patrante mira Deo, locutus, perrexit condemnare errores utriusque à Pontifice damnatos. Igitur ut vita ad cruciatus diuturnos duntaxat superesset mutilato Præsuli, inter exules procul inde faceffere jussus, multarum ærumnarum socium coluit Anastasium geminum, quorum major Pontificius Legatus, minor verò majoris discipulus, unà cum Magistro Martyre inter adversitates mortem gloriosam oppetiit. Cæterùm Caino parem in scelere se extitisse sicarium. intellexit in somno etiam non vano ex somnio ipse Constans; nam occisori fratri frater occisus calicem propinare visus, ebullienti sanguine

ne ferventem; qui deinceps continua voce, licet mortua exclamavit ad fratrem; is itaque instar Caini, nulli affixus loco, vel prædas agere instituit, vel in prædam cessit suis hostibus; à Saracenis enim jam tum copiosissimis victus, Africam, Cyprum & Rhodum amisit, nec felicius cum Longobardis in Italia pugnavit, Romoaldo Beneventano victoriam reportante, Constante strages novas numerante. Tot claudibus afflicto dolorem lenire cogebatur vix unquam afflictior Roma, quæ primò in speciem donis à Constante datis honorata, sed mox sacris simul & profanis, publicis ac privatis divitiis ab eodem spoliata, ante Reges barbaros Romæ expilatores, Constantem dixit raptorem & tyrannum illis pejorem. Româ progressus in Siciliam, cum per annos complures plurima crudelitatis & avaritiæ edidisset exempla, Syracusis tandem, dum balneis corpus lavare & curare studuit, animam æthiopem servavit, Caino in morte etiam perquam similis; occisus enim à suis an. Imperii 28. necem fratris & plurimorum Martyrum lucrare coepit, haud finiit. Symb. *Parentum necessitati. Paul. Diacon. Aimoin. Zonar. & alii.*

LXIV. Constantinus IV. Pogonatus.

Quamvis non procul à stipite proprio cadere dicantur poma, & parentibus sæpè moribus multum similes inveniantur filij, contrarium tamen experientia docuit in Imperatoribus variis, præsertim in Constantino IV. Hic quippe Imperator parentis mali filius maximam partem bonus, à primis adolescentiæ annis virtutibus longè magis, quàm vitiis addixit animum, juvenili ardore una aut altera vice tantum, quod inter Imperatorum & Regum res adversas contingit facilè, abreptus nimium. Annos 20. circiter numerabat, cum intellecta genitoris nece continuo petiit Siciliam filius Pogonatus, dictus hoc nomine, quòd imberbis Constantinopoli abiisset, promissa verò vestitus barba rediisset. Sumpta de parentis interfectoris vindictâ, Proceres Constantino suaserunt, ut fratres Tiberium & Heraclium sibi jungere non gravaretur Imperij collegas. Simulavit Imperator vultu Cæsaris gratiam, sed simul neutiquam diffi-
mula-

mulavit hanc à Proceribus juxta ac fratribus illatam, ut putabat, injuriam; ad se enim specie amicitiae invitatos jussit interfici novæ seditio- nis authores, fratres verò mutilari naribus præcepit, ut nec olfacerent quidem dulcissimum olei regii odorem. Tam triste Imperii exordium excepit medium & finis longè felicior: namque in Superos fide & Religione præstantior patre, priorum Cæsarum deleturus errores, datis Romam epistolis, author fuit Pontifici, ut Concilium Constantinopoli III. celebraret, quo felicissimo rerum successu Monothelitarum error denuo fuit damnatus communibus Patrum sententiis. Rejecta simul fuere Constantis typus, & Heraclii Imperatoris Ethesis. Non minùs deletus est fucatis coloribus pictus ab aliquo tempore titulus, quo Imperatores Græci jus confirmandi Romanum Pontificem recens creatum sibi vendicabant. Tum verò virtus denuò inter scelera, Religio inter hæreses media triumphabat, præsertim ea tempestate, qua Concilium contra Monothelitas strenuè dimicabat sub Constantino fortissimo pugile, utpote quo imperante ex Ecclesiæ & Imperii gremio ejecti hæretici, in exilio didicere unam alteramque in Christo voluntatem. Tres tunc temporis successu Pontifices Romæ sedebant, Agatho nimirum I. Leo II. & Benedictus II. qui cum Constantino Imperatore concordēs maximè, turbatam Orientis Ecclesiam pristino ordine restituere laborarunt. Eapropter ingentes Pontificum & Cæsaris laudes linguis & calamis passim celebrabantur hunc ferme in modum: supremus in coelis defensor Christus, Ecclesiæ suæ in terris militanti, Imperio dedit Constantini M. æmulatorem & re & nomine parem, sub cujus scuto & gladio, si non constanter profanis vinceret armis Christianorum exercitus, fide saltem ac virtute non succumberet hostibus, in infirmitate etiam potentior. Tam bene, aut potius optimè de Ecclesia meritum Cæsarem coelum perrexit victoriis remunerari; Saraceni enim per annos omnino septem Romanum Imperium terra marique infestârunt armis, damno suo denique maximo; primò Thraciam & universam Græciam pervagati, accepta licet ibidem memorabili clade Siciliam tamen repetierunt, ex qua, expugnatis Syracusis, thesauros illos sacros, quos Constans Romæ expilator eò abstulerat, Alexandriam in Ægyptum usque transferri curarunt. Obsidio

tandem gravissima subeunda fuit ipsi principi urbi Constantinopoli, quam singulari fortitudine propugnavit Constantinus, sæpe defunctus munere Ducis & gregarii, ut obessorum nemini deesset animus resistendi alacriter hostibus; qui crebros omnino tentârunt impetus, sed toties cum strage repulsi, quoties ad cominus pugnandum provocârunt Christianorum cohortes. Pugna tandem decretoria diurnas finiit plurimorum ærumnas: tantam enim jacturam passi sunt barbari, ut horum exercitus parte sui maxima desiderata Peloponesum petere fuerit coactus; ubi profectò Superos denuo experti hostes suos, extremum subiêre sui periculum: exorta enim subito tempestas maxima, naves Saracenorum reliquas in scopulos illisit eo impetu, ut vix nuntium cladis suæ reliquerint fluctibus hausti barbari universi. De coeli præsidio ne quisquam dubitaret, conspecta sæpiùs in aère Deiparæ imago amicis victoriam, hostibus vim & vindictam nuntiare est visa. Domitis hoc maximè modo Mahometanis, tametsi fortiter, haud tamen ita feliciter contra Bulgaros pugnavit; nam amissa victoria Mysiam amisit, & simul annum tributum solvere promisit, Imperator prosperis & adversis belli eventibus tentatus. Victoriâ ultimam eripere duo militantium Imperatorum mala haud postrema: alterum erat Cæsaris morbus, alterum in absentia Cæsaris militum non ritè pugnantium timor panicus & inertia. Malum Imperatoris inter mortales ultimum post se traxere fortè duo priora; annis enim vitæ ultimis, animi & corporis ægritudine afflictus morbo succubuit ultimo an. 685. Imperij 17. Symb. *Quod citò fit, citò perit. Paul. Diac. Zonar. Cedren. &c.*

LXV. Justinianus II.

LXVI. Leontius. LXVII. Tiberius Absimarus.

Constantini Pogonati filius ex Heraclii stemmate Imperator ultimus, haud quaquam felicem imposuit coronidem suæ & suorum majorum periodo, in principio licet felicissimus juvenis. Annos XVI. numerabat, dum auspiciatus fuit imperium, armis contra Orientis provin-

vincias prosperè conversis: Armenos enim, Albanos & Medos Saracenis eripuit, quin præsidium etiam ex Libano monte impetravit potens adeò, ut Abdimelech ab eodem victus Africæ partem sat magnam reddiderit, & tributum annum promiserit. His fretus victoriis, pacem à patre cum Bulgaris initam, ac ritè servandam haud servavit; victus namque à Bulgaris, ut vinceretur magis, cum Saracenis foedus pepigit jurejurando firmatum, haud tamen & hic servatum; igitur Saraceni crebrò, sed frustra in memoriam revocato & foedere & juramento, Deum in testem & vindicem violati foederis vocârunt, simulque hostes ad arma provocârunt. Pacis violatæ testes literæ, præ altâ perticâ elevatæ, in fronte exercitûs obvio Cæsari & copiis ostentabantur, quæ cladis quamprimum secuturæ tristes erant prodromi: vix enim pugnæ datum initium, mox viginti Sclavorum millia ad Arabes transfugerunt, confusis & penè jam victis hoc uno transfugio Justiniani copiis reliquis: ipse quippe Cæsar hoc sinistro pugnæ exordio exasperatus plurimùm, in superstites Slavos horùmque liberos ac uxores sævire haud destitit: imò & in alios nimium severus & asper, commune omnium incurrit odium, quo fretus Leontius vir Patritius infidias Imperatori struere, eundem capere, truncatis naribus in Chersonesum insulam exulatum mittere haud dubitavit. Tanto scelere partum sibi Imperium in tres usurpavit annos; tum verò edoctus exemplò proprio, bona malè parta male disperire, coronam Imperii eodem profus modo, quo rapuit, amisit; nam Absimarus Tiberius copiarum Dux à seditioso milite dum Augustus appellatur, tyrannum induit, & poenam talionis luere Leontium jubet, qui capta Constantinopoli mutilatis naribus in carcerem missus, diu delituit. Septem annis Absimarus hic volenti militi obsecundavit & imperavit; quo temporis spatio Justinianus ad Trebellium Bulgarorum Regem profugus, & copiosum aurum & virum armatum impetravit, quibus bene munitus, Constantinopolin per aquæ ductus clam ingressus sibi restituit Imperium, & se Imperio. In perfidorum tunc duces severissimè animadversum fuit; Leontius enim & Absimarus per urbem velut in triumpho ducti, & Justiniani triumphantis calcati pedibus, his populi acclamantis & vociferantis vocibus fuere excepti: *super aspidem. & basiliscum*

scum ambulabis, & leonem ac draconem conculcabis. Ludibrio dein fatigatis amputata capita initium dederunt vindictæ in rebelles copias: quoties enim Cæsar truncatas emungebat nares, toties ex Leontii partibus ad supplicium raptus miles sanguinem fudit. Dum tamen perfidorum persequitur crimina, ipse novæ perfidiæ dat poenas; Bulgaros enim suos paulò antè redemptores ad arma provocat; ab iisdem verò victus turpissimam arripit fugam; & tandem in Chersonesi etiam incolas barbarus nemini non displicuit summopere; iidem igitur milites Philippicum Bardanem Cæsarem creant, qui rerum potitus Justinianum cum Tiberio filio jugulat an. Christi 711. Vivum & mortuum reprehenderunt in rebus cunctis ferè universi, rem unam minimè reprehendendam si demas: Justinianus nempe Callinici Patriarchæ Constantinopolitani circumventus dolis, congregavit conciliabulum, in quo multa, eaque Orthodoxæ doctrinæ adversa capita manu etiam sua firmarunt Legati Pontificii, ab eodem Callinico non minùs decepti. Rebus his Romam perlatis, & Legatis quamprimùm redire à D. Sergio Pontifice jussis, more suo coepit furere & sævire Imperator: missus igitur cum exercitu Zacharias militiae dux, Romam pervenit, ut captivum Pontificem Constantinopolim pertraheret. Verùm Romanis civibus ad arma convolantibus territus Zacharias, eas in rerum angustias incidit, ut locum sibi ad fugam reliquum haud inveniret, nisi apud Sergium, à quo perbenignè susceptus, atque sub strato Pontificio reconditus est, ne à furente populo comprehensus occideretur. Doluit proinde hanc injuriam D. Præsuli illatam non solùm Zacharias, sed etiam Justinianus seriò; in exilio enim suo sapere doctus, missis an. 709. Romam Legatis Cæsareis, Constantinum D. Sergii successorem humanissimè invitatum, quin Constantinopolim usque perductum, summa excepit veneratione, ante Pontificis pedes diu prostratus, simulque admissorum errorum veniam precatus. Symb. *Multi nimium, nemo satis. Paul. Diacon. Sigon. Zonar.*

Refle-

Reflexiones supra Seculum VII.

EO perveni in via Historica, ut omnes ferè Historici Luthero vel Calvino faventes me destituerint penitus; pleno ore vociferantur namque: saltem in principio seculi VII. Ecclesiæ facies fuit obscura maximopere: Ecclesia eclipsin passa gravissimam in tenebras abiit. Quatuor rerum capitibus videntur mihi completi rem suam, scilicet

- I. Phocas Tyrannus, haud Imperator, instar gallinæ incubantis, juvat excludere Anti-Christum, dum Bonifacio III. Pont. concessit *Episcopi Oecumenici* titulum.
- II. Et quidem contra Constantinopolitanum Patriarcham.
- III. Constantinus IV. dedit potestatem Clericis eligendi summum Pontificem, non expectata deinceps confirmatione ab Imperatore danda.
- IV. Ecclesia proin Christiana omnino defecit, vel saltem deficere coepit, facta *invisibilis ex visibili.* *Hübner. & Erdman.*

Reflexio ac Responsio I. ad I.

Bonifacium III. Pont. & Phocam tyrannum velut scelerum socios conjungunt adversarij mei, alterum *Anti-Christum*, alterum *Anti-Christi genitorem* appellantes; cùm eadem igitur patrium aut relativorum non minùs, quàm contrariorum sit ratio, alterque sine altero oratione tangi vix queat: hinc cùm pro Bonifacio in Serie Romanorum Pontificum fol. 99. abunde multum fuerit responsum, juvat idipsum iis reponi, qui Phocam Oecumenici Episcopi creatorem qualicumque glorioso vocârunt nomine. Nunc verò etiam de Phoca aliisque Imperatoribus differendi fit locus.

Ante alia tanquam oraculum ponit ac supponit tam Hübnerus, quàm Erdmannus

1mò. Imperatorum neminem ante Phocam in animum suum induxisse, ut crederet, Romanum Pontificem jure vocatum fuisse *Episcopum Oecumenicum*.

2dò. Supponit tanquam responsum Delphicum, Episcopum Constanti-

stantinopolitanum non minùs *supremum Ecclesiæ caput* fuisse inter Græcos Episcopos, ac fuit inter Latinos Episcopos Romanus Pontifex.

3tò. Supponit tanquam primæ notæ certitudinem, *Episcopi Oecumenici nomen* in Romano Pontifice *notam esse Anti-Christi characteristicam*.

4tò. Supponit tanquam certæ Historiæ articulum, per sex Pontificum ac Imperatorum secula, nec Gregorium M. nec ullum alium Romæ Antistitem hoc usum fuisse nomine.

5tò. Supponit tanquam fidei regulam, sexaginta primos inter Romanos Pontifices, usque nimirum ad Bonifacium III. nusquam exercuisse in universam Ecclesiam ullam potestatem supremam. Hisce columnis firmissimis adversariorum innititur ædificium, majori utique firmitate, quàm Rhodi Colossus olim suis innixus est pedibus.

Percipis, nisi fallor, Lector amicissimè, quàm strenuos persæpè agant Historicos Hübnerus, Erdmannus &c. ut nunc in Theologorum, nunc Jurisperitorum, nunc Philosophorum scholis se haud tyrones, sed Magistros extitisse denuo demonstrent. Haud Doctoris ergo lauream invideo: verùm fuerunt etiam inter Cæsares, præsertim Orthodoxos à Constantino M. usque ad Constantinum IV. haud pauci numero, qui & in Philosophia & Jurisprudencia, & fortè etiam in Theologia profectum fecerunt eximium. Lubeat inspicere singularem singulorum peritiam, quamprimum coronata in Imperatoribus multis scientia intuentium perstringet oculos. Verumenimverò nec ullius Constantini Theologia, nec Theodosii aut Justiniani Jurisprudencia, imò nec ipsius Juliani Apostatæ Philosophia docuit rem incertam, aut falsam velut certam supponere, quam procul dubio argumentis firmare hoc opus, hic labor est. *Suppositum negotium*, exclamat Philosophus; *alleganti onus, incumbit probatio*, vociferatur Jurisperitus; *ex Ecclesiæ Historia, ex Conciliis, ex Patribus, ex S. Codice assertum tuum ostende*, hortatur Theologus. Hic verò, ut aliàs plerumque hæret aqua Hübnero: argumentis itaque si destitutum se sentiat, num suppetant argumenta mihi, quamprimum capiat.

Inter trecentos & octodecim Episcopos præsentate Constantino M. in Concilio Nicææ primo haud dubiè numerati sunt multi Philosophi, Juris-

Jurisperiti & Theologi, qui omnes unanimi voce, canone nimirum 39. sic conclusionem formârunt: *ille qui tenet Sedem Romæ, Caput & Princeps est omnium Patriarcharum; quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus: cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi D. N. super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam, Et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.*

In Concilio Chalcedonensi præsentate Martiano Imp. inter Episcopos plures, quàm sexcentos numerati fuerunt Præsules plurimi quavis scientia conspicui, qui dissentiente nemine D. Leonem M. Episcopum Oecumenicum appellârunt. Lege Græc. epistol. in *Concil. Chalcedonensi*.

Conciliis jungo testes ipsos Romanorum Imperatores, ex quibus Constantinus M. hoc maxime modo conclusit: *Romæ Principatum Sacerdotum & Religionis Caput ab Imperatore Cælesti constitutum esse. Vide Acta Concil. Nicæn.*

Valentinianus II. in epist. ad Theodosium Imperatorem data, quæ habetur in *Concilio Chalcedonensi*, hoc modo scripsit: *debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus Beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitates contulit, locum habeat de fide & Sacerdotibus judicandi.*

Justinianus Imp. Novell. 131. 15. Calend. Aprilis an. 541. cum de quatuor Synodis quædam decrevisset, earundem *Dogmata sicut sacras Scripturas* accipi debere, & *regulas sicut leges observari præcepit*. Mox de Sede Constantinopolitana addidit, ut *primum locum post Romanam teneret*. Vid. *Spondan. in compend. C. Baronii, aut ipsum Baronium an. 541.*

Ut brevitati consulatur, omitto textus Patrum plurimos in CC. Bellarmino & Baronio facile reperiendos. Omitto pariter exempla innumera, ex quibus apparet, Romanos Pontifices in universos Christi fideles à primis Ecclesiæ seculis exercuisse *potestatem supremam*. Placeat exempla colligere ex inductione Episcopatum quondam, dein verò Archiepiscopatum Moguntini, Trevirensis, Coloniensis & multarum aliarum Diocesium in Hispania, Gallia, Anglia & nostra Ger-

Germania, in qua Episcopi lapsis jam ante Phocam tyrannum seculis Pontifici Romano & suam Institutionem & Confirmationem adscripserunt gratissimi. Veritatem hanc Catholicam non negat in tomulo suo VII. & VIII. Hübnerus parùm scilicet memor illorum verborum, quæ scripsit tomulo III. de Rom. Pontif.

Haftenus autoritate potissimum, nunc ratione, sed paucis agendum. Repetite, amabo, hic mecum iter nostrum Historicum, Hübneri & Erdmanne socij: vos ipsi etenim, ut ritè memini, mecum numerastis hoc ipsissimo nomine sex *Oecumenica Concilia*, primum Nicææ, secundum Constantinopoli, tertium Ephesi, quartum Chalcedone, quintum denuo Constantinopoli, & ibidem sextum celebratum. Has omnes Synodos ita subditas fuisse affirmatis Imperatoribus, ut unum in locum ex orbe Christiano universo Episcopos coegerint, suam cuique sedem ex dignitatis ordine præscriperint, rem pene totam absolvent, verbò, *universæ Ecclesiæ Caput supremum in Conciliis Oecumenicis* extiterint. En! quàm liberali manu conceditis Cæsari, quod tam avarè negatis Pontifici! Pontifex Romanus si rem istam in Conciliis Oecumenicis præstitisset, quam ex mente vestra præstiterunt Cæsares, continuò foret Anti-Christus, tametsi perinde Anti-Christi vobis modò non sint Cæsares. Næ vos supremum inter idololatras dicitis Pontificem Octavianum Augustum, Trajanum, Vespasianum, & quod indè consequitur, Diocletianum, Neronem & quosvis tyrannos! Christianis dein Imperatoribus, scilicet Constantinis, Theodosiis, Martino, Justiniano &c. supremam potestatem in Conciliis Oecumenicis haud adimitis; atque adèd *re ipsa supremos Pontifices* appellatis: & tum demum res salva est, si modò sua dignitate exciderit Romanus Præsul; tum etiam continuò evanescit & deletur Anti-Christi nota turpissima; tum ocyùs Christi Ecclesia est absque macula, absque ruga sponsa formosissima; non ampliùs meretrix Babylo-nica.

*Obsecro nunc risum moniti teneatis amici!
Vide plura in Reflexion. seqq.*

Refle-

Reflexio ac Responso II. ad II.

Gravissimè onustus aliàs Hübnerus, aliud onus ipse sibi imponit gravissimum, demonstrandi nimirum, Patriarcham Constantinopoli Romano Pontifici parem obtinuisse auctoritatem. Uni huic ponderi sua sponte annectuntur pondera plura, ostendendi nimirum primò, quo authore & tempore Constantinopoli aut Byzantii primus vigilare coeperit Episcopus. Secundò, qua potissimum ratione æqualem D. Petro, vel à Deo, vel à Cæsare impetrarit dignitatem. Tertio, quanta in Oecumenicis Conciliis Constantinopolitani Præsulis fuerit potestas, aut majestas &c. Ad talia quæsitæ Hübnerum & Erdmannum certè mutos, linguæ beneficiò donabo, sed tamen ut verba faciant minimè in rem suam.

Obiter duntaxat in Historiis, ut ajunt, versato, obscurum haudquaquam est, Constantinum M. relicta Italiæ urbe principe, Constantinopolim erexisse ad imitationem ejusdem urbis, indito urbi novæ novo nomine: Constantinopolim namque dicebant, antea Byzantium, nec dignitate, nec majestate supra alias vel in Thracia, vel Bythinia urbes eminens. An. 314. creatum esse Byzantii Episcopum ordine quartum, nomine Metrophanem testantur Cedrenus & Zonaras, quem Probi Imperatoris fratrem eorundem authorum dicit ultimus. Agapetus quoque in literis de Menna Constantinopoli Episcopo, à se Ordinibus sacris initiatò ostendit planissimè, Nicephori Constantinopolitani Episcopi sententiam à vero esse alienissimam, qua causidicus in causa propria demonstrare conatus fuerat, Byzantinum Episcopatum à D. Andrea Apostolo principium accepisse. Literæ Agapeti deinde in Synodo V. Constantinopoli celebrata, ad congregatos Patres fuerunt recitatae, adversus eos, qui Romæ novæ, hoc est, Constantinopoli, Ecclesiam Romæ Veteri adversam erigere, aut Ecclesiæ Præsidem Oecumenicum alterum eligere cupiebant. Postquam nimirum urbs nova Romæ simillima tantum nata est conditorem, quantus fuit Constantinus Magnus; postquam Concilia Oecumenica haud in Occidentis, sed Orientis urbibus, & quidem Constantinopoli crebriùs fuerunt congregata; postquam Justinianus I. maximopere favere coepit Episcopo Con-

R. P. Kolb. Series Impp.

Y

stan-

stantinopolitano contra Alexandrinum & paulò post etiam Romanum, tunc enimverò primus, aut certè non ultimus ambitionis & zizaniorum author identidem magis invaluit, ut Constantinopoleos Patriarcha non modò Alexandriae Præsuli præsumperit imperare, sed ipsius etiam Romani Pontificis Imperium vix ullo in pretio habere ampliùs, parùm memor illius moniti à supremo sapientiæ Magistro inculcati: *amant autem primos recubitus in cænis, & primas cathedras in synagogis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim Magister vester, vos autem omnes fratres estis.* Unus pariter supremus Judex & Pontifex, quem constituit Dominus super universam familiam suam.

Reflexio ac Responsio III. ad III.

Est constans tam Veterum, quàm Recentiorum Historicorum opinio, Justinianum I. Imp. in ordinem redigendo Jurisprudentiam, aut legum notitiam, tandem in leges prudentiæ peccasse nimum & ex legem factum fuisse; dum annorum 84. senex mortuus ab anno ætatis præsertim 70. usque ad viræ terminum magis imperantibus paruit, quàm parentibus imperavit, priùs jam mancipium factus conjugis Arianae. Bonorum avaritia & honorum ambitio in ipsa Ecclesiae jura & bona violentum aditum aperiebant; Justiniano namque per annos 38. imperante sex Pontifices Romani solum Pontificium successione ordine occupabant, quorum priores summo complectebatur favore; posteriores persequebatur odio, utpote si non Fide, jure sibi saltem contrarios. Haud mirum proinde fuit, si non jure, sed vi armata fortior ac ferocior, tales eligi desideravit Pontifices, quos scire optabat, Imperatorem in confirmando, & conservando Pontifice Romano esse primum & supremum authorem. De hac profectò Pontificis Romani *confirmatione* quis ante Justinianum I. Imperatorum Romanorum unquam vel verbum protulit, vel somnium somniavit? certè inter Cæsares ethnicos haud ullus extitit, utpote qui malebant Pontificium sanguinem morti dare, quàm vivum servare. Sed nec inter Orthodoxos, imò nec Arianos Imperatores ullus ante Justinianum tantum sibi vel *authoritatis* vel *potestatis* in Ecclesiam Romanam fingebat. Tantæ sci-

licet

licet novitatis authores primi quodammodo fuerunt Anastasius Imp. item Gothorum in Italia, & Vandalorum in Africa Reges, Romanorum tyranni, qui cum idololatriæ, aut Arianae hæresi suum penitus devovissent animum, nec tamen Christicolæ toto Imperio aut regnis suis ejicere valerent, nisi coronæ & sceptri periculum facerent maximum, hinc in deligendo Summo Pontifice, aut constituendis Episcopis jus sibi vindicare cœperant cum summa Ecclesiae injuria, vix tamen Justiniano in violatis Ecclesiae juribus pares. Petenti hanc in rem testimonia tot testes occurrunt, quot ferè eorum temporum scripserunt Historias Historici; unde Hübnerus ipse tot convictus testibus (si tamen legerit) usque ad Justiniani I. annos vitæ ultimos de Pontificis confirmatione à Cæsare usurpata inveniri neq. verbum meminit. Si itaque per sex ferè secula, & quidem etiam inter Imperatores tam Orthodoxos, quàm Arianos haud paucos de eligendo, aut confirmando Romano Pontifice ulla quæstio non fuerit mota, imò vix somnium inciderit; si pari ratione constet, Arianos Reges novæ huic confirmationi ansam præbuisse; si adhæc Justiniani I. in fide inconstantia, & lites universis fidelibus violentæ ponderentur; si denique Constantinus IV. palam fecerit omnibus, hanc qualemcunque Pontificis confirmationem Ecclesiae longè magis fuisse noxiam, quàm Cæsari jure debitam; quis demum sit, aut esse possit ratione non abutentium, qui hac in parte quicquam juris Pontifici adimat, ut Cæsari hodie haud petenti tribuat? esto, fuerint per aliquod tempus Romani Præsules, qui numeratis etiam auri aut argenti summis gravibus à Cæsare confirmari inviti petière; perinde tamen parum roboris acquireret Hübnerus & hujus socius: solvit nimirum etiam latroni aurum viator supplex, ut vitam non eripiat; numerat virgo raptori argentum, ut vim non inferat; non negat usuram avaro in angustiis debitor, ut mutuum accipiat. Adeò insurgit sæpe vis & patitur innocentia! adeò triumphat sæpe injuria, & pedibus conculcatur justitia!

Reflexio ac Responſio IV. ad. IV.

Numeravimus hoc VII. ſeculo Imperatores in Oriente octonos, inter quos ferè ſolus Conſtantine uterque bonus, Conſtans verò Heraclius & Juſtinianus II. temporum longitudine, & geſtorum multitudine peperunt ſibi præ reliquis partim inſignem famam, partim etiam infamiam. Utrumque expertus, utrumque teſtatus eſt cunctis mortalibus ſuo incremento, & decremento maximo Heraclius in principio feliciffimus, in fine Imperator infeliciffimus. Quamdiu nimirum ritè credidit, inter prodigia ac miracula Crucis ac Crucifixi Dei inimicos devicit, & præter recuperatas provincias ampliffima ſpolia collegit: perpetuus victor & triumphator, dum imaginem Chriſti Servatoris manu Auguſta exercitui præferens, pugnam primus iniiit, & penè ultimus finiit. Verùm ab hoſtibus naſtus otium, dum faciles hæreticis non negavit aures, Fidem, quam ex auditu priùs optimè comparato percepit, amiſit, mente pariter excæcatus & corde induratus, Pharaoni perquam ſimilis. Renovata & inſtaurata ſunt novis, iis que palmaribus miraculis per Arcam à Philiftæis captam miracula, dum Crucis lignum, ex quo Deus homo pependit, velut arcæ, aut prælongæ incluſum ciſtæ à victoribus Perſis Hieroſolyma in Perſiam eſt ablatum, & tandem à victore Heraclio Regiis humeris priſtino loco reſtitutum. Quisquis lectorum eam Hiſtoriam animo ritè diſpoſito legerit, ac paucis perpenderit, abſque mora pronuntiabit: **C**ruce Chriſti ſeculo VII. miracula patravit illis ſimillima, quæ Arca foederis ſtupentibus cunctis prodidit quondam; Perſis enim obſuit Crux eadem, quemadmodum nocuit Arca Philiftæis; Arcam reduxit Hieroſolymam dilectus Deo Rex David; Crucem reportavit acceptus adhuc Superis Imperator Heraclius. Fuit Arca non modò *viſibilis*, ſed fulgentis & fulgurantis Eccleſiæ indicium ſub Davide; fuit Crux Chriſti non modò *ſpectabilis*, ſed inſtar meridiani ſolis in cunctorum hominum oculis argumentum ſplendentis ac coruſcantis Eccleſiæ Dei ſub Heraclio manifeſtum.

Non minùs clarum argumentum veræ ac omnibus patentis Eccleſiæ præbuit Europæ, Aſiæ ac Africæ Conſtans II. eſſi Monothelitarum

rum totus immerſus erroribus, eandem omnibus manifeſtam Eccleſiam funditus evertere annos 26. annis fuerit: ſi enim unius D. Martini Pontificis geſta eo, quo par eſt affectu pervolvantur, & ſimul Imperatoris Conſtantis acta cum iisdem comparentur, contraria juxta ſe poſita ita eluceſcent, ut ab omni ſiniſtra intentione purgatus Lector vel Auditor malit obſcuram noctem diem dicere, quàm D. Martini Pontificis & Martyris Eccleſiam ſpuriam appellare. Rem ſeriò conſideranti, & teſtes deſideranti occurrent facilè authores tum ex Veteribus, tum Recentioribus triginta, qui cauſam D. Martinum Pont. inter ac Conſtantem Imp. agitatam, in hunc ferme modum deſcripſere: D. Martinus Romæ 105. Episcoporum convocato cœtu condemnavit Typum, ſeu Fidei formulam à Conſtante Imperatore datam, à Paulo Monothelita verò dictatam. In novas igitur furias actus Paulus, ſubornatis falſis teſtibus Pontificem coram Conſtante graviffimorum criminum reum egit adeò, ut mandante eodem Olympio Ravennæ Præfectus cum copiis Romam venerit, ac nocte nato Servatori ſacratiffima in Pontificem ſtringi gladium jufferit, dum Sacram Hoſtiam Olympio ſummus Sacerdos porrexit. Actum fuiſſet de vita Viri ſanctiffimi, niſi manus militis ſacrilega continuò obriguiffet, obcæcatò pari pœna utroque oculo. Præſentiffimum hoc miraculum aperuit equidem mentis aciem Olympio, non verò Calliopæ Imperatorio miniſtro, qui novis cum mandatis ac militum copiis venit Romam, ubi captum ex inſidiis Pontificem, navigioque impoſitum Conſtantinopolim perduxit. Is verò ſpretis tum blanditiis, tum minis mandante tyranno primùm diebus 90. duro carceri eſt incluſus, ex quo reductus, & à corruptis teſtibus accuſatus, ſacrisque veſtibus ſpoliatus, atque publico in foro cunctorum opprobriis eſt expoſitus. Tantum vitæ ac vigoris vix ſupererat, ut graves catenas ferret, quibus ligato octoginta dies alij in captivitate tranſigendi erant. Interea animam exhalavit Paulus, felicem ſi ſeriò pœnitenti animo protulit voces ultimas, quibus ſua ſcelera, innocentiam verò Pontificis publicè teſtatus eſt Imperatori, qui tamen in ſcelere pertinax Martinum in Cherioneſum inſulam ejecit exulem, ubi per biennium extrema omnia perpeſſus, diem

extremum obiit an. 654. in vita & morte miraculis conspicuus. In Pontificis itaque Martini verba, fidem & vitam unanimi calculo Lateranensis primò Synodus, dein verò post datas ab hac in orbem Christianum universum literas, Episcopi per Europam, imò Africam & Asiam si non omnes, plerique certè jurarunt, Monothelitarum hæresi damnata, & iterum in Oecumenico Concilio damnanda anno 681.

Reflexio ac Responsio ultima ad IV.

HAud equidem inficias imus, sub Imperatoribus hujus seculi VII. invalescentibus maximè Saracenis, Ecclesiam Christianam in Oriente potius coepisse diminui, quàm longiùs aut latius extendi; defectum tamen hunc quantumvis magnum, augmentò suò maximò supplevit abundantissimè Ecclesia per Occidentis regna ac regiones non modò instar auroræ, sed solis instar orientis splendidissimè illucescens. Non ego impræsentiarum in medium proferam minoris notæ viros ac fœminas nobiles, hujus auroræ aut solis luce illustratos; Reges duntaxat ac Reginas, nec non cum conjugibus ac liberis Viros Principes Christiana Sacra hoc seculo palam professos memorabo, quamquam etiam hos in Europæ tantùm provinciis obiter collegi, missos faciens eos omnes, quos vel in Fide constanter, vel primùm novitios numeravit Asia aut Africa.

Reges ac Viri Principes hoc seculo VII. Ad Romanam Fidem conversi, aut arctius adstricti Ecclesiæ.

ANno 626. Edvvinus Anglorum Borealium Rex hortatore Paulino Episcopo, consentientibus regni Primatibus, quin ipsis etiam sacrificulis, quorum omnium supremis diruendis idolis manum primus iniecit, ritè credere didicit, die Paschatis sacris undis ablutus. *Beda.*

Eod. ferè tempore Carpualdus Anglorum Orientalium Rex ad Aras Romanas conversus, & ab idololatra occisus occidit. *Beda.*

Sige-

Sigebertus Carpualdi Regis successor, exul antea in Gallia, cultum idolorum ejuravit, in Anglia verò dein latissimè Orthodoxam Fidem propagavit, Rex, ut ait *Beda*, doctissimus.

Eodem tempore in Gallia & Belgio *Pipini* nomine, avi & atavi Imperatoris Caroli M. zelum animarum ac Religionem Romanam variè promoverunt. *Stephanus Abbas & Surius*, quorum primus de Pipino hujus nominis primo, teste C. Baronio, refert, *eum fuisse probatissimæ ac purissimæ vitæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurum, defensionem legum, munimentum patriæ, decus Curie, viam ducum & disciplinam Regum &c.*

An. 633. In Concilio Toletano in Hispania Rex Sisenandus Catholicus genua flexit humi, & omnium vota ac preces pro se fundendas flagitavit. *Isidor. Hispalens. Episc.*

An. 634. Osvaldus Anglorum Rex Edvvinus ex sorore nepos, fufis ad erectum in plano Crucis lignum precibus, vicit Carduellam tyrannum ac hostem suum; agens dein & ipse sacrorum verborum interpretem, Berniciorum plurimos eandem docuit fidem, quam Christianorum more didicit priùs in Scotia Doctore S. Aidano Episcopo. Evasit is ipse demum Rex Britonum, Pictorum, Scotorum & Anglorum. *Beda.*

An. 635. Cynigillus in Anglia Saxonum Occidentalium Rex, duce Byrino Episcopo miraculis claro, Pontifici Honorio sacramentum dixit unà cum subditorum plurimis. *Bed.*

An. 638. In Concilio Toletano VI. à congregatis Patribus consentiente Rege fuit sancitum, neminem in Regem deinceps admittendum esse, nisi edito jurejurando promississet, se in regnum haud alios advenas, quàm Catholicos suscepturum. Verba Concilii sunt sequentia: *Esset (promissionis temerator) anathema in conspectu Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni, simulque cum eo damnatione percellerentur, quicumque Sacerdotum, vel quorumlibet Christianorum ejus implicati fuissent errori. Act. Concil.*

An. 640. Earconbertus Eadualdi Regis Anglorum filius & successor, mirè rem Catholicorum coepit promovere; idola enim ubique locorum

corum ditionis suæ destrui, & præter alia præcepta 40. dierum jejunium observari præcepit. *Bed.*

An. 647. Rex Francorum Dagobertus postquam hortantibus Episcopis illicitos concubitus vitavit, post diem obitus sui visus est Ss. Tutelarium ope manus dæmoniorum effugere, & coelum petere. S. *Audoenus Epif. Rhotomag.*

An. 653. Penda Mittelengorum seu Anglorum mari mediterraneo olim vicinorum Princeps, occasione nuptiarum cum Alchfleda Nordhumbrorum Regis filia Christiana initarum, Romano Pontifici fidem promisit & servavit. *Beda.*

An. 655. Sigebertus Orientalium Saxonum Rex baptizatus, paulò post à duobus propinquitate sibi junctis occisus fuit, quòd nimium facilis ex eorum opinione foret ad condonandas injurias ab aliis sibi suisque illatas. *Beda.*

An. 657. Piissimam mortem obiit S. Sigebertus Austrasiæ Rex, in templa Catholica & Monasteria liberalissimus. *Sigebert. Gemblacens.*

Anno. 667. Oivvus Nordhumbrorum Rex, cum annis prioribus didicisset ex Egberto Cantuariorum Regulò, eam tenendam esse Fidei regulam, quam Romana doceret Ecclesia, Wighardum Presbyterum cum vasis aureis & argenteis Romam ad D. Vitalium Pont. misit. *Bed.*

An. 669. Mortuus est Wandregifilus Pipino Austrasiæ Duci sanguinis propinquitate proximus. Is apud Dagobertum Regem Comes fuerat Palatinus, qui relicto statu pristino inter Sacerdotes Sacerdos eminuit, ejus conjuge perpetuam deinceps continentiam vovente. *Sur.*

An. 672. Sebbi Saxonum Orientalium Rex post innocentissimam 30. annis longam vitæ periodum inter regni curas transactam, consentiente conjuge vitam amplexus est monasticam; idem deinde de morte sibi proxima admonitus divinitus. Mortui denique cadaver cum in sandapilam nimium brevem fuisset illatum, testibus multorum oculis, sandapila augmentum sumpsit sua sponte longior facta quàm fuerat antè, *Beda.*

An. 74.

An. 674. Wamba Hispaniarum Rex, Recesvvinthi Regis successor Catholicus, dum fuit inunctus ab Episcopis sacro Oleo, fumus pellucidus ex oleo ascendere est visus, ex ipso autem Regis capite apis visa profilire & coelum petere. *Tudensis Author Hispan.*

Idem adulteriorum in subditis militibus vindex severissimus, in præliis comites & duces habuit Angelos tutelares, quorum fretus auxilio sex mensium spatio validissimos hostes superavit. *Tudens.*

Circa idem tempus Dertharidus, seu Entherid Ariperti Regis filius in Britannia exul, cognito divinitus Grimoaldi Longobardorum Regis in Italia obitu, exclusò Garibaldò, mense post mortem Grimoaldi tertio ab universis fuit receptus. Idem Rex aggregatus Catholicis omni virtutum genere instructissimus, Ticini monasterium extruxit in honorem D. Agathæ. *Paul. Diacon.*

An. 686. Gosbertus Dux Herbipoli principem sedem figens, cum plurimis Francorum Orientalium sibi subditorum à D. Kiliano fuit Christianæ fidei dogmatis instructus. *Sur.*

An. 689. S. Ceadualla Saxonum Occidentalium Rex relicto regnò suò peregrinatus est circa annum 695. Romam ad Limina DD. Apostolorum, ibidemque baptizatus à D. Sergio I. Pontifice. Is ipse Rex vestibus albis indutus adhuc, diem clausit extremum an. æt. 30. sepultus in Ecclesia S. Petri. *Beda.*

Anno 690. Authore potissimum S. Egberto Anglo Hiberniæ Apostolo cum sociis undecim, inter quos etiam filius Regis Deirorum nomine Adelbertus ex Britannia venit ad Pipinum de Herstallo Regiæ Domus, uti vocabant, Majorem, qui cum antea expulso Rege Radbodo Frisones bellò perdomuisset, in favorem duodecim sociorum Apostolos imitantium, edicto vetuit, ne quisquam iisdem obicem poneret. *Bed. & Marcellin. unus ex 12. sociis.*

R. P. Kolb Series Impp.

Z

Regi-

Regina & Principes fœminæ hoc seculo VII. Christianis Sacris addictissima.

Anno 607. Constantia Mauriti Imperatoris vidua Augusta cum tribus filiabus ob suspicionem conjurationis, à Phoca tyranno capite plectitur; mater in fidei constantia exemplum filiabus præbet, matrem strenuè imitantur filia. *Historici passim.*

An. 614. Fridiburga Sigeberti Francorum Regis sponsa, ipso nuptiarum regiarum die, sponso regio annuente induit posito diademate habitum monialis, & tandem præfuit monialibus in civitate Metensi. *Walfridus. Sirabo.*

An. 626. Edelburga Eadualdi Cantii Regis filia Hedvino Anglorum Borealium Regi nupsit hoc pacto, ut liceret sibi cum venturis in regnum fociis Fidem Romanam constanter conservare. *Beda.*

An. 655. Olivi Nordhumborum Regis filia vovit Deo castitatem perpetuam, si genitor adversus Merciorum Regem potentissimum triumpharet. Votum secuta est victoria, victoriam triumphus, & Virginitas perpetua. *Vid. Baron. eod. an.*

An. 664. Mortua est S. Gertrudis Pipini Ducis filia, cujus mater Ita, exemplum filia imitata, à S. Amando Trajectensi Episcopo sacrum velamen accepit, & sanctitatis famam ab universa Ecclesia impetravit. *Molan. Natal. Ss. Belg.*

Anno 665. Bathildis Clodovæi Regis Francorum relicta vidua à S. Eligio muliebrem ornatum ponere monita, monialibus se sociavit, cum simul D. Eligii Reliquiis præclara miracula sciret patrari. *Martyrol. Rom.*

Eodem anno Wandregisilum Aufrasiarum Ducem virginem sponsum virgo sponsa imitata, velamine sacro diadema regium commutavit. *Sur.*

An. 673. Rodelinda Entharidi Longobardorum Regis Catholici conjux Catholica Ticini extra muros in honorem Dei Genitricis magnificentum erexit templum. *Paul. Diacon.*

Omissis sexcentis aliis ad provocandam, si non improborum, sal-


saltem proborum imitationem exemplis potentissimis, libuit Lectoribus ob oculos ponere hæc pauca, quæ si unà cum Cæsarium gestis, & additis Reflexionibus sincero perpendantur animo, sufficient abunde ad formandam conclusionem Catholicam adversus eos, qui huic seculo VII. negarunt Ecclesiæ visibilitatem.

Periodi III.

Seculum Christi Nati VIII.

LXVIII. Philippicus Bardanes.

Philippicus Justiniani II. proditor, ex familia perillustri natus, meritisque primùm ad speciem minimùm clarus, ab Absimaro tamen æmulo in exilium ejectus Cæsar, didicit esse miser vel eam ob causam maximè, quòd augures prædicerent, Philippicum post brevis exilii moram Imperatorem fore. Vates fuisse hos augures eventus comprobavit; à Justiniano enim ad Imperium reduce reductus & ipse, cum copiis in Chersonesum venit, ubi à militibus in Cæsarem electus ita imperavit, ut neminem non poeniteret hunc creasse Cæsarem: proscripam enim in Synodo VI. Oecumenica Monothelitarum hæresin ab inferis revocare, Imaginum cultoribus diras imprecari, Republicam stertendo & græcando perdere, hostibus Bulgaris, & Barbaris aliis Imperii provincias invadentibus impunè omnia concedere haud cessabat. Inter eos, qui Philippici tyranni furorē pertulerunt, eminuit Cyrus Constantinopolis Patriarcha cum subditis Sacerdotibus, quos suis è sedibus pulsos exulare jussit, ut Joannem inter Monachos insignem hæreticum cum sociis hæreticis promoveret, & hæresin triumphare juberet. Has ob causas iniquissimas à Romano Pontifice Constantino I. è fidelium cœtu æquissimè ejectus, hac tamen ratione emendatus minimè, cum in aula & Imperio universo exosissimus fieret omnibus, idcirco insidiis haud semel tantum petitus, dum inter convivas facie tenus amicos indulgit genio, die Pentecostes sacra oculis est orbatus, & vice altera in exilium ejectus, nunquam vice altera reducendus facilè. Quin scripsere Historicorum



nonnulli, Philippicum à suismet quindam amicis turri inclusum, terræ sabulo obrutum interiisse vivum, fortè exemplo desumpto à Zenone, quem Imperatricis mandatò sepeliere vivum, quòd plurimi optârunt Zenonem & Philippicum mortuum. Imperavit annis ferè 2. Symb. *Fortuna citò reposcit, quæ dedit. Paul. Diacon. Zonar. Cedren.*

LXIX. Arthemius seu Anastasius II.

A Anastasius II. ex obscuris parentibus natus, à secretis cùm foret Philippico Bardani, perspecta sibi habebat maximè Imperatoris & heri sui vitia multa, tum bono publico, tum privato commodo noxia: publici igitur & privati commodi jactura permotus Arthemius, omnem movit lapidem, ut è solio amoveretur Philippicus. Suam ob operam ac studium in publico Imperij tumultu nemo laudatus magis, quàm Reipublicæ studiosissimus Arthemius, universis summè placuit, eo etiam ex capite, quoniam Bardanes summopere displicuit. Verùm inter turbatas res haud diuturnus constantiæ relictus est locus; Arthemius namque creatus Imperator, etsi ob morum comitatem, probitatem, & doctrinæ simul ac experientiæ summæ præstantiam viris probatis haberetur acceptissimus, nihilominus cùm adversus Saracenos expeditionem suscepit, miles seditioni assuetus, & instar recalcitrantis equi, omnis propemodum laboris ac fræni impatiens, Imperatorem suum contempsit, sceptrum verò & coronam sibi jam venales Theodosio, cuidam tributorum exactori & dispensatori publico obtulit. Anastasius itaque vel vi aliena coactus, vel sua sponte melior effectus, Imperio monasterium præhabuit anno Imperii 2. haud finitò. Symb. *Si non dat, accipit ultrò. Vid. Auth. citt.*

LXX. Theodosius III.

P Rædictus tributorum exactor Theodosius à militibus imperare verius coactus, quàm rogatus, coëgit ferè neminem, ut sibi obediret, Imperator moderatissimus; Imperio tamen eo in rerum statu vix idoneus satis. Constantinopolim sex mensium obsidio-

ne

ne inclusam ab hostibus variis, proditione tandem traditam accepit in fidem, abactò in monasterium Anastasio. De Cæsare Theodosio concepere plurimi spem optimam, quam ut eluderet quamprimum Leo Isaurus Orientis tunc Præfectus, nihil non tentatum reliquit; cùm enim obscuris artibus, quin apertis fraudibus impensissimè sceptrum ambiisset, etiam in Oriente ab electore milite Augustus fuit salutatus, nactus rerum suarum eventum opinione sua prosperum; tum verò Theodosius à bellis civilibus abhorrens plurimum inter multorum lacrymas & communem luctum ultrò deposuit coronam & sceptrum, purpuram commutaturus religioso habitu. Vidit eâ ætate Imperium diversos longè Imperatorum animos; dum enim Theodosius Monachum induit, Anastasius continuò exiit, hic ut imperaret, ille ut imperata faceret: ter felix Theodosius tertius, infelicissimus Anastasius secundus; cùm enim Imperii fasces se repetere palàm confiteretur, à suismet quondam militibus Leoni Isauro proditus, vel occisus cecidit, vel vivus vitam miseram vixit. Imperavit Theodosius vix anno unico & paucis mensibus. Symb. *Patientia remedium malorum. Vid. Auth. citt.*

LXXI. Leo III. Isaurus.

L Eo à patria Isaurus, ab hæresi Iconomachus dictus, vitâ obscurus, notior vitiis fuit; certè etiam inter multa licentiosorum militum crimina creatus Cæsar. Unicum, quod vitio fortè carebat, facinus fuit, quo Constantinopolim trium annorum obsidione à Saracenis circumsessam servavit, haud superatam ab hoste, quem potius vicere mortes & morbi, quàm obsessorum constantia; tantum etenim pestilentiæ malum hos inter & illos fuit exortum, ut sola Constantinopolis ultra ducenta peste interemptorum hominum millia numerârit, majori Saracenorum parte æquali malo absumpta. Otium ab hostibus nactus, anno Imperij sui nono Hebræis duobus, suis in juventute vel præceptoribus, vel deceptoribus morem gessit luctuosissimum; petentibus enim pro felici augurio, quo Leoni sceptrum vaticinati fuerant, ut Christo & hujus cultoribus vim faceret,

Z 3

ceret,

ceret, ne utiquam dedit repulsam: Deo quippe Divisque bellum intulit impium, osor sacrarum Imaginum maximus: ipsius Dei-Hominis, & Magnæ Virginis Dei Matris effigies in foro publico concremavit, simulque ullam servari Imaginem sacram severissimè prohibuit. Huic igitur mandato iniquissimo cum subscribere tardaret D. Germanus Constantinopolis Antistes, sua è sede pulsus, & ipsius in locum intrusus fuit Anastasius, Religione Leoni Iconomacho perquam similis. Cum nihilominus D. Joannes Damascenus ea tempestate plus valeret calamo pro Imaginum cultu & cultoribus, quam tyrannus gladio, amputatam carnificis ferro dexteram Magnæ Virginis prodigioso beneficio recepit. Perit eodem tempore tristissimo incendio Bibliotheca à Theodosio II. sumptibus regis erecta, & instructa imaginibus multis, librisque plurimis; numerarunt siquidem facile trecenta librorum millia, quibus curandis viri literatissimi (duodecim bibliothecarios vocabant) navabant operam, eorundem Magistrum supremum, *Doctorem universalem* dixere; is & socij D. Germani exemplum secuti, cum parvi æstimassent Cæsaris mandatum iniquissimum, unà omnes flammis combusti morte nobilissima triumpharunt. Hæc multaque alia non levis momenti argumenta D. Gregorium II. Pontificem excitarunt, ut acri anathemate perculsum Leonem non minus fortiter ab aris repulerit, quam vehementer Leo vim armis intulit. Potior itaque Italia pars Cæsaris partem quamprimum relinquens, Superum causæ & Ecclesiæ constanter adhæsit. Cum Romanis Campani, Ravennates & Pentapolitani omnium primi suam & Ecclesiæ causam communem, contra Iconomachos defendendam in se susceperunt: tantus tamen Divorum hostis non nisi post 24. Imperij annos dissenteria morbo interiit, malus genitor pejorem relinquens filium. Symb. *Occulti inimici pessimi. Gemblac. Paul. Diacon. Zonar. Cedren. Foresti.*

LXXII. Constantinus V.

Leonis Isauri filius Constantinus V. altero nomine Copronymus fuit appellatus, quod natus pusto sacrum Baptismatis lavacrum suis excrementis jam polluerit, tristi omine tristioris vitæ futuræ; quod abun-

abunde percipiens prædixit vates S. Germanus, dum fonte sacerrimo purgavit Copronymi jam tum in fordido corpore animam. Caballini non minus nomine fuit notatus, quod equorum stercorea summas inter delicias adolescens numerarit. Vix biennio major jam coronatus est Cæsar, parentis in Imperio socius, ut patris vitia coronatum caput filius simul cum corona caperet, nec concepta dimitteret. Adultior factus, & vitiis supra modum auctus, majori subditorum parti visus est detestabilis; unde cum fortè rumor increbuisse, Copronymum juvenem fati defunctum Deo ultori jam maturas dedisse poenas, continuo Artavaustus sanguinis cognatione Constantino junctus, Religionis verò dogmate plurimum diversus à populo Cæsar postulatur; sed pro dolor! post varias velitationes captus, & unà cum duobus filiis orbatus oculis, in triumpho spectatoribus spectaculum plerisque tristissimum exhibetur. Pseudo-Patriarcha Anastasius, nuper D. Germano à Leone Isauro suppositus, injuriam, aut fortè vindictam inter omnes justissimam sustinuit; jumento namque impositus, dextera caudam bruti pro fræno tenente per urbem ducebatur, quod particeps adversorum consiliorum haberetur. Bella gessit Constantinus hic contra Bulgarios & Arabes, cum quorum ultimis feliciter confligit, cum primis verò fortuna bis ancipiti pugnavit, primò cladem, secundò victoriam reportans, quam captorum militum sanguine plurimum foedavit, cunctos suffocari imperando. Vice tertia extructis navigiis 260. supra mare cum Bulgaris decertans, navigiorum penè universa amisit, coorta subitò tempestate præ quovis hoste feliciter pugnantem & vincentem. Tam sinistro rerum suarum casu, aut coeli providentiâ, victoriarum dominâ, exasperatus Copronymus, virus omne suum in viros Ecclesiæ Romanæ addictos effudit; unde deinceps inter primas Imperij curas eam habuit commendatissimam, qua Coelitem imaginibus, & Ss. Reliquiis suum cultum è medio penitus tollere allaboravit majori vi & viribus, quam quales Hercules impendit debellandis leonibus. Inter Coelites Virginum Maximam appellari Deiparam, supremus sibi in Ecclesia visus iudex, severè vetuit: hanc in rem trecentorum triginta & octo hæreticorum variorum coëgit conciliabulum, ut plurimorum fau-

cibus

cibus contra eandem Virginum Dominam, & Ss. Iconum Religionem debaccharetur. Monachorum non minus hostis infensissimus, juratorum Deo votorum morem aboleri præcepit. Reluctantes ea propter vel multavit exilio, vel oculorum beneficio privavit; monasteriorum verò reditus fisco addixit, plurimorum retrò hæreticorum antesignanus probè notandus. Tot summè noxiis Ecclesiæ sceleribus Imperium vix non evertit penitus; Constantinopolim namque per decem continuos dies densissima obscuravit caligo; caliginem mox secuta pestis, ac in vicinos quosvis grassata, urbem in cœmeterium convertit. Syria ferè tota insolitis terræ motibus quassata, montes in valles, urbes in acervos lapidum obstupuit mutatos. Pontus adhuc Euxinus & Danubius Ponto junctus tanta glacie constringebatur, ut Europæ regiones ad Euphratem usque cum Asiæ provinciis conglaciata serie conneckerentur. Italia interea Longobardis in prædam cessit ferè universa, reliquis ad Occidentem sitis regnis ac regionibus, nunc hos, nunc illos Reges colentibus. Trium itaque elementorum virtute jam punitus, quarto ut puniretur magis, & inferorum pœnas vel in terris persentisceret, occulto eoque divinitus immisso igne inter ejulatus continuos periit, coactus suosmet viva voce testari errores gravissimos; nam ob despectam Virginem Dei Matrem, se tanto incendio cremari, ut totus crederet orbis, confessus est ipse Imperator impius, factus Dei oraculum in damnum suum extremum. Anno Christi 775. orcum petiit tyrannidis suæ an. 34. quo longo temporum cursu tantum Christiani sanguinis fusus est, quantum vix Nero aut Diocletianus per orbem universum fuderunt, inter tyrannos supremi carnifices. Symb. *Quid sine pectore corpus? Gemblac. Paul. Diacon. Egnat. Zonar. & C. Baron. an. 775.*

LXXIII. Leo IV. Porphyrogenitus.

HOc nomine fuit appellatus à veste purpurea, supra quam natus recumbebat pufio: purpuram tamen ipse fœdavit nimium; mali enim corvi malum ovum, Copronymi progenies, par scelere patri filius, studuit esse Imaginum sacram osor totis viribus, annis præsertim vitæ ultimis. Permultos stupore

pore attonitos tenebat Leo ob morum mutationem, quam in ipso notabant seduli observatores: annis enim Imperii primis tantam animi moderationem Leo, vulpes callida, præferebat, ut subditi promptissimam exhibuerint obedientiam, Augustum genitorem rogitantes, Constantinum tenerrimum licet filium Imperij hæredem diceret, & coronâ Imperij regiâ exornaret. Ut in virtutis semita (si tamen unquam coepit pedem figere) perseveraret, non deerant argumenta & exempla domestica; conjux enim Augusta Irene, & soror D. Anthusa omni virtutum genere excultæ sceminae, non nisi in virtute constantiam verbis & factis suadebant. Verùm dum in cubiculo Irenes, curiosus aut studiosus indagator deprehendit Divorum arcanas imagines, tantum mox ostendit palam animi fastidium, ut in conspectum deinceps vix unquam admiserit Imperatricem Imperator. Fortè etiam fratres Christophorus, Nicephorus & Nicetas moribus & sacris diversi, in partes divisi fuerunt varias; quippe Nicephorus, postquam Constantinus nepos ex fratre parvulus coronâ hæreditariâ fuit insignitus, Leoni insidias struxit; verùm à fratre deprehensus, & in monasterium detrusus, quot capillos, mandante fratre rasos, amisit, tot dolos in solitudine nexuit eo fine, ut tandem liceret in publico imperare. Imperator interea fratri, conjugi, sorori, majori item in Imperio parti, & longè magis Ecclesiæ Romanæ infensissimus, nil nisi vindictas spiravit iniquissimas, ob illatas injurias gravissimas puniendus ipse ante alios omnes: quòd itaque annorum numero parentem tyrannum tyrannus filius minimè superârit, aut æquârit, singulari Superârum beneficio evenit; anno namque tyrannidis quinto vindicij Deo manifestas dedit pœnas, dum coronam illam auro gemmisque insignem, quam Mauritius Imperator in S. Sophiæ templo gratum Deo anathema posuerat, inde ablatam, suoque capiti impositam tulit; nam caput sacrilegum carbunculis continuò exarsit, & secuta febris ardentissima in atrociores crebi ardores æternùm arsuram animam corpore exegit an. Christi 780. imperavit an. 5. Symb. *Quò fortuna, si non uteris? Vid. Auth. citt.*

LXXIV. Constantinus VI. & Irene Mater.

RArò admodum multis, iisque æquis rerum æstimatoribus sat probatum est Imperium juvenis aut foeminæ. Constantinus annos duntaxat novem natus, Leoni patri mortuo successit, Imperator tamdiu felix, quamdiu sub tutela matris, plus didicit Imperatrici & præceptoribus parère, quàm Imperator imperare: Irene enim parens Bulgarorum Regis filia, Leonis IV. vidua, animi virilis foemina Nicephorum Constantini patrum scepro infidiantem repetitis præliis fugavit ex Græcia, deletis scelerum consciis; Helvidium etiam virum Patritium res novas in Sicilia molientem armis superavit, nec minùs Slavorum & Arabum impetus repressit. Bellis liberata eximios pacis collegit fructus; nam Synodum inter Oecumenicas VII. Nicææ in Bythia quâ consiliis, quâ auxiliis strenuè adjuvit; unde à 350. Episcopis Inconoclastarum hæresis communibus sententiis damnata, & suis sacris imaginibus cultus, templis verò ac monasteriis suis decor restitutus fuit. Sed tantarum rerum felicissimum cursum stitit bellum domesticum, Reipublicæ profectò malum pessimum. Annos 20. numeravit Constantinus, cum motu proprio, vel potiùs adulatorum instigatu genitricem in Siciliam dimittere clam constituit, ut solus Imperij moderator habenas teneret. Verùm filij propositum haud maturum satis, in tempore matri proditum, ansam præbuit malis in aula & Imperio gravissimis; Imperatoris enim Consiliarij attonsis crinibus in exilium ejecti, Imperator verò ipse pro puero castigatus, honestæ custodiae per aliquod tempus fuit traditus, donec denique milites, mutabile vulgus, an. 790. muliebri Imperium pertæsi, jugum penitus excusserunt, haud quaquam Irenes ampliùs, sed solius Constantini nutum deinceps observaturi. Solus igitur jam Imperator Constantinus, ante omnia alia gravissimas de parentis suæ partibus sumpsit poenas. Anno mox sequenti contra Bulgaros in aciem progressus, cum ab Astronomis augurio suo certam victoriam pollicentibus deceptus, ab hostibus verò victus & fugatus Constantinopolim repeteret, eam ob causam mili-

milites denuo haud constantes sibi, ipsum jam Constantinum averfari, Nicephorum verò ejusdem patrum Imperatorem optare palàm audiebantur. In Armenia quoque Constantini exercitus Alexium virum Patritium sibi Imperatorem constituit utriusque ingenti damno; tam Alexius enim, quàm Nicephorus cum sociis capti & oculis orbati, multorum etiam linguis excisis, inter ærumnas vitam morte tiffiorem lugebant. Severitatem hanc nimiam excepit animilibido; anno namque ætatis 25. Mariæ conjugii legitimæ libellum repudii misit, falsam prætendens causam, quòd nimirum Cæsari insidias struxisset. Theodotem proinde ex Gynæceo Imperatorio sibi thalami consortem junxit, & Augustæ coronâ ornavit, ut Veneris ardores honesto conubij pallio tegeret, diademate exornaret. Imperatoris exemplum pessimum secuti alii multi, ejectis uxoribus passim alias atque alias ducebant, quas priùs in tenebris deperibant. Verumenimvero neutiquam cunctati Ecclesiæ Præsules, præsertim Tharrhasius Constantinopolis Patriarcha, Theodorus Studita, & Plato unà cum multis Doctoribus adulteras has nuptias damnare, Mariam verò legitimam conjugem dicere, quovis metu insuper habito pergebant, pronuntiata pariter à Theodoro anathematis sententia, nisi saniora consilia Imperator admitteret. Plato suam ob constantiam in carcerem conjectus, Theodorus verò cum pluribus Sacerdotibus flagellis cæsus & in exilium pulsus, ab Hadriano Pontifice eas, quas Constantinus debebat, excepit laudes & grates amplissimas. Inter tantas Imperij & Ecclesiæ Orientalis turbas post elapsos octonos annos Imperium ad Irenem rediit, quæ malis plurimis exasperata, in poenis de filio capto sumendis haud matrem egit: Imperatori enim filio genitricis mandato severissimo eruti sunt oculi eodem die vertentis anni, quo patruo Constantinus eruerat, talionis poenam eapropter probè persentiscens: nec cæco relicta fuit vita, nisi ad sensum acerbioris calamitatis, quam finiit an. Christi 797. ætatis suæ 34. Imperij 17. Mater filium annis quatuor in Imperio superavit, quibus emensis à Nicephoro Logotheta Imperij inavore in insulam Lesbum ejecta, & mœrore animi confecta, inter miserias vitam finiit Imperatrix & Imperatoris Mater, maximam

annorum suorum partem infelicissima. Symb. Constantini: *Mulier imperare res desperata. Vid. Auth. cit.*

Reflexiones supra Seculum VIII.

EX octonis hujus seculi Imperatoribus plures infamissima tyrannorum nota fuerunt descripti, pauciores glorioso Imperatorum nomine sunt insigniti. Inter tyrannos haud injuria numerandi venerunt mihi Philippicus, Leo III. Copronymus, Leo IV. & Constantinus VI. quorum tamen ultimus à reliquis plurimum diversus, nec hæresin didicit, nec doceri alios optavit, constanter Orthodoxus, & fortassis constanter probus, nisi improbi Consiliarii Imperatorem juvenem à recto imperandi tramite procul abduxissent. Inter Imperatores hoc nomine non indignos Anastasius, Theodosius & Irene numerati sunt ab idoneis authoribus, quibus tamen Historicam litem movit Hübnerus & Erdmannus, hic moderatè, ille verò absque moderamine. Causam inter utramque partem aperio, litis capita gemina huc adfero ex Hübneri libellis.

- I. Imperatores Orientis hoc seculo fuerunt à Romanis Pontificibus potius despecti, quàm honorati; unde finem accepit Exarchatus Ravennæ an. 752. postquam duravit annis 185.
- II. Irene Imperatrix, ut imperaret, vi, fraudibus & multis aliis sceleribus, filium Constantinum oculis privavit, ac multorum in aula ministrorum crudeli poena punitorum carnificinam excogitavit.

Reflexio ac Responso I. ad I.

Qua ratione Hübnerus sustineat scribere, hoc elapso seculo VIII. Orientis Imperatores à Romanis Pontificibus fuisse potius despectos, quàm honoratos, haud equidem capio: sum enim verò argumentis ad id credendum me trahentibus destitutus totus. Scapham scapham si diceret, hoc est, si, quod Cæsaris est, Cæsari simplici affectu tribueret, & suum non negaret Pontifici, absque mora & difficultate sententiam mutaret, & stylo in contrarium verso ita pronuntiaret: *cùm Pontifices Romani hoc seculo fuerint ab Orientis Imperatoribus*

bus despecti magis, quàm honorati, hinc finem accepit Exarchatus Ravennæ &c. quales enim Pontifices, & quales Imperatores hoc elapso seculo Orbì & Urbi imperârint, novit nimium quantum posterorum memoria. Imperatorum nomina & gesta potissima hoc præsentì seculo attulimus, & memoriâ tenemus: sederunt Romæ duo Joannes, duo Gregorij, tres Stephani, unus Zacharias, unus Hadrianus, & unus Leo cum paucis aliis, tales ac tanti profectò Pontifices, quales ac quanti Ecclesiæ & Imperio inter maxima rerum discrimina conservandis erant nati factique. Excute, quæso, secula Romanorum Pontificum singula; vix invenies tot simul Pontifices ita laudatos ab annorum, quo sederunt numero, & à virtutibus maximis, quibus erant insigniti, & à doctrina sapientiâque, quibus erant instructi. Consule his super Pontificibus authores Veteres tam Græcos, quàm Latinos, tam hi, quàm illi magno numero occurrent tibi in laudes Pontificum horum effusissimi, utpote quos *Præsules sanctissimos, fortissimos, humanâ diviniâque sapientiâ instructissimos haud morantur appellare.* Fidem iidem authores abundè facient, qui teste C. Baronio præclarè observârunt, quàm crebrò datis literis humanissimis, & missis Legatis, viris præstantissimis, Leoni Isaurico, & hujus filio Copronymo facti fuerint supplices, ut ponerent modum hæreticis, & finem imponerent hæresibus, studerent emolumento Ecclesiæ, & incremento Reipublicæ: obtemperarent monenti ac minanti Deo vindici; fidem dignarentur adhibere crebris miraculis, ostentis variis terrâ marique igne & aëre exhibitis. At quem effectum sortitæ sunt tam multæ epistolæ, Legati Pontificij plurimi? Pontificiæ literæ despectæ fuerunt ac neglectæ; Legati in via intercepti, bonis exuti, in carceres conjecti, ludibriis expositi, cum ignominia in Italiam remissi; Episcopi verò in Orientis Imperio Pontifici adhærentes, fuerunt in exilium ejecti, alii compedibus constricti, oculis orbat, membris mutilati, vitâ & viribus privati. Tanta proin Episcoporum, Clericorum, Monachorum, & hominum laicorum pro Fide inter dolores sibi constantium multitudo fuit, ut per annos 63. quibus soli imperârunt Leo pater & Copronymus filius, ac Leo alter nepos; æquè multi gravissimas perpeffi miseras, fuerint nu-

merati Martyres, ac numerârunt quinque abhinc seculis Diocletianus & Maximianus cum tyrannis sociis. Probè hæc ferè omnia observavit Erdmannus; unde hanc Imperatorum triadem abundè nigris descripsit coloribus, præsertim verò Copronymum, quem, ait *fuisse impietate refertissimum, sanguinarium, luxuriosum, diaboli mancipium, cultorem Veneris ac demoniorum, quibus teneras eâsque vivas miserrimorum parentum proles immolâsse* non dubitavit asserere. Id unum ferè hoc loco contra Erdmannum haud injuriâ conqueror, quòd tam Copronymi, quàm Leonis filij portentosum vitæ eventum unâ cum Hübnero suppresserit altissimo silentio; cùm tamen propter *Dei Genitricem* divinitus, ut dictum superius, vel ipso jam inextinguibili inferorum incendio ex mortali corpore utriusque animam pullam fuisse testetur *Cedrenus & Theophanes* cum aliis Græcis Historicis, uti Baronius affirmat, omnibus.

Imaginum fortè sacrarum, aut Imaginibus Divorum cultus potius, non minùs displicet Hübnero &c. quàm displicuit Leoni III. Leoni IV. & tyranno Copronymo. Quin imò si per adversariorum meorum veniam liceret, & veritas odium non pareret; ab inductione ferè omnium *hactenus Romanorum Imperatorum hæreticis addictorum* ostendi haud difficulter posset, quòd cum iisdem longè magis convenient Hübnerus & socij Lutherani vel Calviniani, quàm cum Imperatoribus illis, quos à Constantino M. usque ad Carolum M. numeravit Ecclesia Romana Imperatores verè Romanos, hoc est Catholicos. Quod ne videar dicere audaciùs, quàm veriùs, legere ne tædeat C. Bellarmini de Notis Ecclesiæ lib. 4. c. 9. Hercle vel solus iste liber brevi compendio dabit XX. classes diversas diversorum errorum & erronum, seu ut apertiùs dicam, hæresiarcharum antiquissimorum, quorum sententias à Conciliis Oecumenicis pridem damnatas vel Lutherus vel Calvinus, velut ab inferis denuò suscitavit, eosdem autem errores gravissimos ita fecerunt sibi proprios Imperatores aut tyranni hisce seculis, ut licèt ab ipsis Calvinianis aut Lutheranis passim dicantur in multis errâsse, cæcutiùsse, insaniùsse, sæviùsse, &c. nihilominus in doctrina non una tantùm dogmatica cum iisdem tyrannis, præsertim verò cum Copronymo-

mo convenire Lutheranos, &c. certum sit atque perspectum. Plura relinquamus Polemicis.

Reflexio ac Responsio II. ad II.

CUr magis vapulet ab Hübnero Irene mater, quàm Constantinus filius, non magis miror, quàm stupefco. De ambitu, de vi, de fraudibus, de sceleribus multis postulatur mater, innocentis instar agni absolvitur filius. Non ergo Irenem ab omni crimine puram dixero (quamvis si dicerem, non absque auctoritate dictum foret) nequiquam tamen Constantino noxiam magis agnosco. Utriusque igitur causam dubiam penitiùs inspiciamus, aucthorum antiquissimorum libros denuò volvamus, culpas in testium oculis patratas auditis testimoniis damnabimus.

Repetat jam amicus Lector ea, quæ in Serie Imperatorum de matre Irene & filio Constantino ex Græcis auctoribus descripsi relicta posteris: ibi erit deprehendere, Constantinum juvenem, Pseudo-Prophetis & Confiliariis partium studio addictis aures faciles præbuisse, tractandis armis minùs idoneum Imperatorem victorias amisisse; Veneris mancipium factum inter Imperij scandala maxima sacrorum Antistitum monita contempsisse, atque in scelere pertinacem ex Ecclesiæ gremio ejici, quàm pellicis amplexus vitare maluisse. Quis jam reus magis, mater an filius, Irene, an Constantinus? Auctoribus Græcis atque Latinis reus magis est Constantinus, Hübnero autem magis est rea Irene. Ita sæpè tam facilè reos pronuntiant iniquissimi arbitri eos, quos suæ causæ non amicos esse nôrunt. Fuit nimirum Irene inter Imaginum osores Iconoclastas Imperatores ferè sola non Imaginum sacrarum inimica? Leo IV. filius, Copronymus pater, Leo Isaurus avus instar tricipitis Cerberi Coelitem cultum, horùmque Imagines allatrabant morsu quovis dilaniaturi omnes, si per eos steteret, potiùs moribus enecare, quàm vulnera corporibus infligere. Tribus itaque tyrannis opposuere Superi unam foeminam Imperatricem, quæ non cunctando, sed properando restituit Ecclesiæ, & Imperij rem in integrum; hæc siquidem duobus, aut si Copronymum etiam hoc nomi-

nomine compellare lubeat, tribus Leonibus è diametro opposita, reparare summo conamine annisa est, quæ ipsi prius destruxere. Ades nempe sacræ, monasteria, coetus Virginum, Dominicæ Crucis signa, Sanctorum Icones variorum omnino manibus elaboratæ, spectatorum oculos denuo rapiebant, & recreabant. In cunctis victorem se fore sperabat Copronymus, si Sacerdotes & Virgines vicisset; hinc aliquando 300. Monachos in hippodromo iussit ambulare eo ordine, aut potius confusione, ut quisque manu duceret foeminam, quam sibi jungeret conjugem, nisi vel exilium, vel mortis supplicium præplaceret: unde paulò post in eundem prægrandem carcerem coniecti 300. Monachi, cum psalmodiis latè viciniam recrearent, iratus eam ob rem, ac frendens Copronymus alios eorum morte, alios exilio multavit. Aliàs rem Catholicam ad internecionem penitus deleturus, 338. partim Episcopos, partim Sacerdotes à Fide apostatas convocavit, quorum ipse supremus Præses eam pseudo-synodum Concilium Oecumenicum VII. iussit appellari; quasi verò cum sex prioribus Oecumenicis Conciliis hoc conciliabulum pessimum, modis omnibus, ac optimis concordaret. Decretum eodem in conciliabulo fuerat,

- I. Ut Divorum Imagines dicerentur idola, earundem verò cultores idololatræ.
- II. Neminem Divorum, nec ipsam Deiparam Virginem post mortem posse pro hominibus intercedere.
- III. Nefas esse, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines &c. appellare Sanctos.
- IV. Orthodoxos omnes esse Nestorianos, Arianos, Dioscorianos, Eurychianos atque Severianos, &c.
- V. Congregatos hos 338. esse iudices sex Oecumenicarum Synodorum, &c.

Demum an. 770. Ephesi Præfectus, imperante Copronymo, quotquot potuit comprehendere fidelium Sacerdotes, & Deo dicatas Virgines, in apertum eduxit campum, & lecto tyranni mandato iussit universos ac singulos cum Virgine sibi proxima connubij foedus inire; quotquot verò eò in loco imperata facere detrectârunt, erutis crudelem in modum oculis in exilium fuerunt ejecti.

Cate-

Cæterum conciliabulo Copronymi Imperatrix Irene cum filio Constantino adhuc juvene Pontifici Romano obsequentissima & obsequiosissima opposuit Concilium Nicææ II. in quo numerati fuerunt Episcopi Orthodoxi 350. inter quos Hadriani Pont. nomine Præses sententiam dixit Petrus Ecclesiæ Romanæ Archipresbyter. Damnatum hoc in Concilio quamprimum fuit à congregatis Ecclesiæ Patribus Copronymi conciliabulum, & sessione demum VII. scriptis omnium Episcoporum nominibus, & dictis sacramentis, qualem sententiam de *Cultu Sanctorum & sacrarum Imaginum* amplexi fuissent, sequentem in modum professi sunt:

Sequentes divinitus inspiratum SS. Patrum nostrorum magisterium, & Catholicæ Traditionem Ecclesiæ (nam Spiritus S. hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa habetur) definimus in omni certitudine & diligentia, sicut figuram pretiosæ & vivificæ Crucis, ita venerabiles ac sanctas Imagines proponendas, tam de coloribus & taxellis, quàm ex alia materia, congruenter in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, ac vestibus, & in parietibus ac intabulis, domibus & viis: tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quàm intemeratæ Domine nostræ Sanctæ Dei Genitricis ejus, honorabiliūque Angelorum, omnium Sanctorum simul & aliorum virorum. Quantò enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tantò qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram Latriam, quæ secundum fidem est, quæque NB. solam divinam naturam decet, impertiendam. Ita & istis, sicuti figuræ vivificæ Crucis & sanctis Evangelii, & reliquis sacratis monumentis, incensorum & luminum oblatio ad horum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis NB. piæ consuetudinis erat: Imaginis enim honor ad primitivum transit: & qui adorat Imaginem, adorat eâ depicti subsistentiam (personam scilicet) sic enim robur accipit Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est, Traditio sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus usque ad fines terræ suscipiet Evangelium. Sic Paulum, qui in Christo locutus est, & omnem divinum Apostolicum cœtum, & pristinam sanctitatem sequimur, tenentes Traditiones, quas accepimus. Hinc triumphalis Ec-

R. P. Kolb. Series Imp. p.

B b

clesiæ

clesiæ propheticè canimus hymnos, Gaude fatiſ filia Sion &c. Eos ergo qui audent aliter sapere & docere, secundùm scelestos hæreticos Ecclesiasticas Traditiones spernere, & novitate qualibet excogitare pravè & astutè subvertendi quantumcunque ex legitimis Traditionibus sive Ecclesiæ Catholice, vel etiam quasi communibus uti sacris vasis, aut venerabilibus ministeriis: siquidem Episcopi vel Clerici fuerint, deponi præcipimus: Monachos autem & Laicos à communione privari. Hactenus definitio Fidei ex versione Anastasii, cui addita fuit cunctorum Episcoporum subscriptio.

Professionem hanc, uti vocârunt, & subscriptionem secutæ sunt omnium festivæ voces ac gratulationes, quibus Imperatorem *Constantinum novum*, Irenem verò *novam Helenam* nuncupârunt. En! quantâ concordia inter IV. & VIII. seculum Concilium Nicænum I. & II. sibi responderint, ac quàm eleganti comparatione duos Imperatores, & duas Imperatrices conjunxerint, non omiſſa mentione notatu dignissima, qua Congregati Patres constanter ad priora & antiquiora primæ Ecclesiæ secula respiciebant.

REFLEXIO III.

CUM spectaverimus Romanam Ecclesiam partim à tyrannis, partim à tyrannorum horum victrice Irene, velut in amplissimo totius Orientis teatro exhibitam, contra decorum vix erit, si seculari huic tragœdiæ, permultis casibus & rerum mutationibus involutæ, subjungamus spectaculum aliud gravissimum, & fortè amœnissimum, quod in Occidentis teatro potissimum mortalium oculis subjecere Personæ maximam partem Reges ac Principes utriusque sexus, dum vel ejurato idolorum cultu unum Deum Directore supremo Romæ Pontifice adorare cœperunt, vel ipsi jam pridem Romanæ Fidei Dogmate imbuti, exemplo suo regio ad sui sequelam copiosissimos animarum manipulos traxerunt.

Reges

Reges ac Viri Principes hoc seculo VIII. ad Romanam Ecclesiam conversi, aut eandem præclaris facinoribus illustrantes.

ANno 700. Radbodus Frisonum Dux permultis miraculis à S. Wulframo Frisonum Apostolo patratis, permotus, Romanam Religionem amplectendi cunctis subditorum plenam libertatem impertivit. *Jonas Fontanellensis.*

Anno 704. Aripertus Longobardorum Rex à Romanis Aris nequaquam alienus, Ecclesiæ restituit Alpes Cottias. *Paul. Diacon. Bed. Ado Viennens.*

Eod. an. Edilredus Rex Merciorum an. regni 32. derelictâ aulâ adit monasterium, purpuram regiam Monachi habitu permutans. *Bed.*

An. 706. circiter, Coënredus Edilredi successor, etsi vitæ probatissimæ Rex foret, pœnitentiæ tamen causâ Romam profectus est. *Beda.*

Eodem tempore vir generis splendore perquam clarus, sed etiam ob vitia notissimus cunctis, atque ob hoc bis à Rege Coënredo & semel ab Angelo severè admonitus, ut de contractis vitiis Sacerdoti confiteretur; cum ipse verò contemptis monitis scelera sceleribus auget, dæmoni vivus in victimam cessit. *Beda.*

Anno 710. Justinianus II. vitam & vitia emendaturus, Constantinum Romanum Pontificem Constantinopolim vocavit: veniente dein ipse Bythynia urbe Nicomediam usque obviam processit, præsentis Pontificis pedes exosculatus, coronam humi deposuit, & tum demum in Pontificis amplexus ruit. Die post adventum Romanorum Solis proxima è manibus litantis ad aram Constantini Pont. sumpsit Deum Eucharisticum, & confirmatis Ecclesiæ Romanæ privilegiis Romanam Præsulem dimisit brevè moriturus. *Anastas. Anselm. Lucens. Bed. Marian. Scot.*

An. 718. Pelagius Austriæ Rex ope Magnæ Virginis de Saracenis præclaram impetravit victoriam. *Tudens. Rodericus &c.*

An. 725. Luitprandus Longobardorum Rex solutò Saracenis magno auri pretio redemit corpus S. Augustini, quod ex Sardinia Papiam

- in Italiam transvehi curavit haud absque signis clarissimis. *Paul. Diacon. Bed. Marian. Scot. Sigebert.*
- An. 726. Viri Principes in Oriente & Occidente permulti, auditis nuntiis, Leonem Isauricum promulgasse Iconoclastarum hæresin, simulque sævire in Christi Divorumque Imagines, Leonis imaginem passim ludibriis & contemptui exposuerunt. *Greg. Pont. in Epist. ad Leonem Imp.*
- Eodem an. Huy Ceduallæ Britanniae Regis successor, relicto regno Romam advenit Monachum indutus. Exemplum secutus est S. Richardus SS. Wilibaldi & Wunibaldi genitor. *Beda.*
- An. 727. D. Joannes Damascenus Saracenorum Ducis Consiliarius, aulâ relicta Sacerdos initiatus, inter præclara miracula unâ cum S. Germano Constantinopolis Patriarcha defendendum in se suscepit cultum Imaginum Christi & Sanctorum. *Vid. Author. tam Græcos, quàm Latin. à C. Baron. cit.*
- An. 737. Ceolvulfus in Anglia Nordhumborum Rex sceptrum relinquens Eadberto, Monachum induit, cui prius suam dedicarat Historiam. Venerabilis *Beda.*
- An. 738. Alphonfus Hispaniae Rex contra Saracenos potitus variis victoriis, rem Romanae Ecclesiae restituit Rex verè Catholicus. *Tudensis.*
- An. 740. Carolus Martellus suadente Gregorio II. Pontifice in Suevia omnem opem ac operam contulit ad congregandam Episcoporum & Sacerdotum Synodum, ut perinde Ecclesiae emolumentum promoveretur sub Legato ac præside D. Bonifacio. *Vid. Baron. hoc an.*
- Eod. an. Ina Saxonum Occidentalium in Anglia Rex, abdicans se regno suo, idem fecit tributarium S. Petro; unde dictus fuit *Denarius S. Petri.* *Polydor. Virgilius.*
- An. 741. Carolus Martellus mortuus, paganorum 100000. ad Christum converforum causa aut occasio extitisse fertur. *D. Gregor. III. Papa in Epist. ad D. Bonifacium.*
- An. 747. Carolomannus C. Martelli filius primogenitus, Pipini frater, Austrasiae & Thuringiae Princeps, relicto principatu gemino, ad

- ad Soractem Italiae montem venit; indè verò Cassinense Monasterium petiit, spectaculum admodum raræ virtutis factus toti Italiae, Galliae & Germaniae. *Historici passim multi.*
- An. 749. Pipinus Carolomanni frater, Major domus Franciae dictus, Magnatum cohorte stipatus, nudis pedibus venit ad sepulchrum S. Suiberti, gratus ob conversionem Saxonum & Westphalorum plurimorum eodem anno factam non absque miraculis. *S. Ludgerus Monasterii primus Episcopus.*
- An. 750. Rachis Longobardorum Rex, dum Perusiam obsidione cinxit, S. Zachariae Papae monitis permotus obsidionem solvit; quin relicto regno Romam properavit Religiosum habitum indutus, quem ipse D. Zacharias Pontifex porrexit. *Anastas. Leo Ostiens.*
- An. 752. Anselmus Aistulphi Longobardorum Regis sororius in Mutinensi agro monasterium erigens, 200. denique Monachorum creatus est Abbas. *Sigebertus & Ricobaldus.*
- An. 757. Mortuus est Alphonfus Hispaniae Rex, inter coelestium geniorum harmoniam & concentus in coelos evolans. *Tudensis.*
- An. 768. Defunctus Pipinus Francorum in Gallia Rex, Carolus verò filius eodem anno Noviomi, & Carolomannus Sueffione coronati Reges, tantò ardentiores facti in dies pro Religione Romana, quantò ferociorem se contra eandem exhibuit Constantinus Copronymus. *Vid. gesta Pipini & Caroli. M.*
- An. 771. Adelrhodus Caroli M. consobrinus Religiosam vitam amplexus, constantiam Superis probavit in monasterio.
- An. 774. Carolus M. sub Paschatis tempus Romam veniens donationem Exarchatus, quem pater Pipinus antea jam Sedi Pontificiae cesserat, edito jurejurando confirmavit, atque eodem anno devicto Desiderio Longobardorum Rege hujus regno potitus fuit. *Leo Ostiens. Anastas.*
- Anno eodem Offa Merciorum sive Orientalium Saxonum Rex Romam veniens, regnum suum Ecclesiae Romanae obtulit vestigale. *Polydor. Vigil.*

- An. 776. Saxonum adhuc paganorum cohors validissima, cum Sigisburgum expugnare laboraret, Carolo M. presentibus aliis plurimis duo scuta colore rubro coruscantia, & super ædem illius loci pendentia apparuere, quæ Saxones terrore confusos in fugam avertunt. *Annal. Franc. in gestis Caroli M.*
- An. 777. Telericus Bulgarorum Rex, Copronymi Imp. hostis, regnum suum relinquens, ac Constantinopolim veniens ibidem fuit baptizatus, simulque ab Imperatore Leone IV. Patritius creatus. Atque hæc fuere primitiæ conversionis Bulgaricæ. *Theophan.*
- An. 780. Jacta sunt fundamenta Ecclesiæ Osnabrugensis, Paderbornensis & Ostervikensis, seu Halberstatensis fundatore Principe Carolo M. *Cranzius, Meinulphus Diacon.*
- An. 783. Cœpit regnare in Hispania Alphonfus II. Castus à perpetua virginitate, quam cum Bertha Caroli M. sorore, sponsa sua illibatam conservavit à cultu D. Jacobi Apostoli, à negato Saracenis Virginum tributo, à Religione Catholica, à miraculis multis laudatissimus. *Justinianus di Spagna, Mariana, Rodericus & alii plurimi.*
- An. 785. Witekindus M. Saxonum Rex post 33. annorum bellum contra Caroli M. copias gestum, haud procul Osnabruga à Lullo Moguntia Archi-Episcopo unà cum universa regia familia & Saxonum nobilitate principe fuit baptizatus, postquam Christianorum Dogmata & mores solertissimè inspexit; unde præter pericula alia Fidei causâ in se suscepta mendicabuli habitum ipsemet indutus, Caroli M. castra petiit, in quibus cum Paschatis tempore, Caroli M. totus exercitus sacram Synaxin sumeret, Eucharisticum Numen speciosi parvuli faciem præferens Witekindo se spectandum, sub panis specie aliàs latens præbuit. Ut igitur Orthodoxa Religio tunc sumeret incrementum maximum, tribus jam diocesis erectis annumeratæ sunt à Carolo victore dioceses quatuor aliæ, nimirum Bremensis, Verdensis, Mindensis & Monasteriensis. *Authores Orthodoxi & Heterodoxi, inter quos ipse etiam Hübnerus.*

An. 787.

- Anno 787. Carolus M. sexta aut septima jam vice Romam perveniens festum Paschatis Catholicorum more celebravit, inde verò ad montem Cassinum se conferens S. Benedicti Reliquias colere studuit, & celeberrimi monasterii privilegia amplissima autoritate regia communivit. *Annal. Baron.*
- An. 789. Theophilus classis Imperatoriæ in Oriente Præfectus captus, & ad Aaronem Saracenorum Regem captivus perductus, cum nec minis, nec blanditiis à Religione Orthodoxa posset averti, gladio percussus vicit ac triumphavit. *Martyrol. II. Cal. August.*
- An. 795. Carolus M. misit largissimas elemosynas in Syriam, Ægyptum & alias Africæ provincias; expetiit simul plurium remotissimorum amicitiam, ut Christiano Dogmate imbutis securè liceret habitare. *Eginhard.*
- Eod. an. cum mortuum nunciarent Carolo Regi Hadrianum II. Pontificem, eidem fuis lacrymis, & plurimis missæ sacrificiis parentavit, quin manu regia epitaphium scripsit mortuo. *Eginhard.*
- Regina ac Principes femina seculo VIII. Ecclesiæ Romanæ aut annumeratæ, aut eidem magis unitæ.*
- A**nno 727, D. Walburgis S. Richardi Anglorum Reguli filia regia, Eustadii in Francia Orientali DD. regii genitoris & fratrum Wilibaldi atque Wunibaldi exemplum vel secuta, vel comitata inter Moniales ejusdem urbis vivere cœpit, in hodiernum diem perpetuis clara miraculis. *Testis est ferè Germania tota.*
- Anno 740. Edilburga Saxonum Occidentalium in Anglia Regina, seculari pompa relicta, in Monasterio vitam reliquam absolvit. *Polydor. Virgil.*
- An. 750. Thesia Longobardorum Regina cum Ratruda filia haud procul Cassino monte Monasterium extruxit, in quo & mater & filia Religiosam vitam sanctiori sine clausit. *Anastas. Leo Ostiens.*
- An. 758. Ansilburga Desiderij Longobardorum Regis filia, à genitore impetravit novi Monasterij ædificium, in quo Deo & sibi vivere amplius didicit. *Annal. Baron.*

An. 775.

An. 775. Anthusa Imperatoris Copronymi filia, Virgo castissima, Sedique Romanæ addictissima, post fata parentis amplissimas facultates suas partim in pauperes distribuit, partim in redemptionem captivorum expendit, partim etiam in templorum ac monasteriorum usus impendit. *Menolog. Græc. vid. Annal. Baron.*

Circa ann. 775. D. Hildegardis Hildebrandi in Suevia Ducis filia, Caroli M. conjux regia, erexit Monasterium Campiduni in Suevia nobilissimum, quod Hadrianus I. Pontifex ipse an. 777. consecrâsse fertur.

Circa. an. 786. Bertha Caroli M. soror germana cum Alphonso Casto Hispaniæ Rege contractis nuptiis permansit Virgo & Ecclesiæ Romanæ Patrona perpetua. *Vid. Auth. tum Hispan. tum German.*

Præter has Orthodoxorum Imperatorum ac Regum, nec non Virorum Principum conjuges, filia & sorores (quarum tamen brevitas causâ singularem mentionem non facimus) tum in Italia, tum in Gallia, tum aliis terræ partibus permultæ Ecclesiam Romanam illustrârunt.

Conclusio Partis I.

HÆc omnia hætenus per octo secula brevi compendio conscripta, si ad mentis trutinam ritè examinentur, talia ac tanta profectò sunt, ut vel nullam his ultimis seculis extitisse unius Dei in terris Ecclesiam reliquam, vel certè eam Romanam esse æquus arbiter confiteatur necesse sit; Romanam, inquam, eam etiam esse Ecclesiam tot nempe nobilissimorum virorum ac foeminarum in Europa & Asia conversione, tot probatissimorum hominum insuperabili inter persecutiones constantia, tot animarum ardentissimo zelò, tot susceptis pro Romana Religione bellis, ac relatis victoriis, tot exhibitis è cælo manifestis favoribus ac miraculis, nunquam non illustratam, & cunctorum oculis objectam. Novi equidem monstrata huic & prioribus seculis è cælo miracula ab Hübnero & sociis Scriptoribus facilè negari; multa magorum præstigiis ostenta adscribi; conversiones multorum Virorum Principum silentiò tegi, aut in dubium tra-

tra-

trahi; Romanorum Præsulorum machinationibus ac indies crescenti potentia mala imputari plurima; horum nempe nutu in omnes Occidentis maximè plagas excurriffe Pseudo-Apostolos, seu operarios Romanos, atque eorundem nunc blanditiis, nunc intentatis minis, nunc confictis dolis, nunc patratæ in speciem miraculis Imperatores, Reges, Viros Principes, & maximè mulieres credulas Romanæ Ecclesiæ adductas & addictas adeò fuisse, ut electos etiam eosque paucos in Ecclesia jam tum *non amplius visibili* seduci oportuisset, nisi prorsus singulari Superùm auxiliò fuissent conservati ab *Anti-Christi Romani* seductione & insidiis. In hunc maximè modum differentem leges Hübnerum non quidem in iis, quos de Imperatoribus & Regibus in lucem edidit tomulis, bene tamen, aut potius pessimè in illis, quos sparsit in vulgus de Romano Pontifice, Episcopis ac Monachis libellos. Durissimum quippe Hübnero visum est altum exclamare, vel apertè pronuntiare, Carolum M. Carolum Martellum, Pipinos, Carolomannos, Reges Germaniæ, Hispaniæ, Angliæ & maximè ipsum Witekindum M. Saxonum olim Regem tanto tempore invictissimum vel à Romano Pontifice, vel hujus Episcopis, aut missis Sacerdotibus deceptos, falsis dogmatis imbutos fuisse; eam ob causam haud sustinuit etiam affirmata per longissimum tempus miracula iis in tomulis expressis, ut loquimur, verbis inficiari, sed vel callidò silentiò præterit, vel talia à *Papistis* narrari frigidissimè asseruit, talia saltem fateri coactus ab authorum vetustissimorum multitudine & temporum longitudine, quibus tamen vel sic tantum assentiri, vel veriùs contradicere, nullo adducto idoneo teste, utinam intelligeret Hübnerus, quàm probrosum id sit Historico; cum vel sic tantum assentiendo, vel sic tantum contradicendo sibi ipsi Scriptor nimium contradicat; jam igitur non Historici, imò nec fabulatoris dignus nomine. Hinc suadeo rursus tibi, Hübnerè, ut Academiæ tuorum in Religione sociorum, quos ad coelos usque extollis crebrò, & Catholicorum Academiis antepone altissimè, haud perfunctorius hospes adeas. Subjiciant quæstionibus pluribus vel tui te Philosophi, vel Jurisperiti, vel Theologi, & quærant abs te hoc maximè modo: Allati longo ordine Imperatores Catholici, item Reges ac Viri Principes cum suis subditis ferè innume-

R. P. Kolb Series Impp.

Cc

ris;

ris, vel fuere his ultimis seculis membra Ecclesiae verae ac visibilis, vel potius in errores inducti non credenda crediderit? Quærant abs te vice altera: Vel numeras inter *syncera miracula* eorundem *saltem aliqua*, quæ istis Imperatoribus, Regibus & Viris Principibus nec non Martyribus &c. spectanda exhibuit, aut exhibuisse visum est coelum, vel inter *inania ostenta censes?* Quærant abs te tertio: Veltibi verior est Leonis Isaurici, Copronymi, Leonis IV. & aliorum tyrannorum maximè Iconomachorum *qualiscunque Religio*, vel carior tibi Caroli M. Witekindi M. Alphonfi Castri & plurimorum his seculis Catholicorum Imperatorum, Regum, ac *Virorum Principum Fides?* Si respondeas, Carolum M. Witekindum M. & alios hujus seculi Reges *veræ ac visibilis* existisse *membra Ecclesiae*; si fidem non neges patratis saltem *paucis miraculis*; si denique tibi potior sit eorundem Regum *Fides*, fateberis apertè tuis Philosophis, Jurisperitis atque Theologis, etiamnum his seculis *veram* càmque omnibus *visibilem Solis* instar fulsisse *Romanam Ecclesiam*.

Sin diversam ab hac viam in eas adeò, ut non vercaris dicere, Carolum M. Witekindum, Alphonsum &c. in errorem inductos *non credenda credidisse*, vanis deceptos fuisse *miraculis*; Leonis Isaurici, Copronymi & aliorum tyrannorum maximè Iconomachorum *causam* fuisse *æquior*, quàm Imperatorum ac Regum non Iconoclastorum, tunc enim verò hæreseos condemnas reos cum Imperatoribus his ac Regibus tuis infinitam hominum multitudinem in Europa maximè quondam florentium, quos tamen tuis in tomulis *Christianorum, virorum justorum, ac Sanctorum* non rarè compellâsti nomine. Pariter tot ac tantis difficultatum nodis temetipsum constringis, aut potius te constringunt tot vel in jure civili legendæ Regulæ, & textus tibi contrarij, ut nec tui Theologi ullis unquam seculis te liberum aut expeditum sint daturi. Omissis compluribus Jurisperitorum Regulis paucas ego velut compedes pedibus Hübneri injicio.


1. *Affirmanti incumbit probatio, non neganti.* l. 2. C. de probat. Affirmat verò Hübnerus cum sociis, Ecclesiam Romanam his ultimis seculis plurimùm defecisse, Catholici verò negant.

2. *Melior est conditio possidentis.* In possessione autem sunt Romano-Catholici, non Lutherani &c.

3. *Act.*

3. *Actore non probante reus absolvitur.* l. qui accusare 4. C. de edend. &c. Instar actorum autem sunt Lutherani, qui Romanam Ecclesiam plurimum errorum accusant.
4. *Benignior sententia in dubio est præferenda.* l. semper de Regul. Juris. Lutheranis verò minime certum, imò haud prudens dubium esse potest, quin Romana Ecclesia etiam ultimis his seculis fuerit *vera ac visibilis*.
5. *Bonus præsumitur, qui de bono genere natus est.* l. quod si nolit. §. qui mancipia. ff. de edi. edic. Romana autem Ecclesia instar matris optimæ saltem primis post natum Christum seculis parturivit instar filiorum probatissimorum enumeratos Imperatores, Reges, Principes; imò plusquam humana aut terrena extitit genitrix Ecclesiae omnibus hætenus seculis crescentis ac florentis.
6. *Præsumptionibus non est judicandum, sed clarissimis argumentis & probationibus.* l. fin. C. de probation. Si verò tantis argumentis opus est in causis forensibus, quantò fortioribus momenti opus est in asserendis diversis ab Ecclesia antiquissima articulis?
7. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Placuit autem maximo opere olim Romana Ecclesia, & modò cur tantopere displiceat, causa sufficiens hætenus non apparet.
8. *Quod Papa facit, & nos facere debemus.* c. in causis de sent. & re judicat. Intellige, nisi Pontificis error vel in Dogmatis Fidei, vel Decretis morum appareat: hætenus autem non apparuit error tam gravis ita, ut in errorem universa Ecclesia fuerit inducta. Reflecte hinc quoque oculos, amice Lector, ad ea capita, quæ seculo I. in Reflexione I. patent.

His aliisque sexcentis pro Romana Ecclesia argumentis commotus ego, partium mearum esse duxi, Catholicorum hætenus Imperatorum, Regum, Virorum Principum, Ducum utriusque sexus laudatissimorum hominum vestigiis insistere, eorundem verbis moveri, exemplis trahi, cum ipsis ad laborum metam contendere, bonum certamen certare, cursum consummare, & ad immarcescibilis coronæ gloriam totis viribus anhelare.



SERIES ROMANORUM IMPERATORUM

Pars II.

Periodus IV.

Seculum Christi Nati IX.

ERdmanne, Hübner ac qualescunque vestri socii, aut amici Historici, absolvimus hucusque octo secula, restant hinc percurrendæ novem annorum centuriæ. Absque temeritate pronuntiare liceat mihi hoc maximè modo: Ipse Ecclesiæ Christianæ Conditor Christus ita disposuit tempora, ac in tempore Ecclesiam temporalem, hoc est, terrestrem, nondum coelestem, ut dum per octo secula in Orientis Imperio maximi syderis instar fulsit Ecclesia, per novem secula reliqua sydus hoc maximum ex Oriente transferretur in Occidentem, ita tamen, ut oreretur Ecclesiæ lumen in Occidente sol Oriens, in Orientis verò regnis luceret deinceps instar lunæ, multas eclipses sustinentis. Ut adverto, ad paucas has meas lineas, cristas erigitis, & stomachum dolore plenum vel ipso vultu proditis: omnes eodem velut ore clamatis: Ecclesia etiam per proxima *seena* aut *septena secula* haudquaquam supra *montem posita*, sed sub *modio abscondita* instar remotissimi syderis fulsit, paucis Dei amicis visa, hominibus duntaxat electissimis *spectabilis*. Ita Hübner, ita Erdmanne vos & ve-

& vestri socii haud paucis in foliis repetitis, & hinc mea me cogitis simul repetere verba, quibus in sententiam vestram nullo unquam tempore abibo, etsi ad viam Historicam per novem secula reliqua vobiscum magno absolvendam animo me paratissimum palam exhibeam. In Occidentis Imperio, velut in communi utrique parti patria pedem figemus; vos ex vestramet sententia ambulabitis *in tenebris*, mihi ut spero, lucebit constanter *sol Ecclesiæ in Occidente nunquam occidens*. In via nostra, nisi mea me fallat opinio, occurrent nobis 50. Romanorum *Imperatores, Christi*, aut certè *Christianorum nomine* insigniti omnes. Hoc aliàs gloriosissimum nomen factum est nomen vanissimum etiam in ipsis Christianis Imperatoribus, si tamen Imperatores Christiani fuere in Ecclesia *Anti-Christi* potiùs, quàm *Christi-Dei*. Verùm in ipso viæ aditu ne altercationi sit locus, hinc gradum ocyùs movemus, freti auspiciis maximè duorum Imperatorum re & nomine Magnorum, *Caroli* nimirum *Primi*, & alterius *Caroli* modò *Ultimi*.

I. Carolus Magnus.

Miserunt tandem benignissimi Superi tot votis postulatum Imperatorem denuò omni ex parte *Magnum*. Natus is est anno Christi 742. ex patre Pipino Francorum in Gallia Rege, & Berthrada Heraclij Imperatoris filia. Galli Gallum dixere, Germani Germanum, Ingelhemii in Palatinatu Rhenano prognatum. Caroloburgum in Bojaria Caroli M. natalibus illustratum fuisse, scripsere etiam Germanorum non pauci. Carolus statura adhuc & annis parvus dare coepit Deo ter Optimo Maximo omnia, ut venientibus annis Deus Ecclesiæ & Imperio Romano daret unum Magnum Carolum, imò plures. Agnovere coeli beneficium præter Ecclesiam & Imperium regna & regiones permultæ, nimirum Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Hungariæ, Saxonæ, Daniæ, & ante has omnes Italiæ. In ætatis flore pugnavit cum vicinis hostibus dans documenta cominus, quantorum hostium victor remotiores in partes venturus esset, & pugnaturus eminus simul atque cominus. Bellum quippe Aquitanicum à patre Pipino annis novem continuis haud finium, diebus totidem absolvit Carolus; unde Aquitaniam & Vasconiam Francorum in Gal-

lia regno adjecit, paulò post etiam consecutus Austrasiam, quam mors fratris Carolomanni in Carolum transtulit, ut unius in Regis dexteram plura conferret sceptrâ.

Notissimus itaque & gloriosissimus jam in orbe Carolus, ab Hadriano I. Pontifice ut veniret cum exercitu, rogatus, præsto fuit, Longobardos Ecclesiæ & Italiæ gravissimos hostes superaturus: Desiderium enim Aistulphi in regno Longobardorum successorem Ecclesiæ bona rapientem adventu suo fugavit, Ticinòque inclusum obsidione cinxit, ac post semestre unâ cum uxore ac liberis cepit, imponens Longobardorum regno finem felicissimum, misso in Galliam veteri Rege novus Rex. Thassilonem deinde Bojorum Regem Desiderii Regis generum conjugis suæ potiùs, quàm sua culpa foedifragum subjugavit, captivi arbitrio relinquens monasterium aut carcerem, non pœnam magis, quàm pœnitentiam exposcens. Inter alios cum Godofredo Danorum Rege bellum gessit perpetuum, quem tandem, ut in Daniæ angustiis inclusum teneret, extructis munimentis hostem coërcuit.

Bellum in Pannonia, dictum *Hunnicum*, annis ferè octonis continuum ea felicitate confecit, ut Pannoniam penè totam in vastissimam solitudinem converterit, relictis in eadem vix tot colonis, qui agros colerent, & viris illis, qui colonorum animos excolerent. Inter bella gravia omnium gravissimum juxta ac nobilissimum fuit illud, quod contra Saxoniam populos idololatriæ maximè innutritos, annuentibus Superis paravit. Saxones enim persæpè victos, nunquam tamen penitus devictos, perpetuis pugnis & Orthodoxæ fidei scuto denique expugnavit, jungens cum regno sibi subdito Ecclesiæ Regem subditum Witekindum M. multorum Imperatorum, Regum, ac Principum protoparentem, & multorum millium antesignanum ad Christi signa. Durâsse bellum hoc annis xxxi i i. communis est etiamnum fama & mens Historicorum, qui xxiv. expeditiones à Carolo, victore licèt perpetuo, adversùs Saxones identidem seditiosos susceptas numerant. Ab Alphonso etiam sororio suo, Rege Hispanorum castissimo cum exercitu vocatus venit in Hispaniam, ex qua expulit copiosas Saracenorum turmas, primùm vix non superatus ab iisdem, nimirum ut pugnaret denuò fortiùs, & vinceret feliciùs in Hispaniam redux Francorum Rex.

Perpe-

Perpetuus hic armorum strepitus, quantus quantus fuerit, tantus tamen non erat, ut siluerint inter arma Augustæ Musæ; ita enim literis sociare didicit arma, ut Carolum hunc Pallas dixerit Heroëm suum fortissimum & doctissimum. Lutetiæ quippe, Papiæ, Bononiæ Academiis fundum partim attribuit, partim attributum confirmavit: quin & Coloniensem Academiam erexisse putatur, nec non teste Alberto Cranzio scholas Osnabrugenses, eam etiam ob causam, ut idonei ad legationes sacras in Orientem adornandas pueri lingua Græcâ & Latinâ imbuerentur. Tot item religiosarum juxtâ ac eruditissimarum Domuum auctor fuit in Gallia, quot literas suo in alphabeto numerârunt Galli rursus effecti Latini & Græci adeò, ut ipsas veteres Athenas in Franciam Occidentalem ex Oriente transiisse dixerint Mæcenates literatorum multi. Ipsemet exemplum Julii Cæsaris, aut Augusti, aut denique Constantini M. æmulaturus; cum literatis frequenter agebat, quod experimento suo posteris testatum fecere Rabanus creatus dein Archi-Episcopus Moguntinus, Claudius & Joannes Scotus senior. Gestis etiam veterum Regum describendis manum applicabat; aliàs sæpè inter prandendum & cœnandum ciborum condimentum optimum librorum lectionem audiens. Locum hinc principem super mensam vendicabat sibi sacrorum Bibliorum recitatio; locum verò alterum Historiæ tribuebat. Quin memoriæ prodiderunt, Carolum M. sermone patrio cœpisse scribere leges Grammaticæ, atque huic opusculo immortuum fuisse plusquam septuagenarium senem: facto suo proinde implevit illud, quod verbis pronuntiavit crebrò Didius Imperator: *etsi pedem alterum in sepulchro haberem, adhuc discere vellem.*

Hæc in Imperatoribus aliis maxima facinora, Carolus M. in se minora majoribus identidem factis auxit verè Augustus Imperator; unde non immeritò Recentiorum Historicorum nonnemo hunc in modum in laudes Imperatoris hujus excurrit:

Tanta belli pacisque decora plus decoravit Carolus Religione, justitiâ, clementiâ & omni reliqua augusta virtute, quibus omnibus sic eminuit, ut inter omnes vetrò Principes parem non habeat, inter sequentes vix majorem. Summos Pontifices Hadrianum I. in libertatem ab hostibus, Leonem III. in

pri-

pristinam dignitatem à calumniatoribus asseruit. Romanam Ecclesiam bene amplo patrimonio auxit, dum & donationem à patre Pipino factam, ratam voluit & plures insuper ope terrasque addidit, tum ad splendorem, tum ad securitatem; non ignarus, cultum Dei non nisi cultè habendum, & vanam esse omnem sine superna potentia potestatem. Christianam Fidem, quæ quæ patet Europa, latè diffudit, & hostes ejus non tam sibi, quàm Ecclesiæ subdidit. Bellavit sæpè, sed magis contra infidelitatem: vicit semper, sed magis ut cælum, quàm ut ipse triumpharet. Episcopatus, templa, monasteria passim erexit, ornavit, ditavit; non minùs instruendo magnificus, quàm liberalis in cæteris. Disciplinam Ecclesiæ latè prostratam, habitis multis synodis restauravit. Quin & in parvis magnus, labantem in nonnullis Ecclesiis ritè canendi morem revocavit ad Romanum usum. Ipse etiam crebrò interesse diuturnis ac nocturnis psalmodiis, & siquid parùm decorè, aut negligentiùs ageretur, seriò castigabat. Non semel Reginoburgi à Regia ad templum D. Emerami in publica processione (ut vocant) vexillum crucis nudis pedibus anteivit intentissimus meditationi Passionis Dominicæ. Nunquam sanè illustrior, quàm in tanta Majestatis obscuritate: imò nunquam excelsior, quàm in ista fastigii depressione. Miram habuit cum Deo agendi consuetudinem, dum eo non utebatur modò ut adiutore; sed etiam ut consultore, omnia referens ad ejus arbitrium & honorem: unde gladium ante se crebrò portari jubens in has sibi familiares literas gladio incisas obtutum figebat & alios figere mandabat: D. P. C. C. D. hoc est, Decem Præceptorum Custos Carolus à Deo Constitutus. Idem magnus Legum custos & novas edidit, & veteres interpolavit; atque ut profuga justitia haberet tutius perfugium, undecim altiora tribunalia dicitur erexisse, ubi ter quot annis convenirent Episcopi & Comites ad lites breviter dirimendas &c. Legibus autem suis nunquam non studuit Ecclesiæ incremento maximo, quod elucet etiam ex verbis, quæ sanctioni, in favorem & honorem Ecclesiæ omnibus publicatæ, inseruit in hunc modum; *in memoriam Beati Petri Apostoli honorandam esse Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem: ut quæ nobis Sacerdotalis mater est & dignitas, esse debeat Ecclesiasticæ Magistræ rationis &c.* Comitum verò eorundem alios Marchiones, Palatinos alios, alios demum Burgravios & Barones appellabat, nominibus ex Germanorum pariter & Latinorum idiomate erutis.

Ob

Ob hæc aliâque ingentia præsertim in Rempublicam Christianam merita à D. Leone III. Summo per orbem universum & Urbem Præsule coronam accepit Romæ Occidentis Imperator novus an. post Christum natum DCCC. cum ejusdem nati Servatoris dies festus haberetur. Vox unanimis omnium Clericorum, Procerum, ac totius populi inter festivas voces alias hæc fuit: *Carolo Augusto, Magno, Pacifico vita & victoria.* Inter desideria ardentissima ad vitæ terminum properantis Cæsaris hujus erat desiderium illud, quo simul Ecclesiam & Imperium Orientis Ecclesiæ & Imperio arctiori vinculo connectere parabat. Votis respondebat Imperatrix Irene sepultò filiò Constantino secundas meditando cum Carolo nuptias, novum Imperii utriusque vinculum, quod tamen veluti nodum Gordium armis elusit Nicephorus, qui in exilium pullà Irene Græcorum invasit Imperium. Cæterùm tamen ut securo liceret Imperare, foedus ipse Carolo obtulit, quo non tam postulavit, quàm petiit, ut non minùs sibi quàm Occidentis Imperatori integrum foret imperare, velut duobus Augustis fratribus. Hac ratione potitus pace undique publica, pacem non minùs exoptans domesticam, dum scripto testamento inter filios regna distribuit, mors bellum indixit, rapiens ante patrem filios Carolum & Pipinum cum Rothrude filia primogenita, relinquens solum Ludovicum cum nepote Bernardo. Accesserunt mortis prodromi multi alii in sole, luna, & elementis ferè omnibus, quæ Imperatorem ad mortem sanctissimè obeundam disposuerunt: filios itaque mortuos morte imperante sequi jussus genitor inter poenitentis animi testimonia uberrima diem suum Aquisgrani clausit, annum Christi numerans DCCCXIV. vitæ LXXII. aut III. regni XLVII. Imperii XIV. serò potitus Romanorum Imperio, quod sat citò dimisit, credo, ut potirentur venturi Caroli citiùs & possiderent diutiùs. Morti propinquus præsentibus undecim Episcopis, quatuor Abbatibus & quindecim Comitibus testamentum alterum scribi curavit, distribuens bona mobilia in tres partes, quarum duas Romanæ & aliis assignavit Ecclesiis; Eginhardus eas omnes recenset hac serie: Roma, Ravenna, Mediolanum, Aquileja, Gradus, Colonia, Moguntia, Salisburgum, Rothomagus,

R. P. Kolb Series Impp.

D d

Tre.

Treviri, Senones, Vesuntium, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Symb. *Christus regnat, vincit, triumphat.*

II. Ludovicus Pius.

Ludovicus à genitore etiamnum imperante jam Imperator dictus, postquam Aquisgrani habenas Imperii in se suscepit, ad bellum Danicum ocyùs conficiendum seriò adjecit animum, dimisso in Italiam Bernardo nepote, Italiæ Rege, ut seditionem à Romanis adversùs Leonem III. Pont. denuo concitatam quamprimum sedaret. Sedato Romæ tumultu totam Italiam simulque Imperium universum seditione longè majori turbavit Bernardus, qui quòd se ex Pipino, Ludovicum Cæsarem natalibus præverente, natum sciret, Romanum Imperium sibi jure hæreditatis deberi palàm pronuntiavit, plurimum confusus armato suo exercitu. Verùm à patre victore in potestatem redactus, unà cum adulatoribus suis orbatus est utroque oculo, cum vita amittens post triduum Italiæ regnum an. DCCCXVIII. Translato interea è terris in cælos D. Leone III. Pont. à Stephano V. Successore Rhemos in Franciam veniente, cum conjugè Augusta coronatus, dum inter filios regna distribuit, semen bellis domesticis aptissimum sparsit. Ex Irmengarde in Saxonia loco principe nata conjugè tres suscepit filios Lotharium, Pipinum & Ludovicum. Conjux altera Juditha Wilhelmi Ravensburgi Comitis filia peperit Ludovico Carolum, quem forsan hortante matre, ringentibus verò filiis tribus germanis fratribus Regem Franciæ constituit; unde summa fratrum discordia nata est, eaque maximè noxia Ludovico Imperatori & Judithæ conjugè, quos Compendij captos, & mox Procerum quorundam consilio liberatos, sed post simulatam potiùs, quàm verè promissam pacem captivos Tortonam Liguriæ urbem miserunt, monasteriis includendos, fratre Carolo in Prumiense Cœnobium immisso. Tandem tamen hortante Gregorio IV. Summo Pontifice Pipinus & Ludovicus impium foedus ac scelus pertæsi, parentes Regios religiosa nimium captivitate liberârunt, obtentâ facilè à pio

à pio parente delictorum veniâ; qualem dum minùs sunt meriti scelerum conscii & authores criminum multi, hinc talionis poenam subire sunt jussi, carcerum angustiis perpetuò castigandi alii, aliis in exilium ejectis. Tantis adversitatum fluctibus fuit jactatus Ludovicus Imperator, tametsi Princeps fuerit vitâ & moribus sanè optimus, justitiæ assertor acerrimus, & penè solorum scelerum osor constantissimus. Mira profectò in eodem eluxit in Deum religio, in hostes facilitas, in summos Pontifices pietas, in omnes Clericos ac Monachos veneratio, in Ecclesiam Romanam liberalitas, qua paternam eamque avitam donationem (ut vocant) magis ampliavit ac confirmavit, haud quicquam juris sibi in Ecclesiæ jura confingens. Quibus sanè virtutibus commeritus fuit, ut non crebriùs *Ludovici*, quàm *Pii* fuerit nominatus nomine. Et verò nomen hoc suum implevit: cum enim an. 824. ob exortum schisma multi multis modis communem omnium patrem, Romanum Præsulem persequerentur, continuò misit Ludovicus Lotharium filium suum Romam, quem palàm omnibus significare jussit, *secundùm antiquam consuetudinem, & ex præscripto SS. Patrum fieri oportere electionem Pontificis; Politicum verò statum dirigi ex Pontificum & Imperatorum constitutionibus &c.* Militantem pariter & triumphantem Ecclesiam honoraturus magis, honore singulari prosecutus est Divorum Lipsana; unde D. Sebastiani in utraque Ecclesia herois clarissimi quasdam Reliquias Româ Sueffionem transtulit, ut pluribus in regnis coleretur regnorum plurium Patronus. Parem ferè honorem exhiberi curavit DD. Vito Martyri, & Liborio Cenomanensi Episcopo; hujus enim sacras exuvias ex Gallia in Westphaliam, illius verò in Saxoniam transtulit inter perpetua comitante eas conferto populo miracula. Perplacuisse coelestibus geniis & hoc & multis aliis egregiè factis visus est Ludovicus; sequenti enim anno teste Eginhardo ab Angelis monitus, constitutionem ex Episcoporum consiliis promulgavit, qua Conciliis quatuor, nimirum Moguntiæ, Parisiis, Lugduni & Tolosæ celebratis, mores Christianorum seriò emendare laboravit: atque ut optimè cœptis adessent propitij Cœlites, per Germaniam & Galliam universam an. 835. annuente Gregorio IV. Pont. idem Im-

perator *sacrum omnibus simul Sanctis* diem statuit annis deinceps singulis ritu solennissimo celebrandum. Viventibus etiamnum genitore & fratribus, cum pervenisset in Aquitaniam, strenuè perrexit promovere rem Catholicam introductis in regnum istud tum Clericis, tum D. Benedicti filiis identidem pluribus, qui morum & doctrinæ sanctitate ad eò sibi devinxerunt Regis sui animum, ut ipse habitum religiosum certò certius regiae purpuræ antehabisset, nisi fratrum mors immatura, & perinde publica regnorum necessitas obstitissent; unde evenit, ut per annos Imperij sui 27. crebrò & Caroli & Pipini Germanorum fratrum morti fuerit illacrymatus, constanter paratissimus obedire magis, quàm imperare, imò haud imparatus mori, dummodo fratres viverent & ritè imperarent: dum itaque & vivere & mori didicit perbene Ludovicus Pius, morte pientissima vitam virtutibus clarissimam mirè illustravit Moguntiae mortuus anno Christi 840. Talis tamen tantusque Imperator, testante Pitheo Historico, annis triginta tribus piacularibus flammis detentus, visione demum Ludovico Germaniae Regi coelitus factâ, rogavit hunc suum filium, ut tormentis purgantibus se eximeret; unde Rex territus & miseratione commotus, per universa mox regni sui cœnobìa preces pro defuncto pridem genitore fieri petiit, ut diuturnis pœnis optatus imponeretur finis. Symb. *Omnium rerum vicissitudo. Auth. citt.*

III. Lotharius I.

Ludovici Pii natu major filius Lotharius longo tempore haud pium se probavit patri; divisione namque regnorum altera consilio parentis cum fratribus facta necdum contentus, post illatum tumulo genitorem adversus fratres gemino certavit praelio, quorum altero ad Fontiniacum Burgundiae campum victus, altero non minùs prope Argentoratum superatus, amissis facilè centum millibus ultimam cum fratribus regnorum divisionem, complurium doctissimorum virorum arbitrio probatam, impetravit, qua etiam ipsi Franciam in Orientalem, & Occidentalem fuerant partiti. Germaniae partem maximam, & in hac Franciam Orientis, Sueviam, Bojariam, & Noricum Ludovicus

vicus; Franciam Occidentis Carolus; Italiam, Lotharingiam, Burgundiam & reliquas provincias cum Imperij jure supremo Lotharius sibi vendicârunt tres fratres, tres Reges, duo tandem Imperatores. Tantam fratrum discordiam dixere fortunam suam Saraceni & Normanni: interea enim hi Galliam Duce Ragenario adorti, luce Resurgenti à mortuis Redemptori sacra ipsis Parisiis potiti sunt; indè mox impetu in Aquitaniam tentato urbes & oppida multa ditionis suæ fecerunt; Saraceni verò ex Africa in Italiam translati, ac inferiores ejusdem provincias penè omnes depopulati, Romanis ingentem terrorem incusserunt, dum Ecclesiam Vaticanam eo tempore mœnibus necdum munitam, omnibus thesauris & ornatu spoliârunt. Verùm adverso coelo pugnasse hos hostes, meritò pronuntiavit Italia: dum enim spoliis onusti fures sacrilegi navigia sua repetierunt, nubibus repente concurrentibus coorta tempesta maxima, ablatos Ecclesiae thesauros & prædatores magno numero maris fluctibus absorpsit. Inter turbines & procellas imperavit Lotharius an. XV. quibus exactis velut ex leone in agnum mutatus, D. Benedicti Regulam antehabuit Imperij legibus, purpuræ religiosum habitum, eremum theatris publicis, attonfos in sertum capillos quibusvis coronis. Prumiense monasterium excepit tantum hospitem, qui dum sui experimentum cœpit dare majoribus suis, factus ex Imperatore tyroni similis, mors eidem ultimum fecit periculum, vitæ exitum à vita priori diversissimum probans an. DCCCLV. Symb. *Ubi fel, ibi mel.*

IV. Ludovicus II.

Ludovicus hic patrem & fratrem nomine Lotharium coluit, quorum posterior suo de nomine Lotharingiae nomen imposuit novum, deletò penitus veteri Austrasiae nomine. Hæc parva sunt: majoris momenti negotia in se suscepit Ludovicus II. bis veniens in Italiam, bis coronandus Imperator: coronam enim primò simplicem Sergius II. Pontifex ægrè concessit, probè memor injuriæ Romanis & Italis plurimis à Ludovico illatæ, dum hostis potius, quàm amicus videri poterat; adeò ejusdem exercitus invasit Italiam raptò vivere vel tum primùm incipiens, vel jam assuetus. Verùm elapsis annis cum Italiam

repetiisset jam semel coronatus Rex Ludovicus, victis gloriosissime Saracenis, coronam alteram dignissimo victori coronam geminam ambabus manibus obtulit tota Italia, exemplum strenue secuta Hadriani Romani Pontificis, qui causae iniquitatem summae detestatus est, qua conciliabulum Metense adnitentibus Episcopis permultis Franciae coronam in Carolum Calvum mature nimis transtulit. Eo ex tempore Ludovicus II. singulari prudentia, morum probitate & magnanimitate ingentem sibi conciliavit laudem: prudentiam suam manifestam, fecit Basilio Graecorum Imperatori Caesaris nomen Ludovico invidenti, cui literas misit a prudentia maxime commendatas. Magnanimum etiam hostes dixere Saraceni, quos ex Italia expulit repetitis victoriis. Profecto Italiae finibus procul fugasset Ludovicus omnes barbaros, nisi Adalgisus Dux, Ducatu licet Beneventano a Caesare donatus, perverfis tamen consiliis victorem suis hostibus prodidisset proditor ingratus & perfidissimus, suadens Ludovico, ut divideret copias, revera ut Imperatorem traderet, divisas copias a Saracenis captum. Tanta erat proditoris pervicacia, ut prius a captivitate non dimiserit Imperatorem, antequam sacramento confirmavit dicta, quibus provinciam Beneventanam nullo unquam tempore se repetiturum coactus est promittere. Caeterum geminis coronis ornatus Imperator hic caelo coronam crebrius obtulit suam, ut darent Superi geminis orbatopatri filiis haeridem regio diademate dignissimum, qui nempe patris victorias vel aequaret, vel superaret. Verum negarunt Ludovico secundo filium tertium, daturi pro eodem coronam in caelo ultimam & optimam, postquam imperavit an. 20. mort. 875. Symb. *Par sit fortuna labori.*

V. Carolus II.

Calvus a capitis calvitie appellatus Carolus II. Ludovici I. filius, Ludovici II. patruus, male coeptas cum fratribus lites, cum nepotibus continuavit, tribus nequaquam contentus regnis, Germaniae nimirum, Galliae, & Lotharingiae, quorum duo ultima erepta sibi querebantur Lotharius & Ludovicus, candente ferro
in

in testem allato, quod dextram minimè laesam rotabant. Verum convictus igne & ferro Calvus, necdum se emendatum ostendit, differens meliora in Italiam, in quam a Joanne VIII. Pontifice vocatus venit & vicit Saracenos, quin & se gloriosissime; eo enim ex tempore totus a se diversus, probavit se Ecclesiae & Imperio, haud amplius ferro aut igne domandus, sed aurum ornandus. Idem verò aurum & regnum triplex avaro rursus Carolo post annos Imperii duos ex parte abstulit Carolomannus Ludovici Germanici Germanorum Regis filius Lotharingiam sibi vendicans, & in Italiam cum exercitu victor penetrans, tum paulò post vitae filum abscidit non tam medicus, quam medicorum dedecus, Hebraeorum quispiam, porrigens altero jam Imperij anno vix bene elapso, Christi 877. pro medicina venenum Carolo nomine, non re secundo. Quem tametsi perpetuis ferè bellis assuetum, atque in multos severum experti sint plurimi, Maecenatem tamen suum liberalissimum simulque mansuetissimum dixerunt tum in Italia, tum in Germania, tum etiam in Gallia coenobia multa, inter quae eminuit monasterium D. Dionysii, cujus dum se Imperator probavit cultorem eximium, monasterio se praeiit patronum maximum. Symb. *Iustitiam injustitia parit. Auth. citt.*

VI. Ludovicus III. Balbus.

Ludovicus Caroli Calvi filius ob linguae balbutiem hoc nomine dictus, coronam tulit geminam: Francorum namque Rex Remis ab Hincmaro Archi Praesule coronatus, coronam Imperatoriam sibi impositam accepit a Joanne VIII. Pontifice Trevis in Campania Galliae, postquam hic insidias & captivitatem denique elusit, in quas eum Lambertus Spoleti, & Adelbertus Thusciae Duces conjecerant, ut Pontificem suo solio excluderent, Imperatorem verò Italiae aditu prohiberent, & jure Caesaris privarent. Lis inter Caroli M. & Successorum nepotes de Lotharingiae regno eo etiamnum tempore fervebat, quam ut felici tandem exitu terminaret Ludovicus Imperator, Ludovico Germanorum Regi plurimum tribuit, cedens eidem penitus Lotharingiam a Germania nunquam deinceps separatam, si tamen no-
stra

stra exceperimus secula. Rebus tum in Germania compositis, exercitum cum duceret adversus Italos suos hostes, praesertim vero Bernardum Marchionem, in aetatis flore, anno nimirum aetatis suae 35. vel subito morbo, vel verius veneno clam porrecto Compendij ipsa morientis Christi die sacerrima extinctus est an. 879. vix unius anni Imperator. Haud desunt, qui Ludovicum hunc catalogo Caesarum penitus expunctum cupiunt, ut ejus loco Carolomannum insertum numerent; at vero Scriptores plures Carolomanno excluso Ludovicum posuere, forte Pontificis auctoritate commoti maximè, utpote à quo Imperij diadema accepisse haud ambigunt. Mortem Ludovici III. multis tristiore reddidit amor pacis, religionis, justitiae & clementiae in omnes perpetuus; ereptum sibi quoque sydus doluerunt viri literati, quos Ludovicus non magis aestimare, quam æmulari didicit, diu vivente ac imperante patre tempus discendi aptissimum nactus. Symb. *Nemo placet omnibus.*

VII. Carolus III.

CRassus à corporis crassitudine dictus, Ludovici Germanorum Regis filius caput ornavit quadruplici, vix unâ dignum coronâ; nec enim Imperatoris, nec Regis munus bene implevit, facilis nimium ad credendum noxiis, facilius ad condemnandos innoxios. Sententiam certè tristissimam tulit adversus Imperatricem Richardim conjugem suam, in monasterium abire jussam, ut scorto thalamum cederet. Aut condemnata ad claustrum tenebras Richardis, aut sua sponte venit in Alsatiam, ubi educandis nobilium parentum filiabus peridoneam domum extrui curavit in urbe Andlavia. Verùm displicuit plurimum eadem sententia Imperatoris, & poena Imperatricis Gallis & Germanis, qui Francofurti in Comitibus publicis unanimi calculo Carolum privarunt Imperatoria dignitate, qua abusus est annis octo. Gallis displicere etiam coepit maximopere, dum contra Normannos pugnavit, sed fortuna nequaquam prospera; ab hostibus enim Normannis victus Neustriam victoribus cessit, Normanniam deinceps vocatam, frendentibus

bus Neustriæ & totius Franciæ indigenis. Sueviæ, Franciæ, Saxoniae & Thuringiæ Statibus invisum se reddidit amplius, quod Gisela Lotharij Regis filiam neptem suam Normannorum Duci Godefrido concesserit conjugem, adjiciens vel dotis vel feudi nomine Comitatum Friisæ, quo nequitiam contentus Godefridus, Lotharingiam sibi tradi postulavit, extincto Lothario juniore. Ab omnibus igitur derelictus Carolus, nec inter famulos plurimos invenit quemquam Domino suo, nuper Imperatori constantem. Omnibus etiam bonis spoliato alimentum vitæ conservandæ perquam necessaria subministravit denique Arnulphus in Imperio Caroli successor, postquam ultimum hoc beneficium multis precibus impertiri sibi petiit, fame propemodum enectus Imperator. Francofurto denique in Sueviam perductus, monasterioque inclusus, vel dato veneno, vel animi moerore interit an. 887. nondum bene elapso bimestri tempore: cadaver in Augia Divite (hoc nomen monasterii) sepultum ad se plurimos pertraxit spectatores, qui plus miserati sunt mortuum, quam vivum Caesarem. Symb. *Os garrylum intricat omnia.*

VIII. Arnulphus.

ARnulphus Ludovici Germanorum Regis nepos, Carolomanni filius haud legitimus, dum exauthorato Carolo III. annuentibus Germaniæ Statibus imperare coepit, Imperium & ejusdem regna varias in partes fuerunt scissa; Italiae quippe regnum occupavit Berengarius ex Longobardorum Regum sanguine oriundus, à Carolo Calvo haud ita pridem Dux Foro-Julienensis creatus. Guido Spoleti Dux Stephani VI. Pontificis auctoritate suffultus, & cognatione, qua Carolum Simplicem Franciæ Regem continebat, animatus, tam sceptrum Imperij, quam Galliae ut nihil magis ambivit. Occasione utendum ratus Rudolphus I. è Suevorum Comitum descendens prosapia, regno Burgundiæ initium dedit. Schvventeboldus Slavorum Dux in Arnulphum promotorem suum ingrattissimus in Bohemia ad pugnas Imperatorem provocavit. Pugnatum est equidem à Germanis contra hostes, sed successu minus prospero, si

Normannos excipias: his enim Germaniam circa Rheni littora invadentibus, tanta sua & suorum fortitudine occurrit, ut, etsi numero impar fuerit longissimè, victoriam nihilominus propè Lovanium eripuerit Arnulphus cæsis ex centum nonaginta hostium millibus. In Italia longè diversa erat rerum facies: Berengarius enim & Guido primum amici, dum hic Gallis, ille Italis coepit placere, continuò facti inimicissimi, mutuis præliis sese fatigârunt, donec denique Guido in montibus Germaniam inter & Italiam sitis Berengarium validissimè oppugnans, ruptâ arteriâ, & fuso sanguine copiosissimo exspiravit, relicto filio Lamberto juvene armorum peritissimo, contra quem Formosus Pontifex Berengarium vocavit eam maximè ob causam, quòd Arnolphum & Berengarium amicitia & armis conjunctos esse ex idoneis nuntiis intelligeret. Lampertus ea tempestate Romam cum suis copiis ingressus hostis, adventum Germanorum expectavit; hi itaque ut optatam metam contingerent, obsidione cinxere Quirites; quos denique devicit lepus, Germanorum minimè timidorum præcursor timidus; Itali enim per Romæ moenia dispositi cum Germanos leporem cursu persequentes eminus conspicerent, ac tanti concursus causam ignorarent, extremum Romæ impetum instare rati, continuò stationes reliquere, relicta Germanis victoriâ & triumpho. Tum verò à Pontifice Formoso primum coronatus est Arnulphus, qui rebus Romæ compositis, Camerinum duxit exercitum, Lambertum eò profugum oppugnaturus. Eandem in urbem quoque Guidonis uxor, Lamberti mater securitatis causâ confugerat, quæ vultu amicitiam simulans, at sinu venenum coquens, urbis deditioem Cæsari obtulit, reipsa ut Arnolphum caperet & interficeret: minister enim Imperatoris à muliere vindictæ cupida aurò corruptus, venenum Cæsari perrexit lenta morte consumendo. Brevi morituro tamen redire licuit in Bojariam usque, ubi ingravescente magis in dies morbi malo computrescere caro nimum quantum coepit, & vitam absumpsit Oettingæ anno 899. Imperavit annis 12. Symb. *Facilis descensus Averni.* Cæterum Imperatoris hujus gesta ex eo capite multum reprehenderunt posteris, quòd temerè in suppetias vocarit ex Hungaria Hunnos,

nos, ut Bohemos vicinosque rebelles populos subjugaret; iidem hostes verius, quam amici, ut deinceps etiam sibi in Germaniæ viscera pateret aditus, munimentis Germanorum passim destructis, aut labefactis, tristissimam, multarum nempe cladum prodromum, contra Bohemos victoriam reportârunt.

Reflexiones supra Seculum IX.

HActenus dum de Orientis potius, quam Occidentis Imperatoribus Historia nostra contexta fuit, Erdmannus & Hübnerus eminus magis, quam cominus pugnârunt multoties; nunc verò pro Imperatoribus Occidentis duntaxat tanquam suis consinibus pugnantes, contra Romanam præsertim Ecclesiam majori animo velut in aciem prodeunt, calamo pro gladio non usi magis, quam abusi. In rerum capitibus plerisque convenere; Erdmannus tamen hoc IX. seculo primas præripuit Hübnero. An tamen palmam eripuerit etiam Romanis Historicis suis adversariis, nunc Lector ferat sententiam conformem legi æternæ. Pugnæ materiam aperio, inter partes diversa capita ab Erdmanno maximè propugnata pando.

- I. Carolus M. multa celebravit Concilia, quorum Præsidem supremum ipse egit, quam veritatem suismet verbis in Epistola sua expressis testatum fuisse Carolum agnovit C. Baronius in Annal. ad an. 794. *Erdman. fol. 222.*
- II. Inter Concilia à Carolo celebrata probè notandum est Concilium Francofurtense, in quo rejectus est SS. Imaginum cultus. *Erdman. fol. 222.*
- III. In Concilio Francofurtensi equidem definitum fuit, Imagines in Ecclesiis esse retinendas, non tamen adornandas. *Hübner fol. 778. Tom. 1.*
- IV. Hadrianus Pont. creavit Carolum M. Patritium Romanum, & hac de causa Romæ Dominum constituit. Eidem Carolo M. concessit potestatem eligendi & confirmandi Romanum Pontificem. *Erdman. fol. 215. Hübner fol. 768. Tom. 1.*
- V. Ludovicus Pius præterquam, quòd jus constituendi ac confirman-

di Pontifices sibi servârit, legatos suos misit, ut essent iudices Paschalis Pont. *Erdman. fol. 227. similia habet de Lothario Imp. fol. 235.*

- VI. Anno 800. Carolum M. adoravit Leo Pontifex ipse in genua provolutus, quam adorationem non negârunt CC. Baronius & Bellarminus, Sigonius & alii Scriptores Pontificii. *Erdman. fol. 251.*
- VII. Bertha Caroli M. soror, fuit conjux Milonis in Francia Occidentali Comitum, quæ peperit Rolandum Heroem in orbe notissimum. *Erdman. fol. 209. Hübner. Tom. 1. fol. 776.*
- VIII. Ludovicus II. lege sancivit, ne deinceps Imperatores, Reges ac Principes sibi locum vendicarent in Synodis Ecclesiæ: Viros è contrario Ecclesiasticos in Comitibus secularium admitti præcepit: si tamen in Ecclesiæ synodis quæstio de Fidei dogmatis fuisset proposita, tum enimverò non excludendos esse seculares censuit, cum Fides ad omnes omnino pertineat &c. *Erdman. fol. 237.*
- IX. Carolus Calvus suis blanditiis impetravit à Joanne VIII. Pont. coronam Cæsaream; atque corona hæc copiosam præbuit ansam Romanis Pontificibus, cur ausi fuerint dominari Romanorum Imperatoribus. *Erdman. fol. 250.*
- X. Carolus M. Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumpsit in agone, & formata super frontem cruce manu propria, expiravit &c. *Erdman. fol. 223.*

Reflexio ac Responsio I. ad I.

Rem Historicam sincerè fateri Historicorum est officium primum, & prima sit dos. Fatentur verò Historici Pontificij haud illibenter, Carolum M. præsentem assedisse Conciliis pluribus, in quoquam tamen Concilio Præsidentem sedisse, nec fatentur, nec fateri poterunt, quamdiu veritati suffragium non negabunt. Quid ais tu hic Erdmanne? C. Baronium mihi contrarium statuis? an Baronius non omisit, te teste, verba, quibus Carolus M. Concilii Francofurtensis aut alterius Præsidentem se fuisse demonstrat? In medium igitur proferantur verba, ut virtus veritas in medio consistat. Verba Caroli M. in Epistola sua ad Elipandum Toleti Episcopum data hæc sunt:

Ecce,

Ecce, ego vestris petitionibus satisfaciens Congregationi Sacerdotum auditor & arbiter adsedi.

Hæc ego verba tuo ex libro descripsi fideli calamo, simulque in tomo IX. C. Baronij an. 794. in cit. epistola inveni prosperè. Statuamus, quæso, jam causæ nostræ auditorem & arbitrum amicum Lectorem, probè inspiciat is, ad quos, ac quam epistolam Carolus M. miserit. Erat Elipandus Toleti in Hispania Episcopus, qui quòd unà cum aëclis multis palàm docuisset, Christum Dei Patris filium non verum, sed adoptivum duntaxat esse, eam ob causam nihil non egit Carolus, ut sua autoritate maxima errantes in Ecclesiæ Romanæ semitam reduceret. Rogavit idem Elipandus cum Sociis eam gratiam Carolum, ut ipse auditor & arbiter Concilio haud gravaretur adesse: unde rescripsit Imperator rogantibus: *Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens Congregationi Sacerdotum auditor & arbiter adsedi.* Verùm quid tu evincere jam paras his tuis Carolinis verbis? an iisdem tibi demonstrat M. Imperator, se *adsedisse Conciliis pluribus supremum Præsidentem?* fateor vicisti me totum, si talia evicisti. Verùm enimverò non ita me continuò condemnant Grammatici, & Rhetores, & Jurisperiti, & ipse Carolus M. quia nec Elipandus unà cum suis aëclis: Grammatici enim & Oratores eo persæpè etiam sensu accipiunt vocabulum hoc *arbiter*, ut eodem aliud significare non studeant, quàm rei cuiusdam Lectorem, aut Spectatorem, aut Auditorem. Hinc eos sæpè etiam arbitros dixere, qui tragœdiis aut spectaculis assederunt observatores rerum curiosi. Arbitrum ego te meum haud gravatè dixero, si tu meas reflexiones gnave perlegeris, & æquo animo ponderâris, velut ego arbiter tuum perlegi & ponderavi librum. Nec tamen ego te mihi præsidem fingo, nec me tibi ego præsidem præficio, quemadmodum nec suum fuisse præsidem putabit Choragus illum præsentem hospitem, quem tragœdiæ suæ arbitrum assedisse cognoverit. Consule hac super re pluribus Grammaticos, ut te Gymnasij Rectorem doceant arbitrari elementa literaria. Verùm ut adverto, à Grammaticis appellas ad Jurisperitos, quos me inter & te arbitros statuis. Bene habet, non abnuo coram Jurisperitis velut arbitris nostris compare-

re, ut laudum percipiam. Ajunt nimirum eos arbitros Jurisperiti; qui tanquam æqui viri vel à Jure constituti, vel à partibus contrariis sponte sua eligentibus electi rogantur ferre sententiam, ut lis perimatur, & causa decidatur: si igitur Carolus M. Ecclesiæ Conciliis *arbitrè* præfuit, vel à Jure constitutus, vel à partibus contrariis electus sententiam dixerit, necesse est. Sed nec constat de ulla Juris constitutione, nec de partibus eligentibus, nec de sententia. Quin de ullo horum constare haudquaquam potest; Constitutio enim illa Juris vel à Summo Pontifice, vel à Romanorum Imperatore ortum duxisset: atqui summi Pontifices hætenus nunquam agnovère, Summi in Concilio Ecclesiastico Præsidis munus ulli Imperatorum jure committi posse. Imò in Conciliis retrò habitis, ipsa praxis jus soli Pontifici proprium abunde prodidit. Vide Reflexiones Seculi IV. V. &c.

Imperator idcirco si jus arbitrandi super causis Ecclesiæ impetrasset, vel ipse se arbitrum constituisset, quod Juri est adversum maximè (vetatur enim eodem quemquam esse arbitrum in causa propria, & sua electione electum) vel tandem à Supremo Juris Conditore Deo datam esse hanc potestatem Cæsari, oppidò liquere oporteret. Verùm & hoc ultimum ita in tenebris sepultum latet, ut contrarium omnino pateat Romanæ Ecclesiæ. Hæc si bene perceperis, propiùs congrederemur, & epistolam à Carolo M. ad Elipandum datam penitiùs ambo inspiciemus. Epistola, ut ipse vides, est proluxa admodum, numerans paragraphos sat multos. Totam ferè percurramus, pauca tamen huc transferamus; & Lectores plura desiderantes ad C. Baronium mittamus. Epistolæ suæ exordium hoc præfixit Imperator:

Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patritius Romanorum, Filius & defensor sanctæ Dei Ecclesiæ, Elipando Toletanæ civitatis Metropolitano & cæteris in partibus Hispaniæ Consacerdotibus &c. Num. XVI. sic habet: *Hanc igitur Fidem Orthodoxam & Apostolicis traditam Doctõribus, & ab universali servatam Ecclesia nos pro virium nostrarum portione ubique in omnibus servare & predicare profiteamur: quia non est in alia aliqua salus, NB. nisi in illa, quam pacifica ab initio salutis nostræ unanimitate semper servabat Ecclesia &c.*

Num.

Num. XVIII. in fine hoc docet: *Imò & ad Beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione nostræ devotionis térque quaterque direximus Missos (Legatos) scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta Traditionibus NB. in hac respondere voluisset inquisitione &c.*

Num. XIX. ita pergit: *Idcirco vobis per singulos libellos dirigere curavimus, quid prædictorum NB. Patrum pia unanimitas & pacifica perscrutatio auctoritate Ecclesiastica invenire statuisset, confirmaret. Primò quid Dominus NB. Apostolicus cum Sancta NB. Romana Ecclesia, & Episcopis in illis partibus quaqua versum commorantibus & Catholicis Doctõribus sentiret, sub unius libelli tenore statuimus. Deinde secundo loco, quid Ecclesiastici Doctores & Sacerdotes Ecclesiarum Christi de propinquiõibus Italiæ partibus cum Petro Mediolanensi Archiepiscopo &c. firmiter credi voluissent, suis propriis responsionibus exaratum posuimus libellum &c. Post hac tenet & tertius libellus Orthodoxorum SS. Patrum, Episcoporum & Virorum venerabilium fidem, qui in Germania, Gallia, Aquitania & Britannia partibus dignis Deo serviunt officiis &c. Deinde quarto loco NB. meæ propriæ unanimatis cum his sanctissimis prædictorum Patrum decretis & Catholicis statutis consensum jubnexui &c.*

Num. XX. ita orditur: *Facio certissimè, Deo Domino meo Jesu Christo donante, horum me sanctissimæ multitudini & probatissimæ auctoritati veræ fidei possessione associans, nec vestra me NB. paucitati in consensione hujus novæ assertionis socium admitto, sed NB. Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis NB. Traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungo. Hunc numerum sic finit: cum his quoque Doctõribus & sanctæ Ecclesiæ Pastoribus veram prædico Fidem, quos in præsentis tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Hi sunt propugnatores Fidei nostræ, hi sunt Rectores per diversas sedes civitatis NB. Christi, cujus antemurale est Fides Catholica, & Charitas firmissimus murus, & propugnacula divinarum testimonia Scripturarum, & divitiæ salutis in ea sunt sapientia & scientia, & spes portarum custodia: quæ quatuor clavisibus, id est, prudentiâ, justitiâ, fortitudine & temperantiâ piis aperiantur au-*

ri-

ribus. Hujus verò civitatis ipse Dei verus & proprius filius, Deus verus homo, verus Iesus Christus Dominus noster regali præsudet potentia, cujus gratia totam illius civitatis structuram regit, defendit & exaltat. Quisquis ad hanc civitatem rectè sibi præviante Fide, manus bonorum NB. operum habens plenissimas, pervenire festinat, apertas inveniet portas, & Regem Regum cum millibus Sanctorum agminum obviare sibi gaudebit.

Num. XXII. ita respondet: Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, Congregationi Sacerdotum auditor & arbiter NB. adsedi. Discernimus, & Deo dante decrevimus, quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum: sed modo per eandem obsecrationem vos iterum iterumque obtestor, ut in pacifica unanimitate & Catholicæ Fidei professione nobiscum firmiter maneatis, nec vos doctiores NB. existimetis universali Sanctâ Dei Ecclesiâ. Eam fidem tenete, quam Orthodoxi Patres in suis nobis Symbolis scriptam reliquerunt; & nolite plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; nec ratiocinando humano NB. ingenio divina vos mysteria investigare arbitramini, sed magis credendo honorare, quæ humana fragilitas temerè perscrutando invenire non valet.

Num. XXV. in medio ita claudit: post hanc verò correctionem sive admonitionem NB. authoritatis & synodalis unanimatis si non resipiscitis ab errore vestro: scitote, omnino vos pro Hæreticis haberi, nec ullam vobiscum communionem pro Deo audeamus habere: currite, dum lucem habetis, ne tenebræ vos NB. anathematis comprehendant, unde non potestis pedes vestros explicare, sed interna damnatione irretitos esse lugebitis. Adhuc enim pia Mater revocat vos in gremium suæ misericordiæ, volens vos Deo nutrire in filios. Tantùm nolite vos abstrahere ab ejus pietate, qui vos vocavit in regnum filii dilectionis suæ. Hanc fidem vos, Fratres carissimi, firmiter tenete, in commune prædicamus: & si aliter antè in quolibet verbo sensistis, corrigite vosmetipsos, & ad unitatem NB. Sanctæ Dei Ecclesiæ pura fide festinate, & contentiones nominum, NB. novitatesque vocum devitate, quia juxta Apostolum, non est hæreticus nisi ex contentione &c. &c.

Probè, ut spero, notasti multa Erdmanne ex iis, quæ huc transulimus; notata tibi ut annotes magis, obsecro, identidem oculos tuos reflecte super eadem verba, quibus Carolus M. profitetur

I. In-

- I. In Romana Ecclesia Fidem esse Orthodoxam, & ab Apostolicis traditam Doctoribus, atque ab universali servatam Ecclesia. Tu verò & Hübnerus cum sociis affirmatis mordicus, in Ecclesia Romana his etiam seculis non fuisse amplius Fidem Orthodoxam, non ab Apostolicis traditam Doctoribus, nec ab universali servatam Ecclesia &c.
- II. Carolus M. profitetur, non esse in alia Ecclesia salutem aliquam, nisi in illa, quam pacifica ab initio salutis nostræ unanimitate semper servabat Ecclesia. Lutheri autem affectu saltem eorundem primi in pluribus Ecclesiis salutem inveniri docuerunt, & vel hodie docerent, si Doctores Romani à Doctrina simili non plurimum abhorrent.
- III. Carolus M. docuit, SS. Patrum & Doctorum sacris inherendum esse sensibus, hoc discendum, hoc credendum: traditiones insuper esse tenendas: Hübnerus verò & Erdmannus in solam cum sociis confidunt Scripturam, utinam non corruptam!
- IV. Carolus M. vocat Romanum Præsulem, Dominum Apostolicum, attendit insuper, quid ipse primo loco statuerit; in omnibus auctoritatem Ecclesiasticam observandam esse docet. Primo item constituit loco Ecclesiasticos Doctores & populi Christiani Rectores, posteriori verò loco seipsum Regem, atque sese Ecclesiæ Doctoribus in Synodo consedisse & assedisse, non præsedisse. Erdmannus verò & Hübnerus cum sociis totius Romæ, quin & Romani Pontificis Dominum constituunt Carolum M. hunc priori, Pontificem posteriori loco collocant. Concilia tunc demum æstimant, si eorundem fuerit Præses supremus Imperator, non Pontifex: verbo, in omnibus maximi haberetur auctoritas regia, ut nauci flocci pendatur auctoritas Pontificia.
- V. Carolus M. monet Elipandum cum aëclis, ut ad Romanam Ecclesiam redeant, hujus iudicio ac sententiæ caput suum privatum inclinent, ne tenebræ anathematis eos comprehendant. Erdmannus & Hübnerus suis libellis Historicis in id unum incumbunt, ut ab Ecclesia Romana lectores absterreant, Ecclesiæ anathemata tanquam bruta fulmina cacinnis excipiant.
- VI. Carolus M. Romanam Ecclesiam pluribus numeris vocat Piam, Sanctam Matrem, civitatem Christi: Hübnerus & Erdmannus, & quis

R. P. Kolb Series Impp.

F f

de

demum non Lutheranorum atque Calvinianorum *meretrici Babylo-nice* comparant?

Miror hinc valde, Erdmanne, vel audaciam, vel potiùs (sit venia verbo) imprudentiam tuam, qua non verebaris verba paucissima ex C. Baronio causæ tuæ, ut sperabas, faventia transcribere, complures autem sententias tibi prorsus contrarias omittere. Estne hæc fides & fidelitas tua Historica? profectò hæctenus plures te duxi, quàm Hübnerum: jam verò tanti utrumque facio, quanti faciunt tribunalia integra testes haud integros.

Reflexio ac Responso II. ad II. & III.

Distingueret si didicissent in Dialectica Erdmannus & Hübnerus, ampliùs docti fuissent, ingens discrimen intercedere inter cultum Latriæ & Dulæ. Prior primum ac supremum illum denotat cultum, quo unum Deum ter optimum adoramus tum in se, tum suis in Imaginibus: posterior cultum alterum primo longissimè minorem explicat, qua docuit constanter Ecclesia Romana colere Sanctos *Dei amicos tum in se, tum suis in Imaginibus*. Ita Synodus Nicæna II. rem totam editis in lucem libris, monumentis & testimoniis uberrimis posteritati manifestam fecit. Vid. Seculi VIII. Reflex. II. Divorum itaque Imagines Latriæ cultu honorare vetuit Synodus & Nicææ & Francofurti habita: cultu Dulæ venerari easdem Divorum Imagines nec Nicæni nec Francofurtenses prohibuere Patres. Vah! proh! exclamant fortassis Centuriatores aut Scriptores alii Lutherani! quantis mendaciis circumveniunt simplicem populum Papistæ! toti namque terrarum orbi compertum est, Concilium Francofurtense à Nicæna Synodo de cultu Imaginum plurimùm discrepasse, cum prius à posteriori, à Francofurtensi nempe Nicænum fuerit rejectum. Nonne in sententiam hanc (etsi minimè alii) inclinant Cardinalis uterque Baronius & Bellarminus? Esto, ita loquatur Erdmannus & Hübnerus cum Centuriatoribus sexcentis, quid tum postea? si examinentur justo examine utriusque Concilii, Nicæni nimirum & Francofurtensis, circumstantiæ, nec prius posteriori, nec posterius priori contrarium re ipsa

re ipsa hac in parte agnoscemus. Conciliabulum adversùs SS. Imaginum cultores, uti tenet memoria nostra, coëgit Copronymus, in quo penitus est proscriptus omnium SS. Imaginum cultus: conciliabulo huic occurrit Concilium Nicænum retinens ac comprobans SS. Imaginum cultum. Turbatissima, si unquam aliàs, hæc fuere tempora. Ut omnis Imaginum cultus tolleretur etiam in Occidente, summo anniflu conati sunt in Oriente osiores Imaginum, missis quaqua versum mendacissimis epistolis & libellis, quibus finxerunt, in *Nicæna Synodo probatum fuisse Imaginum cultum illum, quem Latriæ vocamus*. Adhæc *Nicænam Synodum à Summo Pontifice probatam fuisse nequaquam*. Hæc duo maximæ considerationis capita fallacibus commoti argumentis crediderunt Francofurti complures ex congregatis Patribus, atque eam in sententiam abiêrunt, ut rejiciendum omnino esse Concilium Nicænum judicârint, si tamen in eodem Concilio SS. Imaginibus Latriæ cultus fuisset concessus, & ob id ipsum Apostolica Sedes Concilium hoc reprobaisset. Verùm enim verò ita falsò opinantibus adversati sunt pro viribus Pontificii Legati cum dictis: in Nicæna Synodo nec cultum Latriæ Imaginibus Sacris concessum, nec Pontificis confirmationem eidem fuisse denegatam. Hac de causa Concilium Nicænum tanquam Oecumenicum vel hodie maximè probat Romana Ecclesia, minimè verò Concilium illud ex parte, quod Francofurti celebratum novimus, quòd Legatis Pontificiis vix fidem haberent multi ex collectis Patribus. Quamquam, quod rursus inculco, hoc posterius in colendis Imaginibus nequaquam refragatum fuerit re ipsa priori Concilio. Utrumque nimirum *Latriæ cultum* Sanctorum Imaginibus meritissimò negavit; utrumque tamen in ædibus sacris Imagines retinuit non tanquam profanas, sed sacras Imagines fideli populo proponendas, ut colerent cultu non *merè civili*, sed *veneratione tali*, quali venerati sunt antiquissimi Patres *amicos Dei, Intercessores nostros in cælis cælestes*. Lege hac super re acta Concilii Nicæni II. D. Augustinum de Civitate Dei, CC. Baronium & Bellarminum & multos Authores alios ab his citt. Hæc vobis, Erdmanne & Hübneri, si minùs probantur, edicite, quam aliam ob causam in Concilio Francofurtensi (vestro iudicio) Præses

supremus Carolus M. unà cum collectis Patribus statuit, *retinendas* esse in Ecclesiis Imagines, quas vos aut vestri duobus jam seculis exterminarunt? respondetis, nî fallor, de causa nobis non constat. Edicite, an Carolus M. aut Occidentis Episcopi post Concilium Francofurtense ita fuerunt schismate divisi à Romano Pontifice, ut dum hic cum parte populi sua retinuit ac coluit Imagines, Carolus M. cum parte populi altera retinuerit quidem, non tamen coluerit SS. Imagines? Fatemini, non meminisse Historicos. Edicite, an idem Carolus cum ullo Romanorum Pontificum ita dissensit, ut non consenserit maximè? Consensisse verò constantissimè Carolum M. cum Pontifice, nonne vel ex vestris libellis abundantissimè & ad oculum patet? Fingamus tamen Concilium Francofurtense ita fuisse Deo & Cæsari probatum, ut nemo possit vituperare meritò, quod ipsum videmini asserere mihi tu Erdmanne & tu Hübnerè, qui tamen gratulari vobis possitis adeò, haud dispicio: ex ea enim Synodo, Deo ac Cæsari (fac ita fingas) summè probatâ consequitur uberrimè, Ecclesiam quampiam usque ad Carolum M. & ultra, Superis esse summopere probatam atque dilectam: eandem ipsam Ecclesiam permansisse *Veram, Unam, Sanctam*, toti orbi perstitisse *specabilem atque visibilem*: hanc tamen sententiam unà vobiscum rejicit tota, quanta, quanta Lutheranorum & Calvinianorum cohors, aut hujus pars maxima, aut certè non minima. Utinam tota tandem conveniret ac consentiret, errores agnosceret suos! Probetis per me igitur vel reprobetis Concilium Francofurtense, à Concilio Francofurtensi vos certissimò non probamini, qui unà cum vestris sociis retinetis & colitis vivorum & vivarum longè ardentius imagines, quàm Divorum Icones.

Reflexio ac Responsio IV. ad IV.

Vehementer gaudeo, quòd Erdmannus unà cum Hübnero Hadrianum I. Pontificem liberalissimum in Carolum M. fuisse fingat; asserit nempe eorundem prior apertè, posterior non obscure, Carolum M. in Patritium Romanum, hoc est, in totius *Romani Domini Dominum* ab Hadriano electum & constitu-

stitutum fuisse, qui eundem Hadrianum ita sui suorumque Successorum fingunt fuisse oblitum, ut potestatem Carolo M. indulserit *eligendi* deinceps ac *confirmandi* Pontificem. Ajunt Philosophi, Jurisperiti, atque Theologi: *nemo dat, quod non habet*. Item, *qui sibi nequam, cui bonus?* An potestatem habeat Romanus Pontifex tantam, ut jus eligendi Successores suos transferre valeat in Imperatorem; cui item, aut cujus bono id fieri simul queat, nunc paucis dispiciamus. Ecclesiam Romanam ad Carolum M. usque, instar columnarum firmissimarum fulcièrunt Romani Pontifices ferè centum. Obsecro jam & obtestor vos, Erdmanne & Hübnerè, & vestros quosvis socios, producite in medium vel unicum ex tanta Serie Pontificem, qui quovis signo ostenderit, à Romano Præsule posse, ut ajunt *validè*, vel *licite* transferri in Romanorum Imperatorem aut Regem, *jus aut potestatem eligendi, seu confirmandi Pontificem?* mihi mediusfidius de nullo constat; quin nec pater, ullum inter Imperatores extitisse hactenus, qui jus eligendi Romani Antistitis arrogasset sibi. Jus electum *Pontificem confirmandi*, qui per vim & injuriam Ecclesiæ extremam sibi arrogarunt, eorum omnium primus extitit Justinianus I. aut Anastasius cum Imperatoribus in Oriente paucis subsequens, Pontifice Romano constanter repugnante, aut animò ægerrimò id malum permitte, ut permissio malo minori evitaretur malum majus & deterius. Tandem à Phoca tyranno magis, quàm Imperatore præter Pontificis spem omnem, velut nos docuit superiùs Historia Seculi VII. jugo hoc, expectandì nimirum confirmationem qualemcunque Imperatoriam, liberatus Pontifex eligi denuo liberrimè coepit magnò Clericorum & totius Ecclesiastici Status gaudiò. Atque Hæc ego non solùm ex Historicis Orthodoxis, sed & Heterodoxis, scilicet Hübnero & Erdmanno aliisque collegi, partim ut fidem hostibus ex argumentis ipsorum propriis conciliarem, partim ut contra eosdem non tam meis, quàm ipsorum armis pugnarem. Hinc captu perquam difficile est mihi, quòd Scriptores Lutherani palàm fateantur ea omnia, quæ de Phoca aliisque Imperatoribus paulò superiùs & prioribus seculis nar-
ravimus, nihilominus contendant modò, ipsumque Pontificem Ha-

drianum Carolo M. fecisse copiam, aut potestatem creandi ac confirmandi Romanos Pontifices. Fuit Carolus M. testantibus idipsum crebro Hübnero & Erdmanno, summè *benignus, facilis, liberalis & munificus* in Romanos Pontifices, ita etiam exemplis Genitoris & avorum animatus; & tamen illud, quod Phocas agnovit sibi non competere, jus confirmationis Pontificiæ præter electionis titulum arripuit sibi Carolus M. Fuit Hadrianus Pontifex, testante rursus Hübnero & Erdmanno, *vindex & vindicator jurium Ecclesiasticorum ardentissimus*, & tamen vexam, ut vocant, illam molestissimam, quam sibi impositam à nonnullis Græcorum Imperatoribus dolebant Antecessores, cum onere novissimo imposuit sibi & suis Successoribus? Fuit jus illud, quod sibi ab Ecclesiæ Conditore Christo Ecclesiæ Ministri sacri sibi solis hætenus concessum noverant, eligendi scilicet Christi Vicarium Romanum Pontificem, fuit, inquam, numeratum ab Ecclesia Romana inter jura vel maximè sacra, & à seculari foro remotissima, atque adeò non vendicari posse quoquo modo Imperatorum cuiquam aut Regum; nihilominus Hadrianus egit, quod agere nec licuit, nec potuit, transferens jus eligendi Pontificem in Carolum M. nondum Imperatorem, sed duntaxat Regem? Notate hæc stylò ferreò, Erdmanne, & Hübnerè, *Rex duntaxat, non Imperator* fuit Carolus M. sedente Hadriano, quod vestramet etiam Chronologia simul testatur Historica. Si itaque jus vel eligendi, vel confirmandi Romanum Antistitem inter jura Cæsarea est numerandum, tunc in Carolum M. transtulisset, etsi nondum Cæsarem jus Cæsareum cum summa Cæsarium injuria, scilicet Constantini VI. aut matris Irenes, quæ Orientis Imperium moderabatur, imperante Romæ Hadriano, qui annos sedit 23. post D. Petrum omnium Pontificum annis supremus anno 795. mortuus. Vide Seriem Rom. Pont. Notate, inquam, stylò ferreò, Carolum M. *Regem, nondum Imperatorem* fuisse, igitur ex vestra sententia in Reges etiam transferri haud absurdum est jus eligendi Pontificem. Jus isthoc itaque optare & sperare, quin vendicare quacunque demum arte, aut jure valerent e. g. Reges Hispaniæ, Galliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Neapolis, Siciliæ, Hierosolymæ, quidni etiam Imperii Electores? quin vestram

vestram sententiã jus eligendi Romanum Præsulem, aut potius tollendi; derivari oporteret in Reges & Electores Lutheranos numerò paucissimos. Igitur vel jure conventionis, vel jure præventionis, vel ut ajunt per turnum, aut potius turmam denique à secularibus Principibus eligendus foret Ecclesiæ sacer Princeps, isque supremus. At quæso vos, quanta hæc foret confusio jurium, & per quantos injuriarum passus perveniretur denique ad fastigium Romani Solii? Denique si vel in Regis, vel veriùs Cæsaris jure aut potestate fuit semper eligere, aut constituere Pontifices, tunc ob relationis nexum oportet semper fuisse Pontifices Romanos, quos tamen ipsi dicitis *Romanos tyrannos*, aut *Anti-Christos* ferro & igne eliminandos &c.; in tyrannos verò aut eligendos, aut constituendos nullus Regum aut Imperatorum optabit sibi jus aut prærogativam. Reponitis hic fortasse, *potest eligi, potest confirmari Pontifex*, qualis extitit per tria post Christum mortuum secula, qui *nec tyrannus, nec fuit Anti-Christus*. Repono autem & ego, talem cur non eligunt Lutherani & Calviniani? oportet enim verò eligi in Dei Ecclesia *Supremum Præsulem, Caput supremum*, at non ab iis regnorum aut regionum Capitibus, quæ ipsa caput suum inclinant profundissimè Christo in suis Vicariis: eapropter sint laudes Deo in coelis & terris maximæ, quòd jam per complures annorum centurias vix quisquam fuerit inter Augustissima Capita, qui vel *juris umbram in eligendo, vel confirmando Pontifice* finxerit sibi. Hercle ex longa Imperatorum Austriacorum Serie vix somniasse deprehensus est Cæsar, qui coràm significasset, in Austriacorum Imperatorum esse potestate ac majestate, præficere Ecclesiæ supremum Pastorem.

Reflexio ac Responso V. ad V.

PAUCIS expediam hoc loco Erdmannum, si ad pauca respondeat; quæro itaque: vel Carolus M. accepit potestatem eligendi ac confirmandi Romanum Præsulem, vel potius datam fuisse hanc potestatem Carolo, cum tuis sociis finxisti, Erdmanne? si Carolus M. accepit à Leone III. *potestatem creandi Romanos Præsules*, cur opus est, ut defuncto Carolo filius Ludovicus & nepos Lotharius, quemadmodum

dum vos contenditis, tantâ solertiâ sibi vel primò vendicent, vel jam vendicatum jus servant creandi Pontifices? jura Imperatoria namque non tam sunt unius Imperatoris, quàm Imperatorum plurium, seu Imperii propria aded, ut exspirante Cæsare non exspirent, sed post mortuum Imperatorem permaneant penè immortalia. Verùm gressus hîc Erdmanne tui, quò tendant, abundè noto; ex rerum sibi prorsus contrariarum partibus duabus, partem unam exprimis, ut pars opposita non credatur facilè. Legisti, à Ludovico Pio & Successoribus in Imperio pluribus confirmatas fuisse donationes, & jura Ecclesiæ olim à Pipino, & Carolo M. concessa confirmatâque, hæc, inquam, legisti in Jurisperitis & Historicis, illud verò quod in authoribus non legisti, scripsisti, partem nimirum tibi amicam, Pontifici inimicam, et si falsam; aded tibi tuisque potior est aperta falsitas, quàm firma authoritas.

Reflexio ac Responso VI. ad VI.

SI Carolum M. adoraverit D. Leo III. Pontifex, non tam miror, quàm admirari adigor, quòd, Erdmanno teste, id ipsum *in sensu Lutheranis proprio* testetur de Leone III. C. Baronius, C. Bellarminus, Sigonius & Scriptores Pontificii alii. Legi ego C. Baronii & C. Bellarmini libros ferè omnes, singulari quoque diligentia inquisivi eorundem in libris in gesta Leonis III. & Caroli M. sed de *adoratione* Carolo M. exhibita, nec verbum ego infelix inveni; hinc in Sigonio ut investigarem pluribus, operæ fore pretium non putavi: mecum enim ita reputabam: in duorum Cardinalium libris operæ pretium perdere me jussit Erdmannus, bis deceptus, nolo decipi vice tertia. Verùm ita mecum pluribus discurrebam: quid si alius investigator, patientiæ assuetus magis inveniret in Cardinalium horum libris, quod tu quæsis incassum, quid tu, quid ille responderet? Responderet ille procul dubio, & ego cum illo, quod pridem respondit Codex sacer in libris variis, e. g. Gen. cap. 23. v. 7. Lib. Exod. c. 18. v. 7. Lib. Regum cap. 14. v. 4. Lib. Dan. c. 2. v. 46. &c. quibus in librorum capitibus patentissimè manifestatur, & *Angelos*, & *Reges*,

& *Prophetas fuisse adoratos*; verùm quo *adorationis*, quo *cultus genere*? Repono: si sacrum Codicem intelligeret Erdmannus cum *lociis*, *non* ita secum pugnarent magis, quàm cum Catholicis; ipse nimirum *fac* cer Codex non obicure ponit discrimen inter *adorationes varias*; si enim adoratur Rex, est cultus Regius; si Propheta, est *cultus Dei ser* vo propter Deum exhibitus; si Angelus, est *Dulia*, si Deus, est *La* triæ cultus. Vel igitur Leo Pontifex non adoravit M. Carolum, vel adoravit cultu Regibus exhiberi solito: cultu enim *Dulia* vel *Latria* mortalem colore quemquam, in Ecclesia Romana constanter fuit monstrum non modò naturæ, sed & supernaturalium rerum ordini repugnans in gradu supremo. Ad finem hujus responsi quæro, quo honoris aut reverentiæ exhibitio est nominanda nomine, si quando vos Lutherani aut Calviniani vestris viris Principibus exhibetis profundissimam non modò genuum, sed artuum & artium omnium inclinationem? five *adorationem* vocetis, five alio appelletis nomine, quæstionem de nomine movetis, quæ sæpè est substantia vestra à vobis pessimè intellecta. Quæro vice altera: si quando ad Romanum Pontificem contingit adire viros Luthero vel Calvino devotos, qui humi procumbunt, & vix terram non lambunt, quod contingit sæpè; an adorent Pontificem cultu *adorationis* illo, quem Deus à vobis exspectat, non tamen impetrat?

Reflexio ac Responso VII. ad VII.

SI Bertha Caroli M. soror, fuerit mater Rolandi, magnanimi illius Herois, de quo multa edidère Historici, & plura Poëtæ, atque aded eadem Bertha nupserit Miloni in Francia Comiti, quo pacto potuerit venire conjux regia in manus regias easque castissimas Alphonfi Regis cognomine *Casti*, haud ego comprehendo. Doceri hinc cupio ab Erdmanno & Hübnero, quorum prior nullam mentionem facit de nuptiis Alphonfi cum Bertha initis, contentus cum Milone Comite & marito vix multis noto: posterior verò, Hübnerus scilicet, in tabulis suis Genealogicis Bertham Milonis conjugem dicit, in Hispaniæ autem Historia Alphonfi Regis Reginam scribit. Dum hæc ego

R. P. Kolb Series Impp. Gg per-

perlegi, & penitiùs consideravi, summis laudibus laudabam, quæ pridem laudârunt Historici Orthodoxi, vituperare verò non ausi sunt Heterodoxi, nimirum hymenæos castissimos Alphonfi Casti & Berthæ Castæ conjugis, quæ annos plurimos transegit cum sponso regio, & tamen D. Pauli consilium secuta respondit semper & Deo & Angelis, *virum non cognosco*. Verùm Hübneri tibi discutiendum relinquo, quo pacto vel simul, vel temporis successu in manus venerit Alphonso Regi, & Miloni Comiti; qua item ratione fuerit Rolandi mater, & tamen Hispanorum Regina, thori semper nescia. De geminis profectò Berthæ nuptiis non meminerunt Authores mei Pontificij & alij, qui Bertham duntaxat Reginam & Virginem mirantur. Tu igitur Erdmanne hac in combinatione, ut dicimus, vel Hübnerum adjuva, vel te adjuvet Hübnerus, ut in Bertha Caroli M. sorore simul matrem & virginem demonstretis; qualia tamen miracula præsertim in vestra Ecclesia generis sunt haudquaquam primi, sed postremi.

Hæc & his similia malè sibi cohærentia capita plura, nullo labore deprehendet Lector in Genealogia, aut Chronologia Erdmanni & Hübneri.

Reflexio ac Responsio VIII. ad VIII.

Solertissimè ego C. Baronii Annales & libros ab Erdmanno citatos perlegi, ut qualem demum tulerit legem de Synodis Ecclesiasticis Ludovicus II. Imperator, deprehenderem. Verùm sciendi & deprehendendi avidissimum sine responsò remisit domum Baronius & Authores reliqui, haud ullam facientes mentionem de Viris Ecclesiasticis aut secularibus in Synodos Ecclesiasticas admittendis, præsertim cum agendum esset de Fidei Dogmatis. Quare mecum ego sic reputabam: certè vel nullam legem de Viris quibusvis in sacras Synodos admittendis proposuit Ludovicus II. vel lex illa à Pontifice Romano fuit comprobata, ab Erdmanno autem & lociis non fideliter lecta, refertur ab iisdem & hoc loco haudquaquam integrè. Et hem! quàm pronum est talia non suspicari duntaxat, sed judicare absque formidine, & asserere absque hæsitazione: quisquis enim,
vel

vel modici salis lector paucis perlegerit asseri Erdmanniani partem hanc, qua ait: *si in Ecclesiæ Synodis quæstio de Fidei Dogmatis fuisset proposita, tunc enimverò haud excludendos seculares esse censuit Ludovicus, cum Fides ad omnes omnino pertineat &c.* Quisquis, inquam, hanc partem perlegerit, risu excipiet hæc dicta, & argumenti Erdmanniani energiam mirabitur, quo collimat eò, ut videatur enuntiare: Fides ad omnes omnino, scilicet etiam seculares pertinet, igitur ex Conciliis, in quibus de Fidei Dogmatis quæstionem moveri necesse est, haud excludendi sunt seculares. Notate, obsecro, vos Stagyritæ, aut vos Peripatetici hanc ratiocinandi methodum; observate, ut quale fluat hinc consequens, cognoscatis. *Fides ad omnes omnino pertinet: igitur ex Conciliis, in quibus de Fidei Dogmatis quæstionem moveri necesse est, haud excludendi sunt seculares:* igitur haud excludendi sunt seculares tam docti, quàm indocti, tam viri, quàm foeminae, tam pueri, quàm puellæ, tam infirmi, quàm validi, tam nobiles quàm ignobiles, tam agricolæ quàm sylvicolæ, tam Dux, quàm gregarius, tam sutor quàm sartor, cum Fides ad hos universos & singulos pertineat. Non ita legibus, non ita argumentis pugnavit profectò Ludovicus II. Imperator à prudentia & doctrina valde laudatus; deprehendisset procul dubio Legislator hic prudentissimus, sanctione simili violari leges Ecclesiæ antiquissimas, quibus, cautum est firmissimè, ut si quæstionem movere necesse sit de Dogmatis Fidei, nec Imperatoribus fas sit non modò sententiam dicere, sed ne quidem animi sensum in Conciliis aperire, relicto hoc toto sacro negotio Judicibus sacris. Lege præter Canones sacros gesta Imperatorum Constantini M. Theodosij M. Valentiniani I. & III. Theodosii II. Martiani, Constantini IV. &c.

Quin advertisset utique Ludovicum, quòd lege hac nova everteret legis suæ partem alteram, eamque priorem, qua viros seculares è Synodis Ecclesiæ illis excludi omnino mandabat, in quibus *Dogmatis Fidei dubium* non moveretur: in Ecclesiæ Synodis namque etfi de Dogmatis Fidei non expectetur sententia, de iis tamen rerum capitibus agitur persæpè, quæ non modò Viros Ecclesiasticos tantùm, sed vel maximè seculares tangunt; e. g. de causis Matrimonii, de Decimis, de

Parochiis, de Ecclesiis, de irroganda legum transgressoribus poena, de causis mixti fori &c. Quare si eam ob causam seculares separari non oportet ab Ecclesiae Synodis Fidei causas discutientibus, eò quòd Fides ad seculares etiam pertineat, tunc consequens est, ut à nulla Ecclesiae Synodo separentur seculares, cum in omni Synodo Ecclesiastica res ejusmodi consueverint transigi, quae vel universam, vel magnam involvunt Ecclesiae partem, qua in parte non pars Ecclesiastica solum, sed & secularium saepe vel directè vel indirectè saltem ut ajunt, tangitur. Quantum igitur, Erdmanne, tua te deceperit Philosophia, si nondum vides, talpa es, aut minimum vesperilio.

Reflexio ac Responso IX. ad IX.

Carole Calve, nimirum quantum calva fuit occasio tua, qua impetrasti à Joanne VIII. Pontifice, Imperii coronam blanditiis potius usus, quam meritis tuis, veluti fidenter asserit Erdmannus: praebuit enim, Erdmanno, & Hübnero testibus, *istae corona copiosam Romanis Pontificibus ansam, cur ausi fuerint dominari supremis Imperii Dominis, Romanis Imperatoribus.* Huc jam adverte aures tuas & cuncta animi sensa, Erdmanne, aut potius palpa manibus tuis, quam peritum temet probes Historicum. Paulò antè memorabas, à Leone III. an. 800. concessam fuisse Carolo M. Imperij coronam, & simul asseruisti, hac coronatione constitutum fuisse eundem Carolum totius Romani Domini Dominum adeò, ut Imperatores denuo coeperint Romanis dominari Pontificibus, tum in ferendis legibus, tum in celebrandis Synodis, tum in tollendis abusibus: nunc verò vel uno ex hoc capite arguis, Romanos Pontifices coepisse dominari Imperatoribus, quòd Joannes VIII. Carolo Calvo coronam Imperii non negavit. Profectò ex eodem antecedenti, ut vocant Philosophi, formare didicisti tu sequelas prorsus contrarias in tua Dialectica. Dicerem ego potius: Carolus Calvus suis blandimentis, aut potius precibus suis nimirum quantum armatis, hoc est, militibus extorsit coronam Imperii Romano Pontifici Joanni VIII. aliàs meticuloso: igitur potius

potius Carolus Pontifici, quam Pontifex coepit dominari Imperatori. Erdmannum & Hübnerum nunc simul monendum existimo, ut ad praeterlapso respiciant secula, in quibus nolentibus etiam obtrudunt auctores veteres Romanos Imperatores haud paucos, quos non nisi Romani Pontifices sceptris & coronis ornarunt. In Orientis Imperio Justinus I. anno 526. è manu Pontificis D. Joannis I. coronam accepit Imperatoriam; Justinianus junior circa an. 712. à Constantino Pont. Imperii diademate fuit decoratus. Ludovicum I. Rhemis à Stephano V. coronatum novimus; Caesares antecessores alios vel à Patriarchis, vel à Legatis Pontificiis similem honoris praerogativam vel postulasse, vel petiisse confitentur Historici. Quin in regnis quibusvis Christianis mos & jus Ecclesiae obtinuit, ut non nisi ab Episcopis Reges inungi ac coronari optaverint, partim ut magis ornarentur, partim etiam saepe, ut amplius confirmarentur suis in solis. Quare illi ipsi vel Pontifices vel Episcopi, qui Imperatoribus vel Regibus coronas imposuerunt, multum fuerunt persaepe occupati in eligendo vel confirmando minimum Imperatore aut Rege, adeò ut horum sat multi sibi nunquam securam promiserint sceptrum, nisi coronas acceperint ex Antistitum sacris manibus. Haec mea dicta si autoritate magis firmari desideratis, consulite Annales Imperatorum tum Germanos, tum Gallicos, tum Latinos, in quibus Clodovæus Francorum Rex à D. Remigio, Pipinus verò à D. Bonifacio, & demum à Stephano III. Pont. inuncti fuisse regiò oleò feruntur, ut coronas regni Francorum acciperent, vel acceptas saltem firmiter tenerent. Et quale demum dicemus absurdum, si ab Episcopis Reges, à Romanis Pontificibus Romanorum Imperatores coronas accepisse dicamus, non ornatùs modò, sed firmitatis etiam causà? Nonne Propheta & Sacerdos Samuel in Ecclesia Dei Veteri summæ autoritatis inunxit, & firmavit Reges Saul, & Saule rejecto Davidem, ita agere jussus non ab homine, sed à Deo Regum Rege? Vid. lib. 1. Reg. c. 9. 10. & 17.

Reflexio ac Responsio X. ad X.

Repeto jam sæpè à me allatum axioma: *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Bonum Erdmanno sperare liceret denique, si defectus copiosos omitteret. Copiosos, inquam, defectus paucis complectitur lineis numero 10. legendis. Carolum M. sub binis speciebus sacrum Viaticum, uti vocamus, sumpsisse fidenter scribit; si C. Baronij tomum X. fideli legisset oculo, non ita fidem Historicam falleret: Eginhardus enim Caroli M. perpetuus ferè comes, & à secretis Consiliarius, nec non Historicus hoc nobis in eodem tomo reliquit breve compendium: *Cum Aquisgrani byemaret, mense Januario, febre valida correptus decubuit. Qui statim (ut in febribus solebat) cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, vel certè mitigari: sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci Pleurism vocant, illòque adhuc in mediam retinente, neque aliter corpus, quàm rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, sacra Communionem percepta decessit an. suæ ætatis 72. &c.* En! Eginhardus à te quoque citatus de specie Sacramenti gemina nec verbo meminit. Jungamus Eginhardo Theganum ejus temporis Historicum, qui ita refert: *septimo die postquam laborare cœpit, jussit familiarissimum Pontificem suum Hilibaldum venire ad se, ut ei Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis tribueret.* In rem suam fortassis putat Erdmannus quadrare hæc verba perbenè: minimè tamen sic ego existimo: hoc enim nostro tempore Romano-Catholici hac loquendi formula uti possumus, cum sacratissimo Viatico reficimur, etsi Corpus Dominicum & Sanguinem sub specie gemina haudquaquam sumamus, qui sumendi modus Christianis universis, si Sacerdotes non sint, est præscriptus ab Ecclesia, quæ dum Corpus Christi porrigit, Sanguinem Servatoris nostri simul in cibum concedit, indivisibili nexu utrumque constanter conjunctum esse docens. Quia addit Ecclesia nostra, absque omni errore & Dogmatum læsione factum esse, & fieri deinceps posse, ut in Ecclesia Romana sub specie duplici porrigitur Laicis cibus Angelicus, Corpus Domini; si tamen vel necessitas, vel par necessitati utilitas uni-

ver-

versæ suaderet Ecclesiæ, quemadmodum suavit D. Gelasii Pontificis ætate, qui ad finem seculi V. sub utraque, panis nimirum & vini specie non solum Clericis, sed & Laicis porrigi jussit Eucharistiæ Sacramentum, ut hæreticos sui temporis confunderet. *Lege in Serie Romanorum Pont. secul. V. fol. 59. & 63. consule etiam Concil. Trident.*

Cæterum ut defectus tuos, quibus bonum corrupisti tuum, tibi ob oculos ponam, gnaviter observes velim quæpiam rerum capita ab antiquissimis Authoribus de Caroli M. agone observata, à te verò altissimò prætermittam silentiò. Author quidam Vir Religiosus in monasterio Engolismensi, qui gesta Caroli M. per annos singulos observavit & descripsit, in hunc modum scripsit: *Oleo autem sancto inunctus ab Episcopis, & viatico sumpto, & omnibus suis dispositis commendans Domino spiritum obiit in pace.* Engolismensi authori sociat se Theganus inter alia sic recensens de Ludovico Pio Caroli M. filio: *post patrem (Ludovicus) sedit in supradicto palatio. Et imprimis cum magna festinatione jussit ostendi sibi omnes thesauros patris in auro, in argento, in gemmis pretiosissimis & in omni suppellectili. Dedit sororibus suis partem earum legalem, & quicquid remanserat, dedit pro anima NB. patris. Maximam partem thesauri misit Romam temporibus Beati Leonis Papæ. Et quicquid super hoc remanserat, Sacerdotibus & pauperibus, advenis & viduis, orphanisque omnia distribuit, nihil sibi reservans præter unam mensam argenteam, quæ triformis est in medio, quasi tres clypei in unum conjuncti: ipsam sibi retinuit ob amorem patris, & tamen eam datò pretiò redemit, quod NB. pro patre tradidit.*

Quæso te, haud perfunctoriè legas hæc verba, quibus haud obscure tibi panditur, Carolum M. *extremæ unctionis* oleo voluisse extremum inungi, filium verò Caroli Ludovicum Pium, ut pietissimè parentaret patri mortuo, in solatium *animæ* parentis M. plurima expendisse bona. Nonne nondum plenè *purgatarum animarum* poenæ etiam Carolo M. timendæ, & patrem & filium urgebant, hic ut liberandæ è purgantibus poenis animæ succurreret, ille ut extremo morientium Sacramento se ad mortis luctam pugilis instar præpararet? eum in finem etiam, ut loquitur Theganus, *Carolus M. extensa manu dextera,*

virtute qua poterat, signum S. Crucis fronti imprimens & super pectus & omne corpus consignavit. Quæro jam abs te Erdmanne, & ex te Hübner, an Carolus M. vestrâ sententiâ in Romana potius, quàm Lutherana Ecclesia Imperator Christianissimus diem clausit ultimum? Mallet, ut opinor, tam Erdmannus, quàm Hübnerus pronuntiare: In Lutherana veriùs, quàm Romana defunctum credimus Ecclesiâ; proximè enim moriturus præter geminam (ita repetimus) fortassis Sacramenti Eucharistici speciem adhibitam, prælegi sibi curavit S. Codicem, & ex hoc Prophetæ Regii Psalmos, procul dubio *meritis Christi* confusus plurimùm, quæ sanè sunt signa Luthero addictæ animæ. Faxo, ita hoc seculum claudatis, ut vobis ipsis illudatis: edicite enim, quid de *signo S. Crucis*, quid de *extrema unctione* (ita & mihi repetere liceat) quid de *purgandarum animarum pœnis*? quid de singulari affectu Caroli M. erga *Sedem Romanam*? quid enuntiandum censeatis de singulari ejusdem studio in Viros Religiosissimos D. Augustini & D. Benedicti, quorum operâ Christiana Sacra præsertim in Germania promoveri curaverat? Quid de sacris ædibus in honorem Deiparæ Virginis & Divorum erectis? quid denique de lectione frequentissima colligendum existimatis, quaolvebat libros D. Augustini, præcipuè verò illum, qui *de Civitate Dei* inscribitur? Amavit, ut fatetur ipse Erdmannus, librum hunc præ aliis ardentius Carolus M. (intellige etiam causam, Erdmanne) quòd in eodem legeret multa de Regibus, Judicibus & Patriarchis testamenti Veteris; item de quatuor Monarchiis, & in harum ultima de Romanis Imperatoribus iis præsertim, qui à Constantino M. usque ad D. Augustinum *Unum Verum Deum in Una, Vera*, hoc est *Romana* cœperunt adorare Ecclesia, ut pervenirent denique à civitate Dei terrestri in civitatem cœlestem. Ex quibus omnibus Carolo M. Catholicæ Fidei Regulam haurire copiosissimè licuit, minimè verò placita Lutheri, utpote quem ipsi septem sæculis postposuistis Magno Carolo, an tanto tempore ante Lutherum jam Lutheranano? Quæro hinc ulterius: an Carolum M. Beatorum choris adscriptum putatis, an in orci barathrum detrusum existimatis. Hoc postremum vobis simulque difficillimum, ut opinor, haud eligitis, dum con-

contrarium vestris in libris dilucidè satis pronuntiastis: supra sydera jure merito Carolum M. & plures Imperatores alios collocastis. Verumenimverò qua ratione *sub modio*, aut *scamno* latuit Christi Ecclesia, si super candelabrum fulserunt hoc IX. & aliis seculis tam lucidi, imò lucidissimi soles inter clarissima sydera, Imperatores nempe Romani inter plures, quàm sexcentas à Constantino M. ad hoc usque tempus prorsus nobiles, sanguinis nimirum profapiâ etiam illustrissimas animas, è terris in coelos, ut fas est piè credere, utique translatas? quarum aliquot cum prioribus seculis Lectori noscendas in compendio dederim, non abs re erit hoc etiam IX. seculo illustra nobilissimarum animarum exempla aut facinora, in Romana Ecclesia spectatoribus exhibita, in memoriam posteris revocare.

Reges ac Viri Principes seculo IX. ad Romanam Ecclesiam conversi, aut eandem præclaris facinoribus illustrantes.

Anno 803. Bardanes Turcus ab exercitu invitatus Imperator electus, deposito sponte sua Imperatoris nomine habitum monasticum induit, quem nihilominus contra datam fidem utroque orbavit oculo Nicephorus Orientis Imperator, aut tyrannus magis. *Theophan.*

An. 805. Theodorus Hunnorum seu Avarum Rex, post suscepta Sacra Christiana à Slavis petitis armis, confugit ad Carolum M. cujus potenti auxilio fuit defensus. *Annal. Francorum.*

An. 816. Contigit inventio Corporis S. Jacobi in Hispania auctore maximo Rege Alphonso Casto, qui per annos vitæ 85. regni 60. ut habet *Foresti*, mirum in modum auxit in Hispania rem Catholicam perpetuus amicus M. Caroli.

An. 820. Translatum est corpus D. Marci Evangelistæ per mercatores Venetos Alexandria Venetias inter præclara miracula. *Codex Vaticanus.*

An. 823. Basilius Leonis Armeni Imperatoris filius cum recepto sacra

crarum Imaginum cultu beneficium linguæ & vocis recepit. *Curopolates, Cedrenus.*

An. 826. Arialdus Danorum Rex unâ cum conjuge, & familia sua ad Christum conversus, Moguntia fuit baptizatus, & à Ludovico Imp. comitatu Frisiae donatus. *Sigebert. Aimoin.*

An. 842. Theophilus Imperator Orientis mortuus, poenitentiam egisse dicitur, quòd sacrarum Imaginum cultum dirè impugnâisset: hic ipse Imperator fertur fuisse liberatus purgatorii poenâs, Theodoræ conjugis & D. Methodii Constantinopolitani Patriarchæ precibus. *Gennadius.*

Eodem. an. facta solemnis introductio & restitutio SS. Imaginum ab Imperatore Michaële, quin hæresis Iconoclastarum penitus fuit extincta, postquam duravit annis 120. *Triodoon Græcum.*

An. 844. Ramirus Gallæciæ Rex Alphonsi Casti successor strenuissimus, miraculis plenam retulit de Saracenis victoriam, tributum virgineum denuo poscentibus, quod tributum luctuosissimum per annos 61. Hispani Saracenis non negarant. *Authores passim multi. vide Baron.*

An. 845. Bogaris Bulgarorum Rex à Cuphara viro insigni inter Bulgaros captivo, Christianorum Dogmatâs unâ cum subditis fuit ritè instruitus, & ad Christum conversus. *Curopolates.*

An. 847. Rex Etyvulphus Danorum ethnicorum excursionibus liberatus, Romam voto suo se exolvendi grâtiâ veniens, Romanæ Ecclesiæ fecit vectigalem suæ insulæ partem. *Matthæus Westmonasteriensis.*

An. 856. Lazorum Rex piæ peregrinationis causâ Romam venit ad Limina DD. Apostolorum cum donis regiis. *Anastas.*

An. 860. Ludovicus & Lotharius Reges de invasione bonorum à Carolo Rege facta D. Nicolao I. Pontifici conquesti sunt, datis ad eundem humanissimis literis, quibus inter alia eum *Dominum Sanctissimum, totiusque sanctæ Dei Ecclesiæ Pontificem, & universalem Papam nominârunt*, obtestati pariter, ut nihil sinistri unquam de ipsis crederet. *Baron.*

An. 866. Michaël Bulgarorum Rex ad Romana Sacra conversus, honorificentissimam legationem misit ad D. Nicolaum Pontificem, petens

tens ab eodem Doctores Catholicos; quibus igitur unâ cum ingenti librorum copia impetratis, maximus Bulgarorum numerus Romanæ sacramentum dixit Ecclesiæ. Eo ex tempore etiam locò caudæ equinæ S. Crucis signum vexillis suis Bulgari inseruerunt. *Baron.*

An. 867. Russi populi Scythiæ, ad Arctoum Taurum A. colæ, iterum divinitus castigati, errores suos dedocti, missis Constantinopolim Legatis baptizatis & Sacris Christianis imbui petierunt. *Curopolates. Zonar. Cedren. &c.*

An. 867. Christus Dominus Basilio Imperatori in somnis præsens, interrogavit severus Judex, ut quid occidisset Michaëlem Imperatorem ac Dominum suum? qua visione perterritus Basilius totum se impendit bonis operibus, simulque in honorem D. Michaëlis sacram ædem extruxit. Adhæc literas humanissimas ad Hadrianum II. dedit. *Luitprandus Ticinensis.*

Eod. an. Cùm electus jam fuisset Pontifex Hadrianus II. Legati Cæsarei conquesti sunt coram eodem, quòd ipsis insciis, ac in contemptum Ludovici Cæsaris electio Pontificia fuisset perfecta: unde conquerentibus datum responsum, haudquaquam in contemptum Imperatoris perfectam fuisse hanc electionem, sed ne ulli Principum Legati jus ullum prætenderent in electione Romani Pontificis; quod responsum probari sibi ostendit Imperator Ludovicus II. *Anastas.*

An. 869. Constantinopoli congregatum fuit Concilium Oecumenicum VIII. Synodo finitæ subscripsit post Legatos Pontificios & Patriarchales Imperator. *Anastasius, qui Concilio interfuit.*

An. eodem Salomon Rex minoris Britannia petiit ab Hadriano II. pallium Archiepiscopale pro Antistite Dolensi. *Histor. Britan.*

An. 870. D. Edmundus Angliæ Rex à Danis etiamnum idololatriæ in odium Fidei Christianæ occisus, miraculis claruit. *Matth. Westmonasteriensis.*

An. eodem Stephanus Basilii Imperatoris filius divinis se se mancipavit officiis, creatus deinde Patriarcha Constantinopolitanus, ob merita sua in numerum Divorum denique relatus. *Nicephor.*

An. 871. Æthelredus Occidentalium Anglorum Rex in tentorio regio præsens sacro Missæ officio, Danis hostibus ad pugnam jam pro-

cantibus, suis verò hostem jamjam instare monentibus, priùs responsum haud dedit, quàm Sacerdos sacrificium Missæ finivit, unde miraculis plena secuta est victoria. *Matth. Westmonaster.*

An. 873. Francofurti in conventu Episcoporum ac Comitum Carolus, Ludovici Germanorum Regis filius natus minimus, ab infernali spiritu fuit arreptus justò Dei judicìo, quòd in patrem insurrexisset nimium; liberatus tandem à Lindberto Moguntiae Archi-Episcopo laudatissimo. *Pitbeus Aimoinus, Annal. Francorum.*

An. 874. Danis, aut Normannis rursus regnum Angliæ invadentibus, Beorredus Merciorum Rex maximè probus suo regno pulsus, Romam advenit ibidem piissimè mortuus. *Ingulphus.*

An. 878. Gicro Danorum Rex devinitus victus ab Ælfredo Anglorum Rege, amplexus est Romana Dogmata, post susceptum baptismum Aethelstanus dictus: Aelfredus verò Angliam purgavit infidelibus fermè omnibus, introductis suum in regnum ex Gallia viris doctis, iisque Romanam Fidem explanantibus. *Roger. Annal. p. 1.*

Circa hæc tempora ad Christum conversi sunt Moravorum plurimi cum Suentopulchro eorum Principe. *Epistol. Joan. Pont.*

An. 882. Godefridus Normannorum Dux, consentiente Carolo Crasso, duxit Gisela Lotharii Regis filiam. Ducem eundem Christianum factum Carolus è Baptismo suscepit, cui hanc etiam ob causam Frisia concessa fuit ab eodem. *Aimoinus, Regino.*

An. 883. Aelfredus Anglorum Rex duplicem legationem misit cum donis & eleemosynis, alteram scilicet ad Limina DD. Apostolorum, alteram ad corpus S. Apostoli Thomæ in Indiam. *Matth. Westmonast. Henric. Huntindoniens.*

An. 886. Basilius Imperator vitâ functus est, qui etsi Photio Pseudopatriarchæ favisse legatur, tamen laudatur multis laudibus propter ædificatas plurimas ædes sacras, easque locupletatas; propter Indos ad Sacra Catholica perductos; ob Bulgaros in Fide conservatos; ob Russos Baptismi lavacrò lustratos non absque miraculo; dum Evangelii liber in ardentem fornacem immissus, nec per aliquot horas corruptionem admisit ullam. *Curopolates.*

An. eo-

An. eodem Leo filius Basilii Imperator humanissimas literas scripsit ad Stephanum Romanum Pontificem, quibus fratrem suum Stephanum creari Constantinopolis Patriarcham petiit: inter alia sic habuit epistola: *quoniam verò scimus, quòd à vestra Apostolica Sede corrigi, & juxta Canones corripì debemus: hac de causa humilibus his nostris literis tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas. Vid. an. 870.*

An. 890. Dux Britanniae Alanus pugnaturus adversus Normannos vocavit, se, si victoriam de hostibus reportasset, omnium suorum bonorum partem decimam Deo, & S. Petro destinaturum. Omnibus proin Britonibus idem votum probantibus tanta strage hostes fudit, ut vix 400. ex multis hostium millibus fuerint superstites. *Baron.*

Imperatrices, Reginae ac Principes feminae seculo IX. Rem Catholicam promoventes.

ANno 826. A Theodora Augusta Theophili Imperatoris conjugè, & D. Methodio Patriarcha Constantinopolis, funus D. Theodori Studitæ curatum, & post annos 10. corpus integrum Constantinopolim translatum est, tanto tempore nulla sui parte læsum. *Baron.*

An. 831. Theoctiste Theophili Imperatoris mater ob cultum Ss. Imaginum accusata, multa patitur à delatoribus, vitam tamen matri eripere, aut gravius in eam animadvertere non ausus fuit Imperator. *Curopolates.*

An. 845. Soror Bogaris Bulgarorum Regis aut Principis, Constantinopoli longo tempore captiva, & Orthodoxam Fidem edocta, fratri persuasit, ut cum subditis idololatriæ nuntium remiserit. *Curopolates.*

An. 866. Theodora Imperatoris Michaëlis mater in Divorum numero fuit collocata. *Baron.*

Circa an. 870. quatuor filiae Basilii Imperatoris, relictis seculi curis, monasteria fuerunt ingressæ.

An. 874. Beorredi Merciorum Regis conjux Regina, Ticini post di-

Etum Summo Pontifici sacramentum piissima morte fuit defuncta.
Scriptores Angli.

Eod. an. Engilberga Ludovici II. Imperatoris conjux Augusta Brixiae monialibus se junxit sociam.

Ex haecenus relatis deduces facile, Lector Historice, hoc IX. seculo ad Christi Aras accessisse identidem propius Danos, Northmanos, Slavos, Moravos, Russos, Bulgaros &c. Item confirmatos magis fuisse in doctrina Christiana Saxones, Francos, Suevos, Bava-ros, Gallos, Anglos, Hispanos, imò & partes occidentales ac septentrionales reliquas quoad sui partem non minimam. Denique in Orientis Imperio Religionem Orthodoxam praesertim sub Basilio Imperatore admodum floruisse; sub Imperatoribus verò reliquis nunc augmentum sumpsisse, nunc pressuras tulisse, ita tamen ut supremus Ecclesiae Defensor Christus multis etiam miraculis civitatem suam sanctam in Oriente & Occidente firmiorem reddiderit eo praesertim tempore, quo pro Ss. Imaginum cultu Catholici contra Iconoclastas etiam in carceribus & exiliis, inter secures & equuleos, inter Martes & mortes invictissime certarunt eam fortunam, aut longè veriùs Dei providentiã, ut Iconoclastarum haeresis hoc seculo penitus fuerit expugnata. Unde nulla ratione cum Luthero, Calvino, aut quovis alio dicere sustinebimus, hoc IX. etiam Imperatorum Romanorum seculo *lumen Fidei ademptum esse publico*; sed cum Carolo M. aut potius cum Psalmogra-
pho regio laeti cantabimus: lux orta est justo, & rectis corde letitia: letamini justi in Domino, & confitemini memoriae sanctificationis ejus. Ridebimus simul Erdmannum & Hübnerum simili ritu, quali D. Hipponen-
siu Præsul illusit paganis illis, qui Christianam Religionem non ultra trecentorum sexaginta quinque annorum mensuram duraturam esse finxerunt. Audi Præulis D. Augustini ironiam! Petrum maleficia fecisse subjungunt pagani, ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos, deinde completo memorato numero annorum sine mora sumere finem O hominum corda doctorum: ô ingenia literata digna ista credere de Christo, qui credere non vultis in Christum!

Seculum Christi Nati X.

IX. Ludovicus IV.

Ludovicus Arnulphi filius septennis parvulus ab Imperij proce-
ribus Imperator Forchemij in comitatu olim Bambergensi sa-
lutatus, sub tutoribus & curatoribus fuit Hatton Mogunti-
no Antistite, & Ottone M. Saxonum Duce, quibus Ludo-
vici moderator accessit Valdo Frisingæ Episcopus. Anno 900. post
mortuum fratrem Schvventeboldum Lotharingiæ regnò aliisque pro-
vinciis auctus, experientiã magistrã didicit, difficiliùs crebrò esse con-
servare, quàm acquirere regna. Circa annum 905. in Francia Orien-
tali exercitum duxit contra Albertum Bambergæ Comitem, Henrici
Aucupis ex sorore Baba nepotem, cujus belli origo erat, quòd Al-
bertus Rudolphum Herbipolis Episcopum è sua Episcopali Sede expu-
lisset, simulque Episcopi fratres Eberhardum & Conradum Conradi
I. Imperatoris patrem in pugnis occidisset. Arcta obsidio Alberto erat
subeunda, quam animo & viribus sustinuit eximiis, nequaquam vi-
ctus à Ludovico. Cæsareo igitur exercitu validior fuit fraus Hattonis,
qui ancipiti verborum sensu fallacique securitatis promisso Albertum in
castra hostilia pellexit, mandatò Imperatoris quamprimum eo in loco
capite plexum. Quàm tristis exitus hic Alberto, tam lugubris fuit al-
terius belli eventus Ludovico, qui Carolini stemmatis Imperator ulti-
mus, aut certè penultimus Imperatorum primus extitit; is Hunnis,
suis crebrò victoribus, grandem pecuniæ summam in annos promisit
singulos, ut pacem, Germaniæ praesertim tristissimam, non negarent,
postquam supra Danubij littora in Sueviæ & Bavarici finibus commissa
per triduum pugnã, & tandem amissã victoriã, ab Hunnis victoribus
in Germanos sævitum est ferociùs, quàm uspiam sæviit Attila, aut ul-
lus alius Rex Barbarus. Post pugnam desiderati magnò numerò fu-
re Duces & Equites nobilissimi, quibus Austria, Bavaria, Suevia &
Franconia inter copiosissimos luctus parentavit. Prope Augustam ce-
cidisse Leopoldus, aut potius victoriam amisisse fertur Austriæ Marchio;
in pugna verò alia prope Isenacum in Thuringia Burchardus Suevorum
Dux;

Dux; Gebhardus verò Francorum Dux in finibus Franconiæ ab hostibus pulsus, Germanorum continuas clades doluit. Tam lugubres igitur rerum eventus moerorem assiduum Ludovico attulere, & vires attrivere adeò, ut in flore ætatis nondum annos 20. natus an. Imperij 12. vitam jam suam, Salutis 912. absolverit sine tam luctuoso, quàm gloriosum erat M. Caroli exordium. Symb. *Multorum manus, paucorum consilium. Vid. Auth. cit.*

X. Conradus. I.

Conradus I. Conradi Francorum Comitis aut Ducis filius tametsi sanguinis nobilitate Caroli M. genus contingeret Ludovici I. ex filia abnepos, aut verius Arnulphi Cæsaris ex Conrado filio nepos, facinoribus tamen suis longè se pretiosorem fecit ferè universis in Germano Imperio Statibus, qui neglectò propinquitatis vinculo, quo Carolus Simplex Francorum Occidentalium Rex Magnum Carolum propius tangebatur, præ cæteris quibusvis æmulis Conradum Imperatorem Imperio præficiabant. Inter Electores Cæsaris eminebat Otto Saxoniae Dux Magnus, qui oblatum sibi prius Imperij diadema in Conradum optimè meritum transferri suavit, senectutem suam causatus. Conradus itaque Imperator sceptrum, quod ambivit minimè, conservavit ægerrimè, ad arma provocatus ab Hungaris & Germanis. Hos inter Henricus Saxo Ottonis filius Ducatum Franconiæ hæreditatis suæ partem sibi per vim & injuriam eripi conquestus, bellum movit electo Cæsari, quo in bello tam hujus, quàm illius virtus enituit, victoria tamen penes Henricum stetit, desideratis prope Merseburgum in pugna multis millibus ex parte Imperatoris. Æmulum Bavarie Ducem aggressus, eundem valida manu fudit fugavitque, qui penè exulum more in Pannoniam affugit, non nisi post Conradi fata in Bojariam rediturus. Animos & arma tam Henrico, quàm Arnulpho aliquamdiu sociabant Duces Burchardus Suevus, Eberhardus Franco, Giselberthus Lotharingus, qui tandem positis armis ultrò Cæsaris amicitiam sibi optarunt. Hungari an. 914. & 917. in Austriam atque Bavariam tentato impetu validissimo bis repulsi sunt; Verùm

verùm vice tertia fatigatum permultis aliis in Imperio hostibus Conradum eas in angustias compulere, ut coactus fuerit pacem verius petere, quàm postulare. Pugnando igitur nunc cum singulis, nunc universis hostibus suis vires & vitam attrivit adeò, ut ejusdem sibi finem immingere facillè animadverteret: morti itaque propinquus, Henrico prius hostium, nunc amicorum maximo Imperii insignia ultrò submitit; referens de se victoriam victoriis reliquis longè anteferendam. Cæterùm Conradus I. jura & bona Ducum Palatinorum, Marchionum, Comitum &c. in Imperio hæreditaria effecisse scribitur à nonnullis. Feudorum non minùs inter Germanos author fuisse perhibetur. Imperavit an. 7. mortuus Quædlinburgi an. 919. Symb. *Fortuna cum blanditur, fallit.*

Periodus V.

Complectitur Periodus hæc Imperatores triplicis præsertim nationis simul & stemmatis nobilissimi radices & germina, Cæsares nimirum Saxones, Francos & Suevos, quos omnes, quoniam Germanæ cognationis vinculo conjunxit natura mater in Augustis prosapiis Augustissima, ea de causa divortium inter eosdem non patietur Historia nostra; unde huic Periodo initium faciat

XI. Henricus Auceps.

Henricus Ottonis M. Saxonie Ducis filius unicus Aucupio, forsan & augurio operam dabat, dum Imperii augures ad thronum vocabant Aucupem ab aucupio deinceps nuncupandum. Imperator itaque non solum Conradi, sed multorum Germanorum Principum consensu Frizlarie electus, haud segnius hostes plurimos superare paravit, quàm prius aves ceperat; hostes enim Henrico se se opposuerunt Suevi, Bavari, Galli, Bohemi, Dani, Vandali & Hunni. Arnulphum Bojorum & Burchardum Suevorum Duces, ut amicos sibi quamprimum redderet, contra eos sapientiâ suâ magis, quàm armis pugnavit felicissimè. Carolum Simplicem Gallorum Regem restituta eidem Lotharingia, contra rebelles fortiter tueri

perrexit. Bohemi capta urbe regia, sub jugum fuerunt missi: Vandali ad mare Balthicum ingenti clade protriti: hostes reliqui omnes domiti, contra quorum irruptiones impofterum timendas, varios constituit provinciarum præfectos, quos etiam ipse Marchiones appellabat: unde ortum duxere suum Marchia Brandenburgica, Schlesvvicensis ac Misnensis. Hunnis hostium omnium pertinacissimis promissum à Ludovico IV. tributum animo imperterritò negavit, præhabens bellum æquissimum paci iniquissimæ: hostes idcirco barbari victi, atque ad novennij inducias ineundas coacti, cum foedus rumpere, sparsis latè per Saxoniam copiis ad internecionem deleti fuere: tributum verò aliàs Hunnis solvi solitum, unà cum spoliis hosti ereptis partim in ædium sacrarum cultum, partim in usus egenorum largissimè dispersum fuit. Hanc ob causam *Pater Patriæ* ab omnibus salutatus, veterem Romanorum gloriam & nomen instauravit. Cæterum ut Germaniæ Magnates ad tractanda arma identidem magis assuefaceret, ludos equestres Henricus primò instituit, mirè acuens industriam nobilissimorum equitum, qui magnò numero primùm Magdeburgi comparuere. Non minori solertia Ecclesiæ emolumento invigilabat; Vandalorum enim ingentem copiam dum vicit, ritè credere per victores suos etiam milites docuit; Danis verò & Northmannis in Fide languentibus constantiam suavitè & persuasit. In Imperio denique Romanæ Ecclesiæ incrementum dedit profectò maximum; unde Henricum Cæsarem hunc C. Baronius jure vocavit *decus Religionis Christianæ*. Coronam Imperij igitur, quam Roma haudquaquam negasset in Italiam venturo, cœlum cum fœnore obtulit, evocans è mortalium numero immortalis famæ Imperatorem an. Imperij 17. atat. 60. Redemptionis 936. Symb. *Tardus ad pœnam, ad præmia velox.*

Advertas velim hic, Lector benevole, discrimen authores inter Italos & Germanos; hi Ludovicum IV. Conradum I. & Henricum Aucupem in Serie Romanorum Imperatorum collocant; illi verò omiffis his tribus Guidonem, Lambertum & Berengarium numerant; quòd Imperatores Itali à Romanis Pontificibus minimùm invitis Cæsarium diademate fuissent ornati, minimè verò Germani. Verùm argumento hoc parùm commoti Germani Historici pergunt sua in Serie

con-

conservare Ludovicum, Conradum & Henricum, tum quòd aliàs multi Austriacorum Imperatorum forent excludendi ex Augustorum numero; tum quòd pars copiosa Imperatorum Græcorum omittenda esset; tum etiam, quòd post Constantinum M. pluribus seculis electio Romanorum Imp. ab Italis sæpè non fuerit expectata, minùs coronæ impositio; tum denique quòd tribus Imperatoribus Italis Guidoni, Lamberto & Berengario Pontifices Romani coacti magis, quàm sponte sua suffragium & ornamentum Cæsareum non negârint. Hæc tu, Lector amice, boni æquique consule, & Seriem Imperatorum nostram hac in parte corrigendam ne puta, ne corrigas authores centum.

XII. Otto Magnus.

Otto Magnus Magnorum avorum nepos, & filiorum Magnorum Pater, Ecclesiæ & Imperii incrementum majus primis in votis ferè constanter habuit, inter bella domestica & externa clarissimus. Eberhardus Bojariæ Dux, Henricus & Tancvardus Ottonis fratres, Giselbertus Lotharingiæ Princeps simulque Conradi Regis frater Imperatori novo bellum indixere, quorum partes firmabat quoque Fridericus Moguntia & Rothardus Argentinæ Præsul, quos tamen nunc singulos, nunc universos haud difficulter superavit unus Hercules fortissimus non tantùm contra duos; Bojorum enim Dux tandem gladio in pugna transfixus, Giselbertus victus, ac in fuga suffocatus Rheno, Fridericus in Fuldense, Rothardus in Corbejense monasterium intrusi, tumultuarii hostes alii fuerunt vel ad sui deditonem allecti, aut ad internecionem deleti: Tancvardus verò & Henricus Imperatoris fratres cum Ludolpho Ottonis filio primogenito & Conrado Sueviæ Duce atque Arnolde Schirensi Comite pertinacissimè pugnabant; donec eorum primus in Merseburgi castello obtruncatus, alter verò impetratâ bis veniâ partem Bavariæ in præmium deditonis accepit. Conradus oratione Cæsaris mitigatus, Arnoldus in pugna occisus, Ludolphus denique Frizlariæ in gratiam à genitore receptus, amissâ Suevia obedientiam, & in parentes pietatem regnis & regionibus deinceps antehabuit, D. Udalrici Augustani Præsulis emendatus monitis. Inter

Ii 2

hos

hos Germaniæ tumultus Occidentis Francos spes recuperandæ Austriæ inceserat; unde jam ex Alsatium regione hostis imminerebat, qui Ottonianis armis repulsus Argentinæ tristem belli exitum ominabatur; urbs enim hæc fortè ob Præsulem suum exauthoratum Ottoni plurimum infensa Hugonem Parisiorum Comitem adversus Cæsarem sollicitabat, dum hic Ludovico Regi conciliatus opem ferebat. Capta proinde urbs eadem à victore Cæsare ingentem stragem perpeffa est non jam Argentinæ magis, quàm (velut fert aliquorum opinio) Strasburgum vocata. Nondum hic armorum finis; in Bohemia enim & Italia hostis multiplex victorias promittebat Cæsari: in Bohemia Boleslaus D. Wenceslaum fratrem, quòd Christiana Sacra amplexus fuisset, dirè persecutus ante aras multiplicato crimine occidit. Ob tantum verò scelus ab Ottone victus, & Germaniæ Viris Principibus in custodiam datus, annum tributum Imperatori eo ex tempore solvit. Italiam universam cum tantorum Gestorum fama pervolasset, ejusdem Proceres unà cum Agapèto Pontifice Ottonem adversus Berengarium ipsimet Italiæ hostem gravissimum vocarunt, adjuncta legationi spe matrimonii cum Adelhaide relicta Regis Lotharii vidua celebrandi. His lætus nuntiis Otto cum florentissimo exercitu Italiam petiit: Adelhaide verò interea à Berengario capta, sed è captivitate ab amicis clam erepta, in arcem Canusiam post varia rerum discrimina sese recepit. Eò igitur cum copiis Berengarius advolans arcta obsidione latè omnia circumcinxit. Verùm intellecto Germanorum adventu obsidionem solvit, venturus tamen in potestatem Cæsaris, qui in Comitibus Augustanis jus supremum regni Italici Berengario primùm ademit annuò tributò contentus, postquam Papiæ an. 952. cum Adelhaide secundas Cæsar contraxit nuptias. Lapsis annis denuo furere Berengarius & Italiam infestare haud cessabat, animatus morte Ludolphi filii Ottonis, & turbis in Germania gravissimis. Secundò itaque in Italiam vocatus à Joanne XII. Pontifice Imperii coronam accepit, victo Berengario rursus veniam impertiens. Verùm vix in Germaniam redierat Imperator, Berengarius ferocior quàm aliàs, tum Pontificem tum magnam Italiæ partem suas in partes obscuris artibus traxit, usurpans Cæsaris nomen, quod Ottoni jam soli debebatur; qui ea de causa in Italiam cum exercitu

citu reversus pulso legitimo Pontifice Joanne XII. in Romanum solium promoveri curaverat Protonotarium Apostolicum Leonem VIII. parùm hic sollicitus de jure aut injuria universæ Ecclesiæ inferenda. Berengarius denique captus atque in Bavariam cum conjugè deportatus inter carceris tenebras mortem exspectavit. Lætiora longè tum Ecclesiæ tum Imperio fuere bella, quæ contra Hungaros à diversis Germaniæ Viris Principibus ex Hungaria evocatis gessit; quàm enim sibi placent arma Ottonis contra hostes hos barbaros suscepta, coelum ipsum haud obscuris signis monstravit, dum Imperator comitante Udalrico Augustæ Antistite Sanctissimo in campis Vindelicis copiosissimos hostes penitus prostravit, tribus eorum Regulis ex arbore suspensis. Ottonis clementiam experiri potius placuit Haraldo Danorum Regi, quem armis devictum Ecclesiæ devinxit, Romanis Aris regnum suum devotentem. De Ecclesia itaque & Imperio hoc etiam tempore meritis optimè Imperator, postquam Imperii & regnorum coronas simul & curas in filium Ottonem jam magna ex parte transfudit, è regno terrestri in coeleste ipse translatus, pro meritis coronam accepit immarcescibilem an. æt. 57. Imperii 37. Christi 973. Symb. *Aut mors, aut vita decora. Vid. Ditmar. Kranzium, Baronium, Forestium, Luitbrandum, Sigonium &c.*

XIII. Otto II.

OTto II. Ottonis I. hæres Princeps, jam in Germania Rex, in Italia verò coronatus Cæsar, minor patre Imperator, inter minores turbas Imperium auspicatus fuit, à curis tamen nequaquam securus. Henricus nimirum cognomento Rixosus Bavariæ Dux Ottonis patruelis coronam Imperij sibi deberi ratus, Frisingæ Episcopum hortatus est, ut Imperii diadema ritu inter Imperatores consueto sibi circumponeret. Vulnerum etiam ab Ottone Magno inflistorum sibi haud immemores Boleslaus Bohemiæ, Haraldus Daniæ, Henricus Carinthiæ, Miesco Poloniæ Reges ac Principes ut non potius Henrico, quàm Ottoni faverent, vix tandem persuasi quiescere, postquam Daniæ Regem Ottoni succubuisse, Henricum verò Tra-

jectum exulâsse, & custodiæ mancipatum fuisse intellexerunt. Hæc de rebus Germaniæ. Gallorum Rex Lotharius sua non minùs jura violari dolens, Ottonem Aquisgrani commorantem cum exercitu obruens, ut fugâ salutem quæreret, coëgit. Verùm Imperator collecto raptim exercitu Lutetiam usque penetravit, ac duorum mensium spatio Francia latè vastata, commissoque demum prælio nunc victus, nunc victor Lotharingiam Imperio arctiùs adstrinxit & subjecit, vel jam subjectam conservavit. In Italia præter insigne à literis nomen tria de hostibus retulit nomina ab amicis minimùm minimi habita. *Mortem pallidam Saraceni, Sanguinarium* & denique *Rufum* dixerunt Itali, quos debellare cunctos apprime noverat Victor Otto Severus: licet enim navali primùm prælio victus, atque à suis derelictus foret adeò ut ipse semet fluctibus maris haustus, & à pyratis, quos Græci idiomatis beneficio opem ac operam rogabat, susceptus fuerit, atque hac ratione mortis præsentissimæ discrimini magnâ pecuniæ summâ vix vitam eriperit & libertatem; hanc tamen adeptus collectis quamprimum suorum militum reliquiis Græcos simul & Saracenos penè inaudita clade afflixit: unde natum est *mortis pallidæ* nomen. Itatorum multos nunc in speciem amicos, nunc hostes apertos, partim armis, partim insidiis vicit, dum fraudum ac bellorum authores amicitiam & ipse simulans, ad epulas invitatos à satellitum suorum cohorte subito jussit occidi, haud ampliùs vultu præferens amicitiam. Hinc *Sanguinarium* & *Rufum* dixere Itali, ut verbis haud novis novam animi exprimerent sententiam. Verùm ut opinor, peperit tot hominum strages immaturam Cæsari mortem, quam vel animi mœrore, vel lento veneno enectus, oppetiit Romæ in flore ætatis anno nimirum 30. Imperij 11. postquam filium Ottonem ex Theophania Romani Græcorum Imperatoris filia susceptum an. ætatis 12. à Benedicto VII. Roman. Pont. coronari curavit. Brevi moriturus opes suas ab Imperij bonis divisas in quatuor distribuit partes, quarum duas Ecclesiæ, tertiam matri ac sororibus, quartam aulæ ministris ac famulis tradi mandavit. Mortuus an. 983. Symb. *Pacem cum hominibus, cum vitis bellum.* Vide Auth. *superius cit.*

XIV. Otto III.

Germani & Itali Ottonis III. inimici multi, Cæsarem hunc pusionem dixere; æqui è contrario rerum æstimatores plures vocârunt *Mirabilia mundi*. Inter Germanos Henricus Bavarix Dux partim sua sponte, partim aliquot Germanorum Principum consiliis persuasus, ut imperaret, Imperatorem suæ curæ subjici non modò petiit, sed postulavit, quin nolentem rapuit. Rapti obstitere Status, ut vocant, Imperij potentiores, qui restitutum sibi Ottonem Aquisgrani insignibus Imperij (Romæ ornandum annis proximis, cum Maria conjugè Augusta) ornârunt, industriam hanc laudante Benedicto VII. Pontifice. Inter æquos Ottonis æstimatores certè fuit Gregorius V. Pont. Max. qui inter Italiæ turbas Ottoni præter coronam Cæsaream ea concessit pacis foedera, ut Imperator deinceps non nisi à Germanis, iisque destinato numero Viris Principibus eligeretur: obtinuit proinde suum in Germania exordium Electorale, ut vocant, Septemvirorum Collegium, consentientibus in maximi momenti caput Gregorio Pontifice & Ottone Imperatore. Imò à Superis etiam immortale procul dubio jam inter mortales impetravit nomen; obtentâ enim de Saracenis, Campaniam Italiæ vastantibus, victoriâ, receptâque post victoriâ Capuâ, Arch-Angeli Michaëlis ædem in Gargano monte eximio cultu profecutus, coronam geminam in perpetuum anathema reliquit Princeps coronâ æterna dignissimus. Paris animi proposito in Poloniam usque profectus D. Adalberti miraculis clarissimi Præsulis sepulchrum petiit gratissimus Polonis hospes, quibus Boleslaum ex Principe creatum Regem dedit Polonis primum, remisso iisdem pariter tributo gravi, in annos singulos Imperatori hucusque soluto. Ex Polonia in Germaniam, ex hac in Italiam reversus, dum augmento Ecclesiæ & Imperij strenuam operam navare constituit, multorum incurrens odium, vix truculentam evasit mortem, seditiosis hostibus circumcinctus undique. Actum fuisset de salute Cæsaris, nisi Henricus Bojarix Dux & Hugo Thuscix Princeps sese seditiosorum furori opposuissent, suavi oratione tamdiu blanditi furenti turbæ, donec Imperator evadendi spatium nactus, præsentissimum declinavit vitæ pe-

tæ periculum. Non iniquum, licet severum admodum judicem ac vindicem probaverunt tum Itolorum permultorum crimina, tum scelera ipsius etiam Augustæ conjugis Mariæ Aragonicæ, quam adulterij & iniquissimæ delationis ream infami igne è medio sustulit Mutinæ, ut lucretet palam castimoniam & innocentiam fulgor. Verùm sublata è medio unâ non defuit foemina scelerum dux altera Crescentij Romani Consul nuper supplicio sublata uxor, quæ fortè Cæsari amica primùm, & ideò inimica nimum facta, eidem ex Italia in Germaniam reduci raræ artis chirothecas, sed venenò infectas mortis præsentissimæ causas misit. Finit igitur vitam an. 1002. Otto III. 28. annorum juvenis, Imperator annorum 18. Symb. *Unita virtus valet. Vide Authores superius cit.*

Reflexiones supra Seculum X.

EJa Erdmanne! eja Hübner! jucundam vobis ingredimur viam; in patriam vestram jam pedem intulimus, in Saxoniam campos medios penetra vimus; cavete itaque, ne pedes ad Saxum aut lapidem offendatis vestros; ego obicem vix mihi timeo insuperabilem: Saxa enim, quæ mihi ponetis obices, jucundis saltibus superabo facile. Imò tantas promitto vires post saltus hos meos mihi reliquas, ut grandia Saxa opponere vobis me posse non desperem. Ingens, ut advertitis, fiducia est mihi & spes victoriæ non exigua. Ad certamen igitur in arenam descendimus sine mora: veluti fundis vestros in me excutite lapides, objectiones vestras mihi sustinendas. En! non provocati magis, quàm provocantes Hübnerus & Erdmannus hos jam torquent in me lapides graves.

- I. Otto M. jure ab officio removit Joannem XII. Pontificem, cuius loco constituit Leonem VIII. *Hübner. fol. 816. Erdman. fol. 312.*
- II. Ottoni M. Leo VIII. Pont. restituit jura & bona omnia, quæ Romanorum Imperatores scil. Constantinus M. Carolus M. &c. Romanis Pontificibus indulgebant. *Hübner. fol. 817. Erdmann. fol. cit.*

III. Ot-

III. Otto Imperator accepit insuper potestatem à Leone VIII. constituendi Romanum Pontificem, & sic deinceps Imperator omnis. *Hübner. fol. cit.*

IV. Est querela *Politicorum* communis, quòd tres re & nomine *Magni* Imperatores, scilicet Constantinus, Carolus, & Otto M. Ecclesiam nimium ditaverint. *Hübner. fol. 819.*

Reflexio ac Responsio I. ad I.

DEposuisse, seu ab officio removisse Joannem XII. Pont. videri poterat Otto I. vos dicitis jure, ego injuriâ: quanto igitur tempore jus vestrum Imperatori à vobis assertum non demonstraveritis, tanto tempore me solatur possessio, ut injuriam illud appellare non nefas sit mihi, quod juris nomine vos appellastis. Pandite amabo, quis Ottoni M. *ab officio removendi*, aut, quod consequitur, *judicandi Joannem XII. Pont.* potestatem concessit? nominate simul tempus, ostendite locum, testes producite, ut appareat grandis hæc in quovis Cæsare potestas. Verùm ne iisdem ferè verbis idem repetatur locis pluribus, non grave sit legere, quæ superius in Reflexione IV. de Carolo M. diximus, & tum evanescet forsan in Imperatoribus subito omnis *potestas eligendi, judicandi, & deponendi Pontificem Romanum facultas*. Brevis igitur hic ero, paucis quæstionibus Hübnerum & Erdmannum urgebo; quæro itaque, si Otto M. accepit potestatem quacunque demum ratione judicandi Rom. Pontificem, an accepit solus, an simul cum Clericis, ita ut nec his sine Cæsare, nec Cæsari sine Clericis fas fuerit in jus vocare Pontificem? si reponitis, quòd *soli Cæsari* tanta sit data potestas, tunc enim verò urget vos quæstio altera, cur nempe Otto M. *Episcoporum multorum Synodum* coegerit; cur eorum consilia & sententias requisiverit; cur Joannem XII. ut veniret, rogaverit, seriò protestatus, de *juribus Ecclesiæ sacris* *judicium nequaquam institutum iri*? Nonne hæc omnia citatò foliò enarras ipse, Erdmanne, & testatum cupis? Quasi verò tamen supremum Ecclesiæ Præsulem etiam precibus in jus vocare, diem eidem dicere, Pontificis causam unâ cum Episcopis ventilare, sententiam ferre, deponere, atque adeò punire, non sit directè grassari in suprema Eccle-

R. P. Kolb Series Imp.

Kk

lxæ

fiat Jura, quæ omnia facta esse jure optimo ab Ottone I. & posse fieri ab Imperatoribus reliquis, tecum assent Hübnerus, & quis non Lutheranorum? Primo itaque ex duobus membro obstant hæcenus à me allata in contrarium argumenta. Quod si verò secundum dilemmatis membrum assumitis, & divisam cum Episcopis potestatem Ottoni in Romanum Antistitem conceditis, tunc vosmet mergitis in scyllam, ut evitatis charybdim: aliis enim foliis permultis vestris contenditis, Imperatoribus excluso quovis Clericorum aut Episcoporum assensu, jure assertam esse *potestatem judicandi, constituendi ac deponendi Pontificem*; quin, ut ex Hübnero & Erdmanno percepimus, Leo VIII. Ottoni M. concessit *plenissimam* facultatem eligendi Romanum Præulem. En chaos ingens in uno alterove Lutheranorum Historicorum folio! Mea verò hac in reflexione verba si obscura sint, clariora dabit fortassis hæc, quæ proximè sequitur Reflexio.

Reflexio ac Responso II. ad II. & III.

UT respondeatur hic Erdmanno & Hübnero, duo rerum capita veniunt prius in quæstionem: primum, an Ecclesiæ Protonotarius supremus in fugati Joannis XII. Pontificis solium promotus, & Leonis VIII. nomine vocatus, voluerit *restituere* aut *concedere* potius Ottoni I. eligendi Pontificis copiam. Secundum, an, si voluerit, etiam potuerit isthanc potestatem ab Ecclesia alienam facere. Nusquam venisse in mentem huic Leoni extemporaneo Pontifici, ut vel de bonis aut juribus Ecclesiæ quicquam cedat vel restituat Cæsari, innuit ipse Albertus Kranzius ab Erdmanno pro sua parte citatus, qui sic habet in Saxonia sua lib. 4. cap. 10. *Adversus ea antiquitatis testimonia consurgent, qui affirmabunt, præmissas (intellige literas à Leone VIII. Ottoni I. opinione sua datas) non esse Papales, sed adulterinas literas, quæ stylum Curie Romanæ non præferunt. Et mox sic scribit: Fateor & ipse, nonnulla esse in hac formula (Leonis VIII.) quæ ineptias præferunt. Sed quæso te, num meliora sunt, quæ in Corpore Decreti sub nomine Constantini præferunt illam immensam donationem Sylvestro factam in longa illa palea, Constantinus &c. Quamvis itaque Kranzius existimet, à Leone VIII. Ottoni Magno restituta fuisse bona illa omnia, quæ vel Constantinus Magnus vel quivis alius Imperator successor do-*

na-

naverat, de eadem tamen restitutione ipse ambigit, quemadmodum dubitat de Constantini donatione. Accedit quòd idem Kranzius sibi persuasum habeat maximè, hunc Leonem non vano vocatum Leonis nomine, sed æquè ac Constantinum Magnum legitimum Imperatorem, creatum ex legum amussi Pontificem, omnia secundum Juris & Justitiæ pondus & mensuram disposuisse. Verùm author hic Saxo nimium favisse Imperatori Saxoni abunde demonstrat, dum hujus favori & putatio juri postponit Ecclesiæ injuriam. Non habet proinde Erdmannus, cur confidat in Kranzii autoritate: Author is unus & talis, qualis sibi oppositos habet multos, ipse suos patitur manes, præsertim postquam corruptores passus est multos in folio suo & in folii margine, adeò ut in prohibitorum authorum venerit Catalogum, non tam suam, quàm libros corruptentium culpam. *Lege ipsum authorem, & Card. Bellarmin. de Scriptor. Ecclesiasticis.* Kranzio opponam hic ego C. Baronium, in cujus compendio Spondanus ita rem prosequitur: *(In quibus, in actis nimirum Conciliabuli, Ottonis I. autoritate congregati) quàm multipliciter peccatum fuerit, vix dici potest. Primò enim, cum iidem omnes, qui ei interfuerunt, Joannem agnoscerent ut Verum Universalem Papam, sicut suis ad eum scriptis literis sunt professi; unde ipsis cogendi Concilii facultas contra Romanum Pontificem absque ejus consensu? Rursus in quam Synodo, licet contra aliquem hæresiarcham convocata, non præcessit damnationem citatio trina? At Joannes bis duntaxat vocatus est, nec nisi semel repertus. Sed & cui reorum, quamvis vili homuncioni non ante sententiam aliqua data à jure perendina dilatio? Joannes tamen, eadem qua secundo citatus est die, damnatus est. Deinde in quam alia unquam Synodo petierunt Episcopi, ut Imperator homo Laicus virum Ecclesiasticum condemnaret, & non potius ab Imperatore postulatum est, ut à Synodo id ageretur? & tamen illud in hoc Concilio factum est. Præterea quis aliquando accusatus hæresiarcha, vel infamissima quæque persona convicta in Synodo absque sententia lata, omniumque subscriptione firmata, legitur è throno deposita? At hic nulla prorsus in Joannem scripta vel dicta sententia, sed simplici rogatione Imperatoris successor est ei datus. Et rursus qualis successor? quem videlicet Sigebertus ait, laicum adhuc fuisse, cum electus est Pontifex, contra omnia antiqua decreta.*

K k 2

Quin

Quinimò etsi cuncta ritè peracta fuissent, nonne sua sponte statim corruunt, cum ab excommunicatis ab eo, quem ipsimet verum Pontificem agnoscerent, constet esse peracta? & ubi unquam auditum, ut ab Orthodoxis Episcopis Prima Sedes, ipsèque Romanus Pontifex judicaretur? quod neque in accusationibus adversus ipsos Marcellinum atque Symmachum, aliòsque presumptum est, imò & in Conciliis tam provincialibus, quàm Oecumenicis declaratum esse, Sedem Apostolicam à nemine posse judicari, & in his, quæ ad mores spectant, totam causam Deo reservandam esse in Damasi Papæ judicio comprobatum fuisse superius demonstratum est. Denique quis dubitet, hæreticum esse dogma, asserere, propter peccata auferri à Pontificibus clavium potestatem, ligandi atque solvendi à Deo traditam facultatem? & tamen ipsi expressis verbis id professi sunt in literis ad Joannem post ejusmodi ipsos latam excommunicationem rescriptis.

Esto itaque Leonem hunc decrevisse, ut si quæ à Cæsare accepisset, Cæsari quamprimum restitueret Ecclesia, nunquam deinceps donatum repetitura, quid tum postea? qualis nempe Pontifex fuit hic Leo, tale decretum fuit Pontificis. Inane Pontificis hujus nomen, magis inane decretum! Id prius liqueat necesse est, an Imperator Pontificem ulla ex causa in jus vocare, hujus causam discutere, reum pronuntiare, sententiam ferre, sententiam exequi, supremum Judicem ab officio removere ullo unquam tempore potuerit, accepta unde unde demum potestate hac non humana, sed divina, non profana, sed sacra, non politica, sed Ecclesiastica, non Imperatoris, sed Christi summi Sacerdotis. Nodus hic Gordius non Imperatorum aut Regum gladiò solvitur, minùs eluditur, utpote implicatus ab eo, qui vinculis sacris ligat, & solvit suo cum Vicario etiam Cæsares. Talem sibi profectò non affinxit Constantinus M. Theodosius M. aut quivis alij hucusque verè Imperatores Christiani facultatem.

Mirabar etiam ego vehementer hic & aliàs Erdmanni & Hübneri sua in Historia constantiam: hætenus enim contendebant, Constantinum M. non Romæ fuisse S. Baptismatis undâ mundatum, atque adeò corruere vanissimum illum titulum Donationis Constantinianæ Pont. Sylvestro ex opinione Papistarum factæ. Impugnabant non minùs Donationes illas omnes, quas vel Carolus M. vel ullus Cæsares Romanæ Eccle-

sua

sua ex mente gravissimorum authorum fecerunt. Affirmabant hætenus iidem quoque, Imperatoribus æquissimè vindicatam fuisse constantem potestatem, si non eligendi, saltem confirmandi Pontifices Romanos. En tria Lutheranis Historicis famosissima capita! Nunc demum verò trium horum capitum & prius & posterius cum tertio vix auderent negare, si modò concedi sibi intelligerent, Leonem VIII. jure constitutum denique fuisse ab Ottone M. Pontificem: & mox ab hoc Leone Pontifice Ottoni Imperatori restituta omnia jura & bona fuisse, quæ unquam vel Magnus Carolus, vel Constantinus &c. donarat Ecclesiæ. O quàm remoti sunt à partium studiis præclari hi Historici! O quàm constantes in relatione, quàm pares sibi in affectibus!

Sed audiamus hic denuò in discordia minori Albertum Kranzium, qui de Ottone M. & Episcopo Halberstatensi olim in Saxonia potentissimo hæc refert in Saxon. lib. 4. cap. 7. *Patrata tam insigni de Ungaris victoria, ut gratior videretur altissimo Deo Rex, divinam rem ornare constituit. In Magdeburgo nunc insigniter instaurata urbe Episcopatum erigere moliebatur: quam Ecclesiam omnium Wandalorum metropolim ordinare decrevit. Translulit autem de Vallerstleve Pontificatum in Magdeburgum, illustriorem locum: nec putabat in sua provincia superesse quemquam super consensu interpellandum, paulisper in ea re vir militaris, alioqui circumspectissimus, lapsus: quòd secularis potestas NB. quæ secularia sunt administrat, & de prophanis, quæ Deo jubet consecrari, sacra facit: jam autem divinis usibus permessa, extra illius sunt ordinationem. Bernhardus Halberstatensis Episcopus ordinationi Regis se opponit, quòd in illius parochia esset locus, quem novæ voluit Rex diœcesi applicare. Faciebat augebátque Regi animos, quòd paterna ditione locus ad se pertineret. Erat etiam Burgravius de Magdeburgo, qui Regi permisit, ut eam arcem primæ conjugii donaret titulo propter nuptias. Rex non equè tulit, quòd auderet Episcopus suæ voluntati contraire. Captum ergo perducit jussit in Quedlenburg, & reclusit in carcerem. Sedit aliquamdiu bonus Pontifex in patientia, si fortè Rex ad cor reversus illum juberet relaxari. Venerat sacra dies Dominicæ Cænæ: recolit Episcopus divinorum, quæ in Ecclesia tum erant peragenda ministeriorum: jubet sacras sibi vestes afferri: paretur. Indutus orat advocari Regem: erat*

K k 3

enim

enim tum eò loci. Venit, arbitratus Episcopum mutasse sententiam, consensumque præbiturum ad rem, quam instituerat. Ubi Rex aderat, Episcopus elevata manu execrationem protulit & excommunicationem in Regem, qui manus intulisset Christo Domini. Nondum erant desuper constitutiones, quæ nunc sunt. Interdixitque sacris per omnem diæcesim. Rex amentiam interpretatus, quòd tale aliquid captus moliretur, primum videbatur rem excessisse cachinno. Ubi profundius cogitabat, sententiam Pastoris putabat non esse contemnendam.

Itaque jussit mox laxatum remitti ad Ecclesiam suam, & permansit res infecta per omnes dies, quibus supererat Episcopus memoratus. Hucusque Kranzius. Valeat nunc tibi, Erdmanne & Hübneri, authoritas Kranziji, quanti valere potest, quæ aliàs certè valuit vobis maximo pretio. Si ex Kranziji etiam sententia secularis potestas, quæ secularia sunt, administrat, & de prophanis, quæ Deo jubet consecrari sacra facit; jam autem divinis usibus permessa, extra illius sunt ordinationem, quo pacto Magnus Otto, aut ullus Cæsarum alius vel motu proprio, vel consensu alieno in Romanum Pontificem, in Ecclesiæ jura & bona acquisivit jus aut potestatem? si ex mente etiam Kranziji Joannem XII. Pont. curavit per Synodum destitui, & Leonem VIII. se nihil agente surrogari, Otto M. qua ratione ipse destituit, surrogavit? si ex hujus authoris testimonio Otto M. vir militaris, alioqui tamen circumspèctissimus, lapsus ex ignorantia magis quàm malitia peccavit in Episcopum Halberstatensem adeò, ut æquo animo tulerit anathema ab eodem Episcopo in se latum, nec ullam vim eidem, aut ejusdem Ecclesiæ inferendam esse deinceps ratum fixum habuerit; quantò magis præsumendum foret, si argumenta deessent alia, quòd Otto M. multa in Romanum Pontificem & Romanam Ecclesiam adversa permiserit magis, quàm commiserit ignorantia majoris, quàm malitiæ notâ notatus, præsertim si, ut alibi testatur Erdmanus, rudis fuit rei literariæ, & multò magis Jurisprudentiæ? esto itaque, fuerit visus Otto M. deponere Joannem XII. & Benedictum V. id profectò non tam suâ, quàm multorum aliorum fecit culpâ, qui nec Pontificum, nec Imperatorum jura callebant satis, homines obscuri, ferrei, plumbei in seculo obscuro, ferreo, plumbeo. Cæterùm quàm parùm Erdmanno opituletur Kranzius, Lector meminisse dignabitur.

Refle-

Reflexio ac Responso III. ad IV.

Dicebat olim nonnemo: O nos Medicos inter Doctores omnes omnium infelicissimos, utpote plurimorum diæteriis obnoxios! Dicam ego: ô vos Politicos omnium hominum penè infelicissimos, quot diæteria, quantæ calumniæ, & sæpe contumeliæ vobis sunt diffimulandæ! quanti difficultatum montes superandi, ut videantur peccasse minimè, qui in vos & regulas vestras peccant maximè *Pseudopolitici*, hominum fax extrema! Ne ægrè feras, Hübneri, si neque te hic locorum in sublimi admodum loco collocem, quoniam & tu audes dicere: est querela Politicorum communis, quòd tres nomine & re Magni Imperatores Constantinus, Carolus & Otto Ecclesiam nimium ditaverint. Cupis fortasse veluti tui socij Doctores Lutherani, videri & dici hic vir hic est, qui apprimè callet Græcorum linguam: descendamus itaque cum Græcis in Grammaticam usque, ut quæ sit significatio hujus vocis, *Politicus*, nos Græci doceant, utpote à quibus hoc nomen mutuum sumpserunt Latini. En! Politicum dixerunt Græcorum didascali illum, qui *rerum civilium peritus habetur*. *Pseudopoliticus* verò dixit illos, qui *Politicis* è diametro contrarij cupiunt videri tales, quales non sunt, rerum civilium nempe periti, cum sunt imperiti; Reipublicæ curam habentes, cum sunt negligentes; civitatum conservatores, cum sint earundem proditores; grande supercilium erigentes, & suo in cerebro totius orbis statum circumferentes, Summorum Pontificum, Romanorum Imperatorum, Regum ac Virorum Principum omnium arbitri & censores. Ad manus jam est nobis tam virorum *Politicorum*, quàm *Pseudopoliticorum* etymologia. Jam verò, Hübneri, perge cum tuis affeclis eos dicere *Viros Politicos*, qui arbitrantur, tres *Magni*, imò *Maximi* nominis Imperatores in *Politiæ* aut *Politicorum* leges peccasse nimium, dum ditârunt universam Christi Ecclesiam. Ex tua igitur & horum sententia honorificum *Politici* nomen nec promeritus est Constantinus M. nec Carolus M. nec Otto M. Cæsares nimium, ut tu ais, liberales. Advertisne Hübneri, quòd tua te ars Politica mergat, dum rerum Politicarum non benè peritos fuisse existimas eos Imperatores, quos tuis in libellis tamen crebrò ex omnium penè populorum concordia Cæsaris &

Impe-

Imperatoris Augusti, aut Augustissimi nomine dignissimos pronuntiasti? Num tu existimas, bonum Imperatorem aut Regem posse appellari eum, qui bonus civis vix esse didicit? Num civitati benè gubernandæ imparem putas eum, quem toties parem dixisti universo terrarum orbi frænando? Nondum notas, adverte, quantum pelagus ingressus præcipitem te dederis in profundum? tabulam fortassis tibi porrigent Imperatores, Reges aut Duces alii in Ecclesiam minùs profusi? Verùm dum ego tales inquirò in rem tuam Imperatores &c. tot mihi occurrunt in Ecclesiam liberalissimi, quotquot commendatos valde posteris Imperatores, Reges, ac Duces perlego. Non opus est huc apponere numerosos Virorum Principum catalogos, id unum hìc te Lectorem rogo, ut non graveris in Reflexionibus Seculorum ferè singulorum intueri Imperatores Orientis & Occidentis, Reges simul Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Sueciæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Electores insuper Imperii quosvis ferè, qui singulare à virtutibus nomen acceperunt; & absque labore gravi deprehendes ex omnibus facilè sexcentos, qui honori sibi duxerunt & gloriæ ditare Christianam Ecclesiam. Quid reponis, Hübnerè? nonne, nec tu inficiaris talia in tuis tomulis? an idcirco tui tecum Politici contra tot Viros Principes justas querelas movent? an in Ecclesiam profusos nimium, absque Majestatis aut Principatûs læsione appellant? an atrò calculò notant? hæret, ut opinor, tibi aqua in mediis angustiarum procellis. Codex igitur tuus, si Superis placet, sacerrimus te extricabit; sacra nimirum Scriptura à Luthero valde emendata, in qua si volvas libros Regum cum libris Paralipomenon, nec non alios etiam tibi Canonicos, deprehendes haud obscurè, quale nomen promeriti fuerint tres Magni Cæsares, Constantinus, Carolus & Otto. Tui tecum Politici queruntur hoc modo: profusa nimium liberalitate ditârunt Ecclesiam, atque adeò mente saltem tacita pronuntiant: hac minimùm in parte *Politici* non erant tres Imperatores hìc nequaquam Magni. Pronuntio autem & ego, igitur nec Persarum Reges Magni, Cyrus nimirum & Darius Hydaspes aut Assuerus, nec etiam Israëlitarum Duces, quin nec Salomon & David Regis *Politici* nomen fuerunt promeriti, quoniam nimiam auri copiam ditârunt Veteris Testamenti Ecclesiam. Errârunt

runt proinde etiam Prophetæ & Sacerdotes ac populus Israëlitis universus, dum eximiis laudum titulis extulerunt illos Reges.

Verùm necdum arridet tibi & tuis Politicis liberalitas Imperatorum ac Regum in Ecclesiam præsertim Romanam maxima: pluris æstimatur fortasse vobis Salomon in mille foeminarum palatiis, quàm in templi atriis; pluris fit vobis Assuerus magnificentissimas adornans epulas, quàm præbens hebræis in reparationem domus Domini auri laminas; vestros oculos rapiunt magis horti pensiles Reginæ Semiramidis, quàm frequentes Abrahami victimæ & sacrificia Moysis; animos vestros incendit prius Antonius cum Cleopatra celebrans nuptias, quàm Augustus Cæsar in honorem nati Dei Filii erigens aras. Paucis dicam plura: Politici tui ea, quæ sumptibus maximis consecrantur in aulis Baccho & Veneri, non carpunt facilè: at dum operosius litatur Deo & Virgini Virgini, canino dente quamprimum rodunt. Ecce tibi tuos *Politicos!* ecce tibi tuos civitatum conservatores, aut si mavis dicere proditores, non *Politicos*, sed *Pseudopoliticos*.

REFLEXIO V.

TAmetsi permultos & perlongos simul passus in Saxoniam, & vicinorum regnorum ac regionum campis spatiosissimis fecisse me rear, necdum tamen lassati sunt pedes; quin vigore valentes novo, in aulas Imperatorum, Regum, Virorum ac Foeminarum Principum penetrare amplius gestiunt, ut in parietibus excelsis novas easque sacras imagines, Divorum lipsana in hierothecis, abjectis idololatriæ libros Catholicos, destructis Deorum aris unius Dei altaria, verbo, aulas regias in ædes sacras fermè mutatas intueri, mirari & contemplari liceat non vitioso, sed piè curioso oculo. Ut verò curiositatis meæ fructus etiam in vos, Erdmanne, & Hübnerè, redundent, in compendio docebo hìc, quid conspexerim, quanta nimirum ac qualia Capita vel coronis regiis, vel virtutum radiis coruscantia Romanis Aris noviter accesserint, vel eisdem firmiter se junxerint, & alios propius adduxerint. En! paucorum ex multis seriem!

Imperatores, Reges ac Viri Principes seculo X. ad Romanam Ecclesiam magis conversi &c.

- A**Nno 901. Eadvardus Anglorum Rex cum toto suo exercitu Virginitatis custodem ac defensorem se exhibuit, pugnans contra Æthelwaldum monialis cujusdam raptorem. *Westmonasteriens.*
- An. 912. Berno Ord. S. Benedicti Cluniacensis Coenobij institutor primus morte defunctus est, antesignanus plurimorum virorum divitiis, sanguinis prolapiâ, scientiis & virtutibus præstantissimorum. Fundator ejusdem famosissimi Monasterii extitit Guilielmus Dux Aquitaniæ. *Glaber. Sigebert.*
- Eodem an. Rollo Normannorum Dux Religionem Christianam cœpit profiteri. *Westmonasteriens.*
- An. 913. Ragnerus Lotharingiæ Dux, invasor antea bonorum Ecclesiasticorum sacrilegus, præter insignem pœnitentiam cunctis exhibitam fundum dedit Monasterio S. Matthæi Trevirensis. *Baron.*
- An. 915. Ordonius Legionis in Hispania Rex, Alphonfi Magni filius, aulam suam regiam in cathedralem convertit Ecclesiam. *Ambros. Morales.*
- Henricus Auceps cum duxisset in conjugem viduam quamdam velatam, à Sigismundo Episcopo Halberstadiensi ad Synodum vocatus venit, & ab eadem sponsa conservanda abstinuit, ducens in thalamum D. Mathildem. Adhæc pœnitentiæ causâ Romam usque profectus est pedes. *Ditmarus.*
- Eodem an. Aethelstanus Anglorum Rex, intellecta Elfredi Ducis conjuratione, scelus negantem Romam misit ad Pontificem, ut se scelere purgaret: itaque ad aram D. Petri se innocentem perjurio testatus, mox in terram corruit paulò pòst mortuus; Aethelstanus verò insignem fecit donationem D. Petro. *Wilhelm. Malmesburiens.*
- An. 927. Alphonfus Legionis Rex sponte se regno suo abdicans in Monasterio privatam cœpit vitam vivere. *Ambros. Morales.*
- An. 929. Henricus Imperator lanceam, qua hominum Redemptoris latus fuerat vulneratum, partim minis, partim muneribus impetravit à Ru-

- à Rudolpho Burgundorum Rege. Hac freti lancea tam Henricus pater, quàm Otto filius adversus hostes progressi sunt sæpè victores. *Sigebertus, Luitprandus.*
- An. 930. Henricus Imperator Normannorum & Abroditarum Reges à se devictos & tributarios sibi factos Romanæ adduxit Ecclesiæ. Quin Henrici operâ Dani, Sueones & Gothi majori ardore receperunt doctrinam Christianam. *Sigebertus.*
- An. 938. Ramirus Legionis Rex præviis Angelis sub equitum schemate ante pugnam apparentium cæcîdit Arabum 80000. *Tudensis.*
- An. 945. Hugo Italiæ Rex in Burgundiam rediit, erigens ibidem monasterium, cui sese mancipavit. *Leo Ostiens.*
- An. 949. Haraldus Danorum Rex evidenti commotus miraculò, una cum subditis ardore majori Christianorum Dogmata recepit. *Witekind. Ditmar.*
- An. 950. Ramirus Legionis Rex sanctissimè moriturus ultrò se regno abdicavit: post sumptum indè Eucharistiæ Sacramentum has in voces linguam solvit: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc: Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Morales.*
- An. 961. Otto M. D. Mauritiæ & aliquot sociorum MM. sacra lipsana Magdeburgum allata singulari honore coluit. *Ditmarus.*
- An. 965. Mieziuslaus Polonorum Dux ad Christum conversus, author fuit subditis Polonis amplectendi Fidem Christianam. *Ditmar. Chromer.*
- Eodem an. D. Bruno Ottonis M. Germanus frater Archiepiscopus Coloniensis, olim inter miracula electus, non sine miraculis munus suum & diem obiit; ait enim *Ditmarus*, Brunonem vitâ defunctum mox D. Pauli intercessione assumptum fuisse in coelos.
- An. 971. Joannes Orientis Imperator SS. Georgii & Theodori auxilio Ruffos, Bulgaros, Scythas & Turcas contra Romanam Ecclesiam maximè foedere connexos singulari gloria triumphavit, in triumpho ductus Bulgarorum Rex finem regno suo imposuit. Imperator candidò vectus equò Deiparæ Virginis Imaginem supra currum triumphalem

lem collocatam fuit secutus. Eo ex tempore nummos aureos cudi iussit hac cum inscriptione Sanctissimi Salvatoris imaginem circumambiente: *Christus Rex Regum. Curopalat.*

An. 974. S. Romualdus Ravennas nobilissimo Ducum stemmate oriundus, post eximios virtutum progressus extitit author multorum Anachoretarum nobilissimorum, inter quos Petrus Urseolus & Vitalis Candianus Venetorum Duces cum Memmo suo tribuno an. 978. & 979. primò numerati sunt, postquam eodem hoc seculo Ursus & ipse Venetorum Dux seculo nuntium misit. *S. Petrus Damiani. Sabelius.*

Eodem an. Carolus Lotharingæ Dux, frater Lotharii Francorum Regis, adversus Hermenfredum rerum Ecclesiasticarum invasorem dimicans, non absque præsentissima Coelitem ope vicit & triumphavit. Invasores divina Nemesis jugiter persecuta miserando interitu omnes peremit. *Sur. in Appendic. ad Reg.*

An. 980. D. Haraldus Danorum Rex, postquam annis 50. regnavit, & Orthodoxa Sacra mirè propagavit, contra Suen filium, Christi & Christianorum hostem pertinacissimum pugnans, accepit lethale vulnus, ex quo festo OO. Sanctorum die vitam sanctissimè finit, eodem die jam inter Divos numeratus Martyres. Filius in Deum & patrem impius post varios casus, & ingentia rerum discrimina in Normannia, Anglia, Scotia aliisque regnis per annos omnino 14. tolerata, rediit denique suum in regnum convertus ad Christum, cujus honorem deinceps propugnavit, in Norvvegia etiam propagans Sacra Catholica. *Adam Bremensis.*

Non numerabo hoc præsentis, numeraturus forsan sequenti seculo Reges alios, Duces, Archiepiscopos, Episcopos & Abbates per multos seculo X. & XI. ex nobilissimorum stemmatum in Germania eo tempore florentium sanguine natos, qui cum zelò animarum ardentissimò, & virtutum splendore lucidissimo Germaniam penè universam cum vicinis regnis illustrarunt, vel in Divorum Catalogum inseri à Sede Romana, vel in Beatorum numerum ex populi minimùm sententia referri fuerunt promeriti. Convictus & illustratus virtutum eximiarum harum radiis Hübnerus ipse, vel invitus paucis, imò multis encomiis hos

hos ipsos Imperatores, Reges, Duces, Archiepiscopos &c. extollit. Lege proin mediis maximè seculis Seriem tam horum, quàm illorum, & absque multo labore invenies & hic Hübnerum sibi dissimillimum, inter Pontifices nempe frigidum, plumbeum, ferreum; inter Imperatores, Reges, Archiepiscopos Germaniæ calidum, argenteum, aureum, verbo *Ecclesiæ veræ simulque visibilis* nunc inimicum, nunc amicum, nunc assertorem, nunc inficiatorem.

Imperatores strenuè emulatae sunt Imperatrices, iisdem suis maritis pares, aut majores, quarum

Prima Theophania Leonis VI. Imperatoris conjux sancta, honores in Ecclesia publicos impetravit; hujus enim in honorem jam ipse Leo magnificum erexit templum. *Curopalat.*

Secunda Mathildis Henrici Aucupis conjux, Ottonis M. genitrix sancta an. 973. fatis concessit.

Tertia Imperatrix Æditha Eduardi in Anglia Regis filia, Ottonis conjux Augusta prima, quam post mortem miraculis claruisse testatur *Ditmarus.*

Quarta Adelhais Rudolphi Burgundorum Regis filia, Ottonis conjux secunda, quæ eodem jam mortuo vixit adhuc annis ferè 30. & ipsa deum in Divorum veniens numerum.

Quinta Theophane Ottonis II. conjux pientissima, qua hortante restituit Otto III. Filius Merseburgo jura Episcopatus. Eadem animarum in vita altera purgandarum perpetuò in precibus memor, nihil non egit, ut Ottonem II. maturè nimis mortuum, & fortè poenis purgantibus nondum liberatum, suis piis operibus liberaret. *Ditmarus.*

Omitto hoc loco maximi nominis mulieres alias, quæ in C. Baronio, Cusino & authoribus aliis lectori occurrent.

Erdmanne, Hübner! ecce vobis viros, ecce vobis foeminas, Imperatores & Imperatrices, Reges ac Reginas, Duces & Ducibus pares Amazones, non magis purpurâ suâ Imperium, quàm virtute sua Ecclesiam Romanam illustrantes! Gratulâre igitur, ô vetus Saxonia, tuos tibi & toti Imperio ac Ecclesiæ Romanæ Imperatores, quibus ante duas

circiter annorum centurias ab hoc Seculi decimi fine Christianissimum fecit exordium Witekindus tuus Magnus, finem verò dedit, & initium seculis retrò secutis fecit sanctissimum Henricus Sanctus. Tu verò, nova Saxonia, à veteri nimirum Saxonia longissimè diversa! Majorum quæso tuorum monumenta inspicere, dicta eorum recale, facta rememora, Doctores pariter eorundem & doctrinam in memoriam revoca, singula, si potes, respice, ut te gnaviter circumspicias, & tunc demum ex te quæras: hoc X. & priori seculo Imperatores & Reges nostri vel à via Fidei, vel à via Veritatis unà cum suis innumeris subditis aberrârunt, vel veritatis secuti sunt in Fidei tramite eum, qui est *Via, veritas & vita?* Dilemmatis hujus partem si priorem eligimus, errâsse turpiter dicimus Witekindum M. cum suis successoribus Wigeberto filio, Brunone nepote, Ludolpho pronepote & abnepote Ottone M. aliisque Saxoniarum Ducibus plurimis; insuper cum suis *seris* nepotibus Imperatoribus tribus Ottonibus & duobus Henricis, non annumeratis viris Principibus aliis ex nobilissimo *Magni Witekindi stemmate* in Dania, & tum huic vicinis, tum remotis provinciis, præclarè descendentes. Concedimus ex eodem argumento, errâsse vehementer Carolum M. cum suis filiis & nepotibus; hallucinatos fuisse cum hoc suo Cæsare gloriosissimo Reges multos ac Duces cum Viris & foeminis illustrissimis; multos hominum milliones in Saxonia, in Germania, in Romano Imperio universo &c. Tot coronata, tot etiam à nobis innumeris laudibus ornata & millies celebrata Europæ universæ Capita cum subjectis populis suis, inter quos etiam Majores nostri floruerunt, ob deficiens lumen Fidei ad inferorum barathrum damnata & præcipitata dicimus. O dura Saxonum Historicorum sententia! Sin dilemmatis partem posteriorem accipimus, palàm pronuntiamus, etiam seculo IX. & X. Fidei lumen necdum subtractum fuisse Saxoniarum, Romano Imperio, toti Europæ, atque adeò confitemur hoc loco, quod negavimus locis hætenus omnibus & deinceps, nempe Ecclesiam ex *Christiana* usque ad Seculum XI. non abiisse in *Anti-Christianam*. Lucernam Ecclesiæ necdum positam fuisse *sub modio*, sed positam super *candelabrum*, ut *lucet omnibus, qui in domo sunt. Matth. 5. 15.* Quid respon-

spondes hoc loco nova Saxonia, nova Dania, & quotquot estis novæ in Dogmatis Fidei provinciæ Germanicæ? omnibus placet *antiqua M. Witekindi prosapia*; cur non magis placet *antiqua Witekindi Fides?*

Seculum Christi Nati XI.

XV. S. Henricus.

Henricus II. Ottonis M. ex fratre Henrico pronepos, Henrici Rixosi filius, Bavariorum Dux & decus, à prima ætate jam magnus, D. Wolfgango Ratisbonæ Episcopo discipulus placuit maximopere. Anno 995. Bojariam, anno 1002. Imperium moderari cœpit, dignissimus Princeps tanto Ducatu & Imperio. Obstantes tamen Henrico, velut plerisque aliis sceptro dignissimis usvenire consuevit, æmuli multi, Benno nimirum seu Bernhardus I. Saxoniarum ex Billingorum genere hæres, Theodoricus Lotharingiarum, Hermannus III. Sueviarum, Eckardus Thuringiarum Duces, uno Henrico omnes inferiores, quoniam hujus virtutes erant superiores; quæ Imperij Electoribus ita placebant, ut omnibus ferè præplaceret. Henricus à Wiligisio Moguntiarum Archiepiscopo quamprimum coronâ ornatus. Ex æmulis manus dedere citius Benno & Theodoricus, tardius Hermannus, Eckardus omnium tardissimè, qui Northemiorum Comitum insidiis oppressus, caput amisit, futurum hostibus ludibrium. Æmulos excepere hostes Henricus Francorum Dux, Bruno Henrici Imp. frater Augustæ Episcopus, & Boleslaus Polonorum Rex Principatum Bohemiæ rapiens. Henricus itaque Franconiâ suâ pulsus & captus, in arce Witensteiniana libertatem antetulit Bojariæ Ducatui, quem paulò antè ab Henrico Imperatore non tam petebat, quàm postulabat incassum. Bruno frater fratri conciliatus, dum veniam petiit, Straubingam Bavariorum urbem impetravit, aut ipse donavit Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Canonicis, quam postliminio Bavariorum Dux 30000. fl. redemit. In Italia Arduinus ex Berengarij stemmate hæres regios honores ambiebat, acceptâ è Papiensis Episcopi manibus coronâ; cum in Palæstina tunc temporis age-

ageret Arnulphus, Mediolanensium Antistes, Regibus Italiæ imponens coronas ex more & jure antiquo. Henricus igitur in Italiam vocatus, Ottonem Carinthiæ Ducem cum militum manu non satis valida misit ab hostibus vincendum.

Annò elapsò Henricus ipse suscepta expeditione Italiam petens adventu suo hostes fugavit, amicos veteres confirmavit, & novos sibi conciliavit exquisita virtute magis, quàm armorum robore, quæ nulli amplius, quàm Ticini ingruente nocte quadam insonuere, & quidem tanto strepitu, ut ipse jam ibidem coronatus Imperator periculum præsentissimum evadere coactus, saltu ex sublimioribus urbis moenibus se præcipitem dederit, laxato ex eo lapsu crure, quod Claudii deinceps nomen peperit Henrico. In Germaniam redux subito occupavit Bohemiam, ex qua fugatus Boleslaus inuasor, constitutus verò populis Dux Jaromirus. Cum Balduino Flandrorum Comite, & mox cum Adalberone Cunegundis Imperatricis fratre Trevirensis Ecclesiam invadente pugnatum fuit non minùs prosperè; in præliorum enim altero victoriam nobilitavit clementia victoris in victos; in altero in Ecclesiam zelus triumphavit contra sanguinis affinitatem, dum fugato Adalberone affine suo, Megingaudum Trevirensis Ecclesie Præpositum in Trevirensium Archi-Episcopum eligi curavit, convictus meritis majoribus. In Italiam denuo, quin tertio ut veniret, rogatus, auxilio fuit Ecclesie & Imperio; Gregorius enim quispiam autoritate Henrici commotus à turbando Pontifice cessavit, Benedictus verò Pontifex à curis liberior Romæ coronam imposuit geminam Augustis Capitibus geminis Henrico & Cunegundi in Ecclesiam Romanam tunc & aliàs liberalissimis. Vice tertia Vandalos & Græcos cum Saracenis domuit ter victor gloriosissimus, ter Italis hospes gratissimus. Pugnas hætenus alatas superavit facilè amicitie certamen illud, quo Henricus Cæsar & Robertus Galliæ Rex laudatissimus prope Massipontum supra Mosæ fluminis littus certaverunt adèd, ut tam hic, quàm ille obsequiis regis alter alterum prævenire optarent unicè. Firmata ibidem pax inter Germaniam & Galliam fuit eo Cœlitum favore, ut per quinque ferè secula Galli cum Germanis amicitiam colere perseverarint. Unde non nisi uberrimus fructus ex hoc & alio multiplici pacis foedere redundavit

in

in Christi Ecclesiam jam ipso imperante Henrico: præter confirmata enim Romanæ Ecclesie dona & jura olim regia fundum dedit Episcopati Bobiensi in Italia, frequens auxilium tulit Misnensi, Hildesheimensi, Argentinensi, Magdeburgensi, Merseburgensi; Bambergensem verò regis sumptibus erexit, & eidem de amplissimis redditibus prospexit penè Archiepiscopis Bambergæ æquans Episcopum, soli nimirum Romano Pontifici subiectum. Quin si Viterbiensi Historico sit fides habenda, mille templa extruxit; adèd Imperator hic dum Imperium firmabat, Religioni Christianæ incrementum majus dabat. Profuit ea Religionis cura potissimum Hungariæ regno; Gisela enim Cæsaris soror germana Stephano Regi conjuncta Orthodoxæ Ecclesie junxit cum Rege subditos, nunquam destituta fratris Henrici consiliis & auxiliis, unde novo ornatus elogio Hungarorum Apostolus dici meruit Imperator, certò certius deposito Imperatorio diademate in religioso habitu sparsurus Apostolorum more Evangelii semina, nisi Præsulum quorundam consiliis à proposito Ecclesie & regnis magis noxio, quàm proficuo fuisset absterritus. Laudem haud postremam promerita fuit Henrici liberalitas in egenos ignobiles juxta ac nobiles; illos enim persæpè opibus, hos honoribus juvit: exemplo erant Babonis Abenspergensis in Bojaria Comitis triginta duo filii, genitoris ad certamen equestre omnes Comites, quos sibi commendatos Eques Supremus Cæsar dignè extulit, alios togâ, alios sago ornatos. Loco postremo miretur Lector Historicus ea, quæ sibi primum vendicant locum tria nomina in Henrico, *Cæsaris* nimirum, *Conjugis*, & *Virginis perpetue*. Tale ac tantum Ecclesie Romanæ & Imperii decus annis imperavit 22. mort. an. 1024. vixit interris 52. Imperatricem, Conjugem & Virginem perpetuam, qualem nempe ab Ecclesia acceperat, Ecclesie restituens cum dictis ad Episcopos morientis Imperatoris lectulum circumstantes prolatis: *Recipite, quam mihi tradidistis, virginem vestram!* Symb. *Ne quid nimis.* Vid. *Dittmarum, Kranzium, Leonem Ost. Baronium, &c.*

XVI. Conradus II.

Conradus hic vel à regione Francorum Salica, vel à lege, quod incertum, Salicus dictus, virtutibus magis quam opibus abundare constanter studuit & Dux, & Ducum deinde maximus Imperator; primum enim Imperii sui diem virtutibus verè regiis ornavit, omnes eos in gratiam recipiens, à quibus etiamnum Dux offensam acceperat, ajens: *Germanorum Regem non oportere ulcisci injurias Franconie Duci illatas.* Eadem die obvios sibi factos miseratione tres homines dignissimos, *pupillum, agricolam, & viduam* miseratus, eos, qui ad Imperatorem aditum negabant, his castigavit verbis: *Simite me personam agere, quam mihi Respublica imposuit; neque enim dignius possum aspiciari Imperium, quam in cultu justitiæ ac misericordiæ.* Coronatus deinde ab Aribone Moguntiae Præfule Imperator, ut securè imperaret, Italos & Germanos armis petere quamprimum oportebat. Atque per opportunè relata de Italis, præsertim Mediolanensibus & Parmensibus, victoria Conrado accidit; coronam enim, quam Imperatorum aliqui vel semel tantum capiti suo imponi optarunt, ter suo impositam capiti tulit coronatus, Mediolani, Modoetiae & demum Romæ à Joanne XVIII. dicto XX. unà cum conjugè Gisela. Dicit huic jucundissimo ornamentum addidère maximum Rudolphus Burgundiae & Canutus Angliæ Reges, quos inter medius D. Petri Basilicam ingressus, Romani Imperii insignia induit. In Germaniam ex Italia reverius dum in Principes contra edictum Cæsaris interea armis sese infestantes sedulo inquisivit, eorundem reos partim exilio, partim custodia castigavit. Eminuit inter seditiosos æmulos privignus Conradi Ernestus II. Suevorum Dux, qui licet jam altera vice victus, vindictæ tamen magis, quam victoriæ avidus bellum Cæsari absenti & præsentì movebat, à bellis non cessaturus facile; paratus citius cadere, quam cedere; unde in sylva Hercynia tandem occisus cecidit, Ducatu Sueviæ in fratrem Hermannum autoritate Cæsaris translato. Non minus severè animadvertere decrevit in Regem Hungarorum D. Stephanum, qui quòd Emericum ex Gisela Henrici Imperatoris sorore nepotem suscepisset, Bavariam suam dicere parabat non tam suam, quam aliorum culpam, quibus tamen

tamen veniam precante Rege facile concessit Imperator. De Frisiis deinde tumultuantibus & Cæsaris provincias invadentibus sumpta vindicta, ac mox de Polonis; Miesco enim impositum sibi jugum detrectavit, regium assumens nomen, verum facile amisso nomine regio & regno fugit ad Bohemos, ut vim Conradi effugeret, cui fratre Ottone mortuo conciliatus iis fuit pactis, ut tertia Poloniæ totius parte contentus duos potentiae socios admitteret, sic in officio permanens. Interea Rudolphus Burgundorum Rex ultimus, Gisela Imperatricis avunculus concesserat fati, ante fatalem diem missis regni insignibus ad Henricum Conradi Imp. filium, cum Rudolphus hæredibus se destitutum doleret, Burgundia itaque ex regno mutata est in regionem, seu provinciam, postquam per centum quadraginta quatuor, aut si Cuspiniano credimus, centum triginta annos à Carolo Crasso decem numeravit Reges, receptura regni nomen, cum Carolus IV. Imperator fasces tenebit. Et si adeo Conradus regna potius nova acciperet, quam amitteret, tamen mortuorum Cæsarum plus memor, quam futurorum, Henricum in frequenti Procerum Germanorum conventu Aquisgrani in Romanorum Regem eligi curavit, quibusvis Electorum dissensionibus viam præcludens. Inter expeditiones belli frequentes, quibus præsens omnibus aderat Conradus, implens pariter munus Ducis ac gregarii; omnium fuit ultima, quam in Italiam adornavit provocatus ab Italis perpetuam sui Regis & Imperatoris absentiam inculantibus, quæ ansam præberet Vicariis infirmos suppressendi, in potentiores sæviendi. Ægrè tulit Imperator querelas ad seditionem proximas, & vix ullo ex capite æquas, præsertim eas, quas Mediolani, Parmæ & aliis in urbibus moverant in perniciem Germanorum Itali, inter quos ipse Mediolanensium Archi Episcopus Heribertus, & Dux Capuæ Pandulphus, nec non Tusculani Comites Imperium Cæsaris detrectabant, aut horum ultimi tiaram saltem Romanam sibi hæreditariam optabant. Gravissimam in his potissima Italiæ pars vindictam expectabat à Cæsare sumendam, quam dum non sumpsit, multorum odium incurrit Conradus, & fortè etiam Dei vindictis, qui lue pestifera reducem Cæsaris exercitum afflixit plurimum, & Cæsarem ipsum Ultrajecti prostravit morbo lethifero an. Imperii 15. Christi 1039. Symb. *Omnium mores, tuos inprimis observato. Vid. authores cit.*

XVII. Henricus III.

Henricus tum à nigricante facie, tum cæsarie Niger vocatus haudquaquam denigratus ab Historicis, sed albô calculô, aut calamô notatus fuit, à prudentia, clementia, Religione & quibusvis virtutibus laudatus, ita tamen, ut suus sit locus exceptioni. Abdicato Bojarix Ducatu, eoque in Henricum VII. translato, simulque Sueviae Duce Ottone II. dicto, Germaniam nactus quietam annorum 22. juvenis in Bohemos quamprimum duxit exercitum à patre jam paratum. Verùm ob difficiles eosque perpetuos saltus in angustias simulque insidias hostium delatus copiosus Germanorum miles partim captus, partim trucidatus fuit ingenti Imperatoris luctu, qui ex tristi bellandi exordio tristes eventus ominabatur plures. Fortunæ igitur, quæ juvenum amica aliàs dici solet, haudquaquam fidens, ad Superos confugit, populum ipse provocans exemplô suô, & constituens viros religione præstantes, quos instar Moysis ad coelum manus elevare, cum milites pugnarent, iussit, ut in terris pugna, in coelis pararetur victoria. Precibus & gladiis obtenta victoria Bohemix Proceres, & demum humana ope destitutum Bretislaum Ducem eò permovit, ut dum veniam ab Imperatore petiit, gratiam singularem cum pristina dignitate impetrârit, nunquam magis vincens, quàm sic victus à victore suo. Hæc agente per Bohemiam Imperatore, in Hungaria Petrus D. Stephani Regis filius aut propinquus tyranno, quàm parenti sancto primùm similior, ob asperam regnandi methodum fugatus à subditis venit ad Henricum supplex, supplicas, quales paulò antè contra Imperatorem Bretislao misit, à Clementissimo Cæsare rogans & simul impetrans. Crebris proinde opus erat expeditionibus iisque difficillimis Henrico, ut Ottônem Hungariæ invasorem, licet crebrò victum, & ad ingenium tamen continuo redeuntem, & populi studiis firmatum solio pelleret, Petrum verò restitueret. Victoriâ in Hungaria ultimam Ratisbonæ coronide clausit laudatissima; ea enim in urbe triumphali pompa exceptus cum Psalte Regio Deo honorem ac gloriam tribuendam omnem ratus dixit: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam;* qua de causa parabilem vestem indutus, nudis pedibus omnia ejusdem urbis templa ingres-

ingressus circumivit, trahens ad sui imitationem exemplô suô quosvis Cæsare minores. Tum verò ad turbas Italiae disturbandas conversus, ultra potestatis suæ limites progressus est: ut enim Benedictum IX. Sylvestrum III. & Gregorium VI. sive legitimos, sive putativos Pontifices, parùm anxius, de suprema Ecclesiæ dignitate litigantes penitus excluderet, Suidgerum Bambergæ Antistitem Clementem II. dixit Pontificem, à quo simul cum Agnete Augusta conjugæ Romani Imperij coronam accepit. Vix in Germaniam rediêrat Henricus, in Italia jam fatis concesserat interea Clemens II. Sed & Popo natione Bavarus Aquilejæ Patriarcha Cæsare Clericos Romanos urgente electus Pontifex, & Damasus II. vocatus, vix annum unum cum dimidio Romanum occupavit solium, fortè diutiùs inter vivos superfuturus uterque, si Ecclesiæ fuisset relicta libertas eligendi Supremos Præsules. Commendatus deinde à Cæsare Electoribus Pontificiis Comes de Tachsberg Alsata, Tullensium Episcopus Romæ jam celeberrimus successit in Romano solio Leo IX. vocatus. Verùm & hoc Antistite post 5. annos jam extincto, Gebhardus natione Suevus, illustri Comitum de Calb propria oriundus, Eustadij Episcopus, annitente Imperatore creatus Ecclesiæ Caput, dictum Victor II. miraculis non minùs, quàm D. Leo IX. inclaruit. Ab hoc ipso Pontifice Henrici patris Henricus quinquennis filius in Germania coronatus Rex, prodromus fuit coronæ brevi eripiendæ genitori Cæsari, quem subito mœrore occupatum, aut veluti aliorum habet opinio, grandiore panis bolo aut quopiam ciborum genere noxio fauces occludente extinctus fuit. Verior opinio eorum est forsan, qui asseruerunt, post Henrici exercitum à populis Septentrionalibus, quos Luititios Vandalos vocârunt, devictum, auditô de gravissima suorum clade nuntiô, Cæsarem brevè exspirâsse. Morienti solator ipse in Germania præsens Victor Pontifex accessit an. Imp. 17. ætatis 39. Salutis 1056. Symb. *Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.* Vid. *Otton. Frising. Kranz. Baronium.*

XVIII. Henricus IV.

Henricus IV. etsi annos ætatis 55. duntaxat moriens numeraverit, inter Imperatores tamen meritò senex fuit vocatus, quoniam annos ferè 50. imperando implevit Imperatorum penè omnium infelicissimus denique factus, dum Jure Pontificio usus & abusus est, venditis palàm Ecclesiæ muniis, nihil veritus Simonix scelus & Ecclesiæ repetita anathemata, quibus ex Ecclesiæ gremio ejectus est à Gregorio VII. Victore III. Urbano & Paschali II. gravissimas ob causas, eamque principem, quòd Guibertum Ravennæ Episcopum longissimi schismatis Pseudo-Pontificem totis viribus contra Romanos Pontifices malè constituisset, & pejus propugnasset Cæsar in juventute malis moribus jam depravatus adeo, ut in naturam alteram habitus pessimi abièrint, nunquam nisi exitu vitæ forsan exuti. Eò usque profectò pravitas ejusdem progressa, aut potiùs à virtutis tramite regressa fuit, ut Germaniæ Proceres ab Henrico alienissimi exauthorato eodem Rudolphum Sueviæ, & hoc sublato Hermannum Lüzelburgicum Lotharingiæ Ducem in Imperatoris solio collocandum esse judicârunt. Ipsamet denique Agnes Mater Augusta & duo filij Conradus Italiæ, Henricus verò Germaniæ Reges creati pugnarunt contra patrem, hi nimirum armis, mater verò poenitentix lacrymâs, quas in Urbe tanquam in orbis teatro publico copiosissimas fudit, testatura dolorem ob natum & educatum malè filium, quem Imperij draconem fore non inania prænuntiârunt prægnanti somnia. Ut igitur filium Henricum deinceps ornarent Imperij insignia, Henrico Patri luctuosissimum, sed simul etiam necessarium in modum detracta sunt Ingelhemij. De throno indè in carcerem ductus pertristi vitæ finem imposuit tristissimum ligatus adhuc Ecclesiæ vinculis. Corpus exanime Leodij, ubi mortuus fuerat Henricus, tumulo illatum, sed jubente Henrico Cæsare filio exhumatum, & Spiram translatum annis 5. sepulchrò caruit, felix animus, si huic coelum longè citiùs patuit. Symb. *Multi multa sciunt, se autem nemo.* Laudes Henrici IV. hoc ferè comprehenduntur compendiò: decretoriis pugnis numerò 62. præsens adfuisse fertur, in quibus longè sæpiùs victor evasit, quàm victus succubuit.

buit. Ernestum Strenuum Austriæ Marchionem Imperij Priorem dixit ob sua in Imperium merita: templum etiam Spiræ maximum impensis ingentibus extruxit in extrema paupertate Cæsar mortuus, an. Incarnat. 1106. *Vide authores 30. in Serie Romanorum Pont.*

Reflexiones supra Seculum XI.

Heu mihi! grande periculum mihi nunc demum metuo; duos enim, quos prioribus Seculis sæpè meos in via Historica comites & amicos comitabar, nunc mihi omnino contrarios intueor gigantes, gigantes suis passibus velut unum de pygmæa cohorte territantes. Erdmannus & Hübnerus nempe Saxones Historici duo, vix ullo alio Imperatorum Romanorum seculo audaciùs insurgunt, & velut in arenam provocant Historicos Pontificios, quàm hoc præsentis seculo. Percipite, obsecro, utriusque gigantis causam, audite sententiam, argumenta obstupescite, tum tribus his numeris contenta, tum in Reflexionibus secutura.

I. D. Henricum Imp. cum Cunegunde Augusta conjugè perpetuam custodisse castitatem, meritò creditur esse inane figmentum, cum in finem excogitatum;

Ratio Erdmanni prima: Ut Monachi suam castè vivendi normam aliis magis acceptam redderent; cum mos usitatissimus fuerit illo tempore, tales fabulas fingendi & in vulgus spargendi.

Ratio secunda: Henricus eo fine & animo duxit Cunegundem conjugem, ut ex eadem Imperatori filium, & imperio Successorem susciperet: igitur locum non habuit hic castitas perpetua.

Ratio tertia: Si Henricus custodisset castitatem perpetuam, peccasset utique in legem Matrimonij, quod nefas foret suspicari de Imperatore virtutibus addictissimo. *Erdman. fol. 352.*

II. Henricus III. absque Romanorum Pontificum repugnantia jus suum eligendi ac confirmandi Pontificem Imperatorum omnium ultimus liberè exercuit. *Hübner. fol. 836. Erdman. fol. 375.*

III. Henricus IV. per annos 30. in rebus omnibus injurias gravissimas.

simas passus est à Romanis Pontificibus & horum partibus; pars igitur Hildebrandi & reliqua Pontificia est rea maximè & nocentissima; Henrici verò Cæsaris partes sunt absque culpa & noxa. *Erdman. & Hübner. pluribus foliis.*

Reflexio ac Responso I. ad. I.

Divini Spiritûs oraculum est Matth. 12. v. 34. *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* Quale sit os Erdmanno, in ejusdem libro plurimis patet ex foliis: os igitur cum vel ex ipso Divino oraculo sit cordis ostium, Erdmanni cor patescit nobis non minùs, quàm os ejus patuit hætenus aut calamus, cordis vix casti ostium. Fidem abundantissimè faciat Lectori Erdmanni folium 315. ubi de Ottone M. & folium 364. ubi de Henrico III. item folium 380. ubi de Henrico IV. atque aliis multis paginis verba & facta refert castis auribus admodum gravia.

An non sic se res habet, Erdmanne! an non Henricus & Cunegundis coronata in terris cœlisque Capita Beatissima displicent tibi, quòd fuerint Augusti Conjuges, & tamen Virgines? Ita planè tu citato tuo folio ostendis, & quod ostendis, tribus potentissimis (scilicet) rationibus munis, autoritate hìc destitutus totus. Verùm, adverto, gravem tibi infero injuriam, cum assero, te destitutum esse autoritate totum: dum enim D. Henrici gestis coronidem imponis, in rem tuam citas *Kranzii librum 4. Saxonie c. 35. Ditmari lib. 5. & 6. Otton. Frising. lib. 6. c. 26. Sigebert. Gemblac. Egnat. &c.* Sat multi itaque authores velut præfidiarij milites tuam circumcingunt arcem. Fateor, si ita res habet, gravis injuria à me est illata tibi, fateor, habes authores multos abundè, si semidecas authorum faveat tibi. Verùm enim verò lubeat paucissimis inspicere Albertum Cranzius authorem Saxonem à te quoque magni æstimatum & hìc citatum. Is in citato à te cap. 35. ita habet: *Hunc ergo Henricum Imperatorem Scriptores multis efferunt laudibus, quòd optimus Christianissimisque Princeps cum Cunigunde Uxore virginitatem servaverit: traduntque Henricum & Conjugem post obitum*

tum miraculis coruscasse. Eod. cap. inferiùs ita prosequitur: *Cunegundis deinde post aliquot annos tumultata est cum marito, Virgo cum Virgine. Cujus rei ferunt tum auditum in aère testimonium, cum vox (incertum unde) instreperet, cede Virgini Virgo locum. Res digna miraculo, in maritali thoro asservatam in finem usque vitæ Virginitatem.* Hæc Cranzius.

Saxon. lib. 4. cap. 28. hæc recenset: *Per quæ tempora Henricus Rex cum prolem nec haberet, nec habere NB. contenderet (qui cum Cunegunde Regina in Sanctimonie thori munditia victitaret) Christum sibi constituit hæredem relinquere: nam Bambergensium primus erexit & dotavit Episcopatum, in quo constructa solenni Ecclesia, nunc ipse cum conjugè quiescit, &c.*

In *Metropolis suæ lib. 4. cap. 2.* ita refert: *Merseburgo indè in Corbejam reflexus (Henricus) obviam habuit Cunegundem, contiboralem specie, sed pudicitia sororem, ambo enim continenter vixere.*

Idem lib. *Metropol. 4. c. 13.* hæc ait: *Cum jam ante triennium emigrasset (è vita) Henricus Imperator, qui Bambergæ tumultatus est; secuta est illum non multis post annis Cunegundis uxor, filia Comitis de Rheno Palatini, Virgo perpetua. Celibatam enim servavere per annos omnes conjugii, quomodo Joseph & Maria, Chrysanthus & Daria. Nec desunt ista miracula (quod scio) nostris temporibus: laus æterna Deo! Hæc omnia Cranzius, & his similia multa aliis suis libris & foliis.*

Ohe! quàm claris atque præclaris verbis & laudibus D. Henrici & D. Cunegundis hymenæos castissimos extollit Cranzius, horumque conjugium cum Deiparæ & D. Josephi conjugio comparat, miraculis etiam illustratum commemorat, ac denique suo quoque tempore talia exempla non deesse testatur! Cum Cranzio autem hac saltem in parte consentiunt Ditmarus, Otto Frising. & reliqui authores ab Erdmanno in fine gestorum Henrici II. allati. Qua igitur fronte & Cranzius & reliquos omnes suæ cupit esse testes Historiæ? hi profectò omnes cum centum aliis authoribus tum antiquis, tum recentibus, tum sacris tum profanis D. Henricum *Cæsarem, Conjugem & Virginem* fuisse testantur. Erdmannus Virginem fuisse negat, tot insuper habitis authorum testimoniis ad rationes omninò futes confugit, & tamen Historiam suam illis ipsis authoribus suffultam videri cupit, ut fidem à Lectore impetret,

R. P. Kolb Series Impp.

Nn

Adver-

Advertisne Erdmanne, quàm belle quadrent omnia? quàm fideliter citatos tuos liber contineat authores? & demum qualem temetipsum vendas authorem?

Jam quantum robur insit triplici rationi tuæ, considerandum est paucis. Ais primò: Monachi, ut castè vivendi normam persuaderent aliis feliciùs, finxerunt, Henricum Imperatorem & Cunegundem fuisse *Conjuges*, sed simul *Virgines*, cùm hic fingendi modus illo tempore fuerit usitatissimus. Respondeo ad rationem tuam tibi, Erdmanne, & audacter sic pronuntio: hætenus rationibus nunquam ausus fuisti pugnare, & hac in parte prudenter equidem: nunc verò, dum ratione triplici coepisti certare, ratione haud simpliciter temet coepisti privare: aliis enim foliis tu & tui socii castè vivendi methodum vix homini possibilem dicunt authore & doctore ac executore Luthero: hic verò ita negatis. Aliis foliis Monachos dicitis pigros, otiosos, molles, fornicarios, adulteros, &c. Hoc autem loco castitatis promotores agnoscitis esse tales, ut in ipsis etiam conjugibus perpetuæ castitati locum inquirent & inveniant. In aliis suis paginis Hildebrandum seu Gregorium VII. Pont. castitatis authorem ferè primum ac principem saltem inter Clericos & Monachos permultos extitisse contendunt, & tamen hoc loco fatentur, ante Gregorium VII. fuisse jam morem fingendi etiam inter conjuges multas reperiri Virgines summo loco natas, ut Virginitati majus esset pretium. Fuit enim verò mos vetustissimus & venustissimus in Romana Ecclesia non fingendi, sed verè narrandi, laudandi & mirandi, Virgines reperiri etiam inter conjuges summò locò natos. Nec inficias ibis, Erdmanne, si dicere denuò non tergiverseris ea, quæ dixisti jam V. seculo fol. 167. de Martiano & conjugè ejus Augusta D. Pulcheria, quæ etiam te teste nupsit sponso Augusto Imperatrix, conjug, virgo perpetua. Plura exempla desideranti dabunt plura secula hoc in præsentì libello, adeò ut non solum Germania, sed etiam Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Dania, Polonia, Bohemia, Hungaria, aliæque regna & regiones non careant exemplis castissimis inter conjuges simul & Virgines facilè reperiendis. Profectò ipse Hübnerus suis in tomulis de D. Henrico & Martiano Imperatoribus, ac de Alphonis duobus Hispaniæ Regibus apertissimè fatetur, quòd Augusti &

Re-

Regii hi sponsi sponfas Virgines duxerint, & Virgines perpetuas conferarint. Quantum igitur chaos inter utrumque, Erdmannum & Hübnerum hic sit præsertim, quis est qui non palpet?

Ruunt proinde in profundum magis, quæ nunquam stare poterant, rationes tuæ, Erdmanne, reliquæ: quo enim fine aut animo suas conjuges duxerint Virgines D. Henricus, Martianus, Alphonis duo, &c. si Erdmannum latet, haud quisquam miretur; latet nimirum heterodoxas animas maximè, quantus sit castitatis candor & decor, & esse possit etiam inter connexas conjugio animas: hæ quippe junctis animi & corporis viribus, verbis D. Pauli excitata, *carnem suam crucifigunt cum vitis*, ut quæ Dei sunt, quærant, in carne angelis penè pares: illæ verò Lutheranorum plerorumque, aut certè plurimorum animæ carnis voluptatibus immersæ non capiunt, quæ sunt spiritus! princeps earum finis est inter carnis illecebras non tam multiplicare gentem, quàm carnalem lætitiã. Conjugum è contrario Catholicorum multi cum viro sapiente Sap. 4. v. 1. & seq. cantare solent: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum.*

Ab sit igitur procul nimiùm religiosa sollicitudo tua, qua timuisti homo scrupulis obnoxius valdè, ne si Henricus in castitatis perpetuæ leges jurasset, hoc ipso in leges matrimonii peccasset. Peccatum tuum scandalo Pharisæico est perquam simile: Pharisæorum mos erat *culices excolare, elephantos verò deglutire*: ipsissimum mundi Servatorem criminis postulare, si quando cum peccatoribus ipsi fuerat sermo, interea tamen Pharisæi valde anxii inter scelera luxuriabant. Fac igitur persuadeas tibi, Erdmanne firmissimè, nec Deiparam cum Christi Nutritio Josepho, nec D. Henricum cum D. Cunegunde, nec multos alios simul sponso & Virgines peccasse in leges Matrimonii à Legislatore Christo instituti, esto, peccaverint in leges consortii à Martino Luthero & Catharina sua præclarè introducti.

Nn 2

Refle-

Reflexio ac Responsio II. ad II.

PRò dolendum est, quòd Erdmannus sibi acceperit nomen, non verò in se susceperit munus Historici: Historicorum videlicet munus ante alia exigit, ut scapham scapham dicat, nihil falsi addat, nil veri sua ex culpa adimat Historicus, alias fabulator futurus & fabula. Qua de causa, si personarum, ut loquimur, temporum, locorum & alias rerum circumstantias Henrici III. Imp. Historiæ addidisset Erdmannus, nec quicquam omisisset, tunc opinor, appareret Lectori, an Henricus III. Imperatorum fuerit primus, an ultimus, an verò omninò nullus, qui absque lucta, aut Pontificum repugnantia jus eligendi, aut confirmandi Romanos Pontifices usurpavit. Constat abundè ex hoc Romanorum Pontificum seculo, quantis machinis ac machinationibus Tusculani Comites Pontificiam dignitatem velut hæreditario jure sibi debitam suis filiis & nepotibus nunc aurò mercari, nunc dolis furari, nunc armis arripere annisi sint, ut nimirum potentiores adversarios vi supprimerent, simpliciores circumvenirent, Simoniacos denique Mammone sopirent. Quare evenit, ut Joannes XVI. Joannes XVIII. Benedictus IX. & haud multis laudibus laudati Pontifices Alberici Tusciæ Comitis molitionibus in Romanum solium eluctati sint. Hos secuti Gregorius VI. Sylvester III. & alius Joannes nomine in partes dissecuerunt Ecclesiæ Electores adeò multas, ut tribus aut quatuor in speciem Romanis Episcopis tres aut quatuor fuerint in Urbe sedes, cum tamen Sedes Pontificia ne quidem duos capiat. Ut igitur Ecclesiæ sua rediret quies, Cæsaris armis opus erat; tanta fuit inter Italos Tusciæ Comitum authoritas & potentia, non nisi à Cæsare subjuganda. Cæsar idcirco cum exercitu in Italiam invitatus & vocatus non tam ea fecit, quæ ipse primùm, quàm quæ Clericorum Romanorum multi jam à Conrado II. Cæsare fieri exoptarant: abdicante se namque omni Pontificia potestate Gregorio VI. Sylvester & Benedictus III. partim morte, partim felici sorte fuerunt remoti, aurò venales Episcopi, evecto in Pontificis solium Clemente II. Bambergæ quondam Episcopo, in hujus verò mox mortui locum succedente Damaso II. Leone IX. Victore II. & demum Stephano IX. omnibus Germanæ nationis Pontificibus,

in quibus promovendis procul dubio authoritas & majestas Henrici III. maximi fuit momenti & primæ considerationis; cum Imperator faceret, quod fortè potior Clericorum pars optaret, & facerent Electores Pontificii multi, quod optabat tum Imperator summa necessitate meliora consilia superante & silentibus inter arma legibus Ecclesiæ multis. Quò major hæc credendi appareat authoritas Historicis novis Saxonibus, Saxonis antiquioris, scil. *Cranzii Saxonie lib. 4. c. 40. 41. 42. &c.* aperio, ut legant rem totam à me hætenus ex eodem & multis aliis authoribus allatam. Vide etiam *C. Bellarmin. C. Baron. Spondan. &c.* Libertas itaque, qua Henricus III. usus est in promovendis aut conservandis Romanis Præsulibus, haudquaquam sibi locum vindicat inter tabulas Juris Cæsarei: adjutor fuit Cæsar, non author sua sponte aut libertate electionis aut confirmationis Pontificiæ: hæc enim jura cum sint & fuerint constanter sacra, inter viros sacratos quietem & pacem sibi semper deposcunt pristinam; aut si vim patiantur, auxilium à Cæsare & Regibus petunt ac postulant etiam, ut tam sacrum, quàm profanum in Ecclesiæ & Imperij corpore brachium sibi sint auxilio mutuo, non autem impedimento: ut item conjunctis utriusque brachij viribus procul ab Ecclesiæ foribus areeantur hæreses, schismata, tumultus publici ac seditiones Reipublicæ mala extrema. Vide Reflexiones seculorum priorum.

Reflexio ac Responsio III. ad III.

INter postrema mundi hujus mala haud postremo loco numerandum venit malum, quo mortalium animi partium diversarum studiis mancipati iis parùm sunt dissimiles, qui à stygio arrepti genio non nisi miraculis curantur & liberantur. Adeò lanè in multorum etiam doctorum virorum animis radices persæpè egit infelix lolium, malè concepta opinio, ut vel nunquam eradicetur, nisi virtus altior manum admoveat operi, & securim applicet ad radicem penitus eradicandam. Est profectò pessimè radicata opinio, quæ de Gregorio VII. & Henrico IV. tam altè infixæ fuit Lutheranorum authorum cerebris, ut citiùs centum annos quercus evellas, quàm opinionem unam hanc de Gregorio malè sentiendi ipsis adimas. Ratum, fixum, statutum est; *Hil-*

debrandus Hellebrandus est nocentissimus, Henricus IV. Imp. est Metellus innocentior: ita firmiter persuadent sibi Hübnerus & Erdmannus, quoniam stat pro ratione voluntas. Actum fuit tam de Pontificis, quam Cæsaris causa abundè multum à me in Romanorum Pontificum Serie, etsi me actum agere apprimè noverim. Agam nihilominus etiam hoc loco de utriusque causa denuò, etsi denuò actum me agere non ignorem. In publicum quippe prodire gestit comperta veritas, & planum ac patentem amat campum, etsi fructus eidem persæpè suus non respondeat in plano ac patenti campo, hoste superseminante zizania. In Romanorum Pontificum Serie præter allata argumenta complura triginta numerò authores antiqui testimonium dixerunt pro Gregorio VII. contra Henricum IV. In Romanorum Imperatorum Serie nunc omissis iis argumentis & XXX authoribus facilè XXX. Viri ac Foeminae Principes testimonium pariter dicent adversùs Henricum Cæsarem pro Gregorio Pontifice. Viri autem hi Principes ac foeminae cum sint Germani natione & Germanæ fidei, procul dubio impetrabunt à Germanis fidem Germanam.

*Viri Principes Ecclesiastici, qui pro Gregorio VII.
steterunt contra Henricum IV.*

- I. Weizilo, Elector Imperij Moguntinus in sui persecutione passus est plurima ab Henrico IV. Vid. *Hübner. tom. 7. fol. 52.*
- II. Ruthardus, Elector Imperij quoque Moguntinus ab Henrico in exilium pulsus novem annos numeravit exul. *Hüb. fol. 53.*
- III. Udo seu Ado, Elector Imperij Trevirensis. *Hüb. fol. 671.*
- IV. D. Anno II. Comes de Sonnenberg, Suevus, frater Werner Archiepiscopi Magdeburgici, moderator quondam Henrici IV. Cæsaris. *Hüb. fol. 794.*
- V. S. Bertholdus, Comes de Helffenstein, Slavorum & Vandalorum Apostolus, Archiepiscopus Salisburgi.
- VI. S. Thiemo seu Ditmarus, Salisburgensis Archiepiscopus, miraculis etiam servatus à gladio Henrici IV. gloriosus tandem Martyr occubuit. *Hüb. fol. 46.*

VII.

- VII. S. Benno Misniæ Episcopus per annos 40. refragatus est Henrico, pertingens ad annum ætatis 96. mortuus denique an. 1106. cum Henrico Cæsare. *Hüb. tom. 8. fol. 853.*
- VIII. Wernerus Comes de Sonnenberg, frater D. Annonis, Archiepiscopus Magdeburgensis, licèt ab Henrico in Sedem Archiepiscopalem promotus, nihilominus contra eundem suum Augustum Patronum unà cum Saxonum exercitu longo tempore pugnavit, & tandem in prælio cecidit an. 1078. *Hüb. tom. 8. fol. 488.*
- IX. Wernerus, Comes Thuringiæ, Episcopus Merseburgensis, constantissimè, defendit Rom. Pontificis partes; præsens fuit tribus decretoriis pugnis, in quarum una captus & vestibus spoliatus penitus, ac in vincula datus, tandem tamen liber dimissus, sumptis denuò armis Rudolphum Cæsarem defendit contra Henricum; eundem Rudolphum morientem solatus Christianorum more, & brevè mortuum tumulo recondidit honorificentissimo. *Hüb. tom. 8. fol. 709.*
- X. Henricus II. Augustæ Episcopus laudatissimus ab Henrico IV. contra datam fidem, aut potiùs ab inimicis suis Cæsaris Consiliariis crudelem in modum occisus est, quòd Agneti Imperatrici acceptissimus haberetur. *Histor. Augustan. & Bremens. Vid. Hübner. fol. 384. tom. 7.*
- XI. Gebhardus Dux Zeringensis Constantiensis Episcopus, qui annis 13. in exilio constantiam servavit. *Hüb. fol. 436. tom. 7.*
- XII. Wigoldus Augustæ Episcopus licèt à Welfo Baviariæ Duce defensus, multa tamen dura passus est sub persecutore Henrico. *Hübner. tom. 7. fol. 388.*
- XIII. Albertus Comes Schardingensis, Episcopus Herbipolensis, 40. annis laudatissimus, qui constantissimè restitit Henrico IV. sæpiùs professus, *malle se mori millies, quàm Henrico assentiri.* *Hüb. fol. 168. tom. 7.*
- XIV. Albertus I. Wormatiæ Episcopus, Rudolphi Cæsaris frater. *Hüb. tom. 7. fol. 237.*
- XV. Albertus II. Wormatiæ Episcopus ab Henrico promotus, sed dein multis modis vexatus, inflecti tamen in partem nequiorem haud potuit. *Hüb. loc. cit.*

XVI.

- XVI. Gundecarus II. Udalricus II. & Eberhardus I. Episcopi Eustadiani in causa contra Henricum IV. semper constantes, quorum ultimus Romam proficiscens in Tyroli à Cæsaris partibus est interceptus & in Germaniam redire compulsus. *Hüb. tom. 7. fol. 209.*
- XVII. Gebhardus II. Conradi Salici Imperatoris frater Episcopus Ratisbonæ ab Henrico IV. è sede sua Episcopali pulsus & in vincula datus. *Hüb. fol. 150.*
- XVIII. Altmannus Passaviensis Episcopus, licèt ab Henrico IV. per multis donis auctus & honoribus oneratus, contra eundem tamen Pontifici strenuè adfuit: Henricus enim Sacerdotibus multis author fuit ad ducendas uxores; Altmannus verò constanter Sacerdotibus uxores ducentibus obstitit. Denique nimium multis fagitatus malis Episcopatu suo se abdicavit præsentè Gregorio VII. Pontifice, à quo tamen denuo in Episcopatu suo confirmatus, licèt maximè invitus, columbæ super caput subitò apparentis divinò testimoniò fuit probatus. *Hüb. fol. 220. tom. 8.*
- XIX. Henricus II. Comes de Montfort Episcopus Curiensis, durissimè exceptus crebrò ab Henrico Cæsare, contra hunc tamen stare constanter perseveravit. *Hüb. fol. 469.*
- XX. Burchardus II. Episcopus Halberstadiensis ter decies unà cum Saxonibus contra Henricum IV. in aciem profectus est: captus denique in prælio & in exilium missus, sed clam Halberstadium reversus ingenti gaudio receptus. In tumultu demum publico occisus occubuit. *Hüb. fol. 574. tom. 7.*
- XXI. Hermannus Episcopus Metensis relictis Henrici IV. partibus Ecclesiæ corpori membrum adhæsit, quam ob causam captus annis 10. dura in captivitate detentus latuit. *Hüb. fol. 727. tom. 7.*
- XXII. Poppo, Episcopus Tullensis de Simonix crimine equidem reus, & accusatus multis modis, culpam tamen multiplicem suam confessus, Hierosolymamque profectus est, mori paratus pro causa Gregorij VII. *Hüb. fol. 740.*
- XXIII. Hildolphus, Sigevvinus & Hermannus III. Colonenses Archiepiscopi exemplum D. Annonis Antecessoris sui strenuè secuti, obedientiam Romano Pontifici exhibuerunt.

XXIV.

XXIV. Hananus, Episcopus Halberstadiensis Henrici IV. hostis, qualem se confessus publicè fuit, ut prodesset publico, parvi pendens privatum commodum. *Hüb. tom. 7. fol. 576.*

Paucis exceptis Germaniæ totius Archiepiscopis & Episcopis, omnes alii Romanæ Ecclesiæ dictum sacramentum custodivêre sedulo; id dolentes eorum multi maximè, quòd, dum pugnârunt pro alterutra parte violento Marte, inimici utriusque partis fuerint sæpè accusati & habiti à partibus admodum violentis.

Reges, Viri ac Fœminæ Principes, qui pro Romano Pontifice contra Henricum Cæsarem pugnârunt.

I.

AGnes Henrici Mater Augusta, à prudentia, Religione, in adversis constantia, in viduitate sua singulari pudicitia Imperatrix laudatissima. *Albertus Cranzius &c.* NB. Nihilominus *Erdmannus fol. 381.* non veretur hanc Agnetem adulteram appellare.

II. Adelhais (Agnem vocant aliqui) Rufforum Regis filia Henrici IV. conjux Augusta desertò maritò confugit Romam ad Romanum Pontificem, accusans multorum criminum Imperatorem. Româ in Ruffiam reversa in monasterio monialibus verbis & exemplis præluxit. Vid. *Cranzium lib. 5. c. 12.* NB. Erdmannus de hac secunda Henrici conjuge verbo non meminit, ut parceret Henrico. De conjuge Henrici prima fatetur, quòd ejus pudicitia crebrò fuerit tentata, nunquam tamen expugnata à subornatis procis, & hac de causa Henricum ab omni venereo crimine purum pronuntiat. Quasi verò crimen non sit, Augustam conjugem procorum libidini exponere & pudicitix periculum crebrò facere!

III. Mathildis, Egberti Saxonix Ducis filia, Bonifacii Liguriæ & Tusciæ Ducis vidua, Henrico IV. Cæsari sanguinis propinquitate conjuncta, ab auctõribus multis laudibus celebrata, constantissimè pugnavit pro Pontifice contra Cæsarem. Legamus de hac Albertum *Cranzium lib. V. Saxon. cap. 13.* ubi hæc: *Operæ pretium est agnoscere*

R. P. Kolb. Series Imp.

Oo

scere

scere, quæ & unde fuerit illa Mathildis, quam Italici Scriptores multa laude efferunt, quod rarò præstant exteris, originem tamen ejus illi non attingunt. Ea fuit Egberti Marchionis Saxonie filia, novissimi Egberti (quem in molendino casum diximus) germana, incomparabilis prudentiæ, religionis & pudicitie fœmina, quam pater ejus Bonifacio in Lombardia Comiti tradidit Virginem, &c. Idem eodem capite: Hæc ergo fœmina & generi suo præstitit & Religioni, ut Henrico grassanti se quàm frequenter opponeret. Hac quoque vice cum Italiam peteret, ab ea Mathilde exercitum illi objiciente remoratur, ne ex Longobardia in reliquam Italiam proficisceretur. Vid. plura, ubi de Conrado Rege Italiae agemus.

IV. Conradus Henrici IV. filius primogenitus, Rex Italiae probatissimus, de quo Cranzius lib. 5. Saxon. cap. 13. ita refert: Interea Conradus, Henrici Imperatoris major filius, juvenis modestissimus, (qui regno & Imperio dignissimus videretur) patris mores & vitia detestatus, abiit à curia indignabundus, fœdam patris conversationem magis secum, quàm apud ullum accusans. Contendit in Italiam, & ibi Mathildi optimæ fœminæ & amicorum honestam gubernandi rationem inijt, sub nomine Regis Italiae, &c. Cap. 15. sic orditur: Quo etiam anno interijt Conradus Rex Henrici filius in Italia Mathildi consanguineæ, gravissimæque fœminæ adherens: cujus consilio & auxilio honestissimè vitam traduxit: uxorem penè invitus ducens Ducis Siciliae filiam, quacum continentissimè vixit, Monacho similior, quàm Regi.

NB. De hoc tamen Conrado Rege Erdmannus, & Hübnerus nihil laude dignum referunt, Mathildem verò Gregorii VII. Pont. concubinam & multis sceleribus refertam fœminam nuncupant.

V. Henricus, filius Henrici IV. secundò genitus, primùm Rex, & demum vivente patre Romanorum Imperator, de quo Cranzius in Metropoli lib. 5. cap. 24.

VI. Rudolphus Sueviæ Dux, & dein Romanorum Imperator à Germaniæ Proceribus contra Henricum IV. electus.

VII. Hermannus Lotharingiæ Dux, defunctò Rudolphò in Imperatorem ab Imperij Electoribus & ipse electus.

VIII. Lotharius Saxonie Dux Henrico V. Cæsare defuncto Cæsar creatus.

IX. Ot-

IX. Otto Dux Bavarus & simul Princeps Brunsvicensis Luneburgicus.

X. Magnus Saxonie Dux & Imperii Elector Ottonis Bavari in pugnis contra Henricum IV. perpetuus socius.

XI. Henricus, de Lacu dictus, Palatinus Dux & Imperii Elector.

XII. Cuno Henrici de Lacu filius, Dux Palatinus &c.

XIII. Welfus I. & II. Bavarie Duces.

XIV. D. Leopoldus, Austriæ Archidux, etsi hujus pater & avus amplissimis privilegiis ab Henrico IV. Imperatore fuerint honorati, & ipse gener foret ejusdem Henrici Imperatoris, nihilominus pro Deo & meliore causa stetit.

XV. Bertholdus I. & II. Duces Zeringenses & Badenses, quorum prior Imperatoriam dignitatem recusavit, posterior Carinthiæ Ducatum ab Henrico IV. acceperat.

XVI. Udo Marchio Brandenburgicus.

XVII. Otto Göttingensis Dux Saxonie, tutor Henrici Bavarie Ducis.

XVIII. Egbertus II. Marchio Thuringiæ.

XIX. Guiscardus Normannorum Rex in Italia ex hoste Pontificis mutatus in defensorem ejusdem, constanter repulit Henricum IV.

Hos, & his plures deprehendet Lector Viros Germaniæ Principes in Alberto Cranzio tum in lib. 5. Saxon. tum in Metropoli, quorum alii ab initio usque ad finem, alii, quem prius defenderant, deserto Imperatore Henrico IV. pro Pontifice pugnârunt, verè certantes pro aris & focis. Quibus omnibus simul numeratis si comparavero eos adversarios, qui pro Henrico Cæsare arma sumpsere, & vel constanter vel pertinaciter retinere, tanta mihi apparebit eorum paucitas, ut vel ipsa hæc paucitas sola me terreat plurimum, & jubeat Henrici causæ nimium quantum diffidere. Tot igitur testes Viri ac Fœminæ Principes quavis exceptione eorum omnes, vel certè plerique majores, unâ cum authoribus plurimis in Serie Romanorum Pontificum productis, meritò fidem faciunt Lectori, Henricum IV. causam minimè æquam propugnasse, Ecclesiam bellis iniquissimis infestasse, Imperium profligasse, Superis adversis pugnasse, Dei tamen flagellum velut Attilam quondam extitisse, quo Germanorum maximè scelera ea tempestate necesse erat excipere. Ex quibus planissimè conse-

quitur, quàm Hübnerus & Erdmannus cum sociis semet deceperint & decipiant alios, quibuscum nituntur in vetitum & contra torrentem tot testium, testes ipsimet sibi suis in diversis tomulis & libris prorsus contrarii. Hac de causa tam solerter ex variis Hübneri tomulis multa notavi superius folia, ut discerent Lectores intelligere, qua & hinc Historiæ suæ concordia inter sese convenirent Hübneriani tomuli, nec primi cum ultimis, nec ultimi cum mediis satis bellè cohærentes.

REFLEXIO IV.

TAmetsi ob testimonia multa à Germaniæ Viris & Foeminis illustriissimis hæctenus suppeditata hoc undecimum seculum inter secula verè Catholica eaque cunctis suo tempore *spectata* fas sit numerare, amplius tamen testimonium dicent haud pauci Europæ totius Reges ac Viri Regibus pares, qui instar illorum (de quibus Apocal. cap. 4.) viginti quatuor Seniorum hoc seculo *ante thronum Dei procidebant, & coronas suas ante thronum mittebant dicentes: dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Præter jam datos hoc seculo Imperatores probatissimos, Seniores tales minimùm viginti quatuor tibi, amice Lector, nunc promitto, & mox promissis stabo meis. En longam Catholicorum Regum Seriem!

*Imperatores, Reges ac Viri Principes Seculo XI.
Ecclesiæ Romanæ Decora.*

ANno 1002. Religio Romana incrementum accepit maximum inter Hungaros operâ D. Stephani & Gisela Reginae, quamobrem Giula Transylvaniae Dux armis laceffit Stephanum, à quo Rege victus & captus, more tamen ac honore regio habitus, cum uxore & liberis Christum profiteri coepit. *Annales Hungariae.*

An. 1003. Cum Christicolæ experiëntiâ jam discerent, vana esse omnia illa auguria, & tristes nuntios, qui de Anti-Christi adventu & orbis interitu *in annum Christi millesimum certè futuro* passim rumores spargebant, consulos aspicerent, ingenti alacritate novas basilicas & ædes

des sacras erigebant ubivis terrarum plurimas, unde Religioni Christianæ ingens accessit augmentum. *Glaber. Baron.*

An. 1004. Robertus Rex Gallia verè Christianissimus Berengarii hæresin omnium primus confutavit, duraturus inter vivos usque ad annum 1033. quo meritis refertissimus vitam finiit. *Helgaldus & alij authores multi.*

An. 1006. Cathedrali Bambergæ Ecclesiæ datus est fundus amplissimus à D. Henrico Imp. qui in Synodo Francofurtensi allocuturus Episcopos se humi prostravit, nec surrexit prius, quàm Willegisus Moguntia Archiepiscopus eundem suis manibus levavit. *Ditmar.*

An. 1007. Cum Ratisbonæ ad D. Emeramum S. Abbas Romualdus sepeliretur, D. Henricus ipse humeros feretro supposuit, & sepulchro cadaver immisit. *Arnolphus Comes.*

An. 1008. D. Bruno Borussiae Apostolus, tam virtutum, quàm generis splendore clarissimus, cum octodecim suis sociis in odium Fidei Christianæ capite fuit plexus; eorundem cadavera Boleslaus Poloniae Rex, magnò auri pretiò mercatus est, quovis thesauro pluris æstimans. *Ditmar.*

Eod. an. D. Bonifacius Germanus Saxonum Imperatorum nepos & pronepos, Russiae Apostolus, horum Regem cum magna populi multitudine post edita insignia miracula baptizavit; sed hanc ipsam ob causam à Regis fratre occisus cecidit. Idem verò frater regius, unà cum scelerum sociis, omnibus artibus contremiscens & obrigescens, tandem multis multorum precibus, præsertim verò Regis hoc malo liberatus, amplexus est Christiana Sacra. *Petrus Damiani.*

An. 1012. S. Colomannus ex progenie Regum Scotiae oriundus, Hierosolymis redux, in Austria fuit à latronibus ex arbore suspensus. Claruit miraculis, inter quæ numerari meretur arbor illa ipsa, quæ longo tempore antea arida, tunc denuò refioruit. *Ditmar. Cuspinian.*

An. 1014. D. Edmundus Angliæ Rex & Martyr miraculoso vulnere stravit Suenum Daniae Regem. *Rogerius Westmonasteriensis.*

An. 1015. Ernestus, Suevorum Dux, inter venandum fortè percussus

sus telô, & lethali sauciatus vulnere, vitam piè finiit, tantum animi dolorem de offensis Dei testatus, ut easdem etiam publicè recensuerit. *Ditmar.*

An. 1020. Boleslaus Polonorum Rex, redivitibus maximis Ecclesiam locupletavit, editis exemplis raræ liberalitatis permultis. *Longinus Cracoviens. Canonicus.*

An. 1021. D. Heribertus, Comes Rottenburgensis, Archiepiscopus Colonienfis, præcognito suo & Imperatoris Henrici obitu mortalem vitam terminavit miraculis clarissimis. *Rupertus. Vid. Hübni. tom. 7.*

An. 1022. D. Henricus Imp. in monte Cassinensi morbô tentatus, apparente sibi per somnium D. Benedicto, sanitati subitò fuit restitutus; unde ingens desiderium rursus accendit eundem transigendi vitam inter Benedicti filios reliquam. *Leo Ostiens.*

An. 1027. Canutus Angliæ Rex verè Magnus, Papiæ S. Augustini Doctoris Ecclesiæ brachium argenti centum, & auri talento uno sibi comparavit. Ex hoc tamen aliisque Regum factis malè permoti multi, sacras Reliquias vendere, falsas veris supponere, imò in speciem miracula fingere non verebantur Mammonæ filij. *Glaber.*

An. 1082. Olaphus Norvvegiæ Rex, plurimis tentatus malis ipse optimus, maleficos magos & incantatores plurimos poenis affici, ac è medio tolli iussit; unde è regno suo pulsus, sed denuò restitutus, tandem tamen à magis partim etiam in odium Christianæ Ecclesiæ fuit occisus. *Adam. Cremens.*

Eod. an. Olaphus alius Suecorum Rex, omnem operam impendit Fidei Orthodoxæ in Sueciam introducendæ. *Adam Cremens.*

An. 1030. Emericus S. Stephani Regis filius sanctus, Patri ac Matri regiis virtute ac sanctitate par, aut major, inter subditorum lacrymas exspiravit. *Cartuius.*

An. 1031. Romanus Orientis Imperator se totum impendit erigendis & exornandis Ecclesiis; occupatus hoc labore sacro, pervetustam Dei Genitricis Imaginem prope Constantinopolim invenit, quam Copronymus tyrannus occultaverat; summo proin in honore habuit eandem imaginem Romanus. *Curopolat. Cedren.*

An. 1032.

An. 1032. Sanctius Rex Hispaniæ evocatis è Monasterio Cluniacensi viris perquam idoneis, pristinæ gloriæ restituit Palentinam urbem Hispaniæ, & sacris Ecclesiæ functionibus egregiam navavit operam. *Marian.*

An. 1304. Casimirus Polonorum Rex relictis seculi curis, ingressus est Monasterium Cluniacense, exinde tamen à Poloniæ Primoribus repetitus & concedente Pontifice in Poloniam ferè retractus, Ecclesiæ & regni curam habuit strenuè. *Longinus.*

An. 1038. Ferdinandus, Hispaniæ Rex, fretus D. Jacobi ope singulari, devictis gloriosè Mauris rem Catholicam plurimum promovit. *Authores Hispani.*

An. 1038. D. Stephanus Hung. Rex Deiparæ cultor eximius, introducto in regnum suum ejusdem cultu ardentissimo, festo in coelos Assumptæ Virginis assumptus & ipse in coelos est, quemadmodum contingere in vita constanter optavit. *Cartuius.*

An. 1043. S. Eduardus diu exul in Normannia insperatò ab omnibus Angliæ Rex salutatus, duxit Editham Comitis Godvini filiam, quam velut D. Henricus Cunegundem, perpetuam conservavit Virginem. *Scriptores teste Baronio multi.*

An. 1049. Dux Pazzinacorum, seu gentium illarum, quæ trans Istrum, Borysthenem fluvium versùs possidebant regiones, cum omnibus subditis Christianorum Aris accessit. *Curopolat.*

An. 1059. Isacius Orientis Imperator sponte depositâ purpurâ sibique successore Constantino Duca delecto, poenitentia causa Monasticum induit habitum. *Curopolat.*

An. 1065. Ferdinandus M. Castellæ & Legionis Rex, verè Catholico concludens vitam sine decessit: eidem namque etiamnum incolumi D. Isidorus mortis diem prædixit; ex quo tempore se totum orationi dedit, ac in æde sacra remissis ad altare corona ac sceptro ad viam æternitatis Poenitentia, Eucharistiæ & extremæ Unctionis Sacramentis se præmunivit, die tertia in æde sacra mortuus. *Tudens. & Rudericus.*

An. 1076. D. Herlumbaldus Mediolanensium Dux Hierosolymis reversus, & Monachum induere seriò desiderans, à Gregorio VII. Pont. autem da-

da-

datò Crucis vexillò ad pugnas Christiano more suscipiendas animatus, per annos 18. circumstantissimè pugnavit contra hæreses & schismata, consecutus tandem gloriosissimam Martyrij laureolam. *Syrut Presbyter.*

An. 1077. Sueno Daniæ Rex occisis aliquot Magnatum in templo, à D. Wilhelmo Roskildensi Episcopo è templo pulsus, & anathemate confixus, magnò animò in aulam suam recessit, & mox pœnitentis habitum indutus rediit, ac præ foribus Ecclesiæ demissimè rogavit in gremium Ecclesiæ recipi: receptus itaque delictorum suorum veniam petiit & impetravit, paulò post pientissimè mortuus. *Saxo - Grammaticus.*

An. 1080. Michaël Orientis Imperator in Italiam confugit ad Romanum Pontificem ex schismatico factus Ecclesiæ filius obediens; dum Henticus Occidentis Imperator in schismate perseveravit. *Litteræ Gregorij VII. Pont.*

An. 1081. Wisigothorum Reges ac populi ab idolis suis ad Christum conversi, missis ad Gregorium VII. Legatis se Romanæ subdiderunt Ecclesiæ. *Epist. Gregor.*

Eod. an. D. Canutus Daniæ Rex à perduellibus intra Ecclesiæ mœnia fuit occisus; cujus admirandæ virtutes ac sanctitas describitur à *Saxone Grammatico*, qui uberem miraculorum segetem habet.

An. 1082. Alexius Imperator Orientis, bonorum Ecclesiæ invalens violentus, sed tandem à Normannis in Italia Christianis victus, & aliis multis pressus adversis, publica confessione restatus est, talia Imperij sui mala suis adscribi meritò delictis. Edita proin constitutione, quàm *auream Bullam* vocavit, verbis verè aureis promisit Deo, se Ecclesiæ ablata quæque restitutum. *Vid. Baron. hoc an.*

An. 1092. Ericus Danorum eximie probitatis Rex Romam pervenit appellationis causâ, unde privilegia varia impetravit contra Archiepiscopum Hamburgensium. *Saxo Grammaticus.*

Eod. an. Alphonsus Hispanorum Rex virtutibus regiis probè exornatus, quin Abbatis Cluniacensis obedientiaris, ut vocant, fuit hoc tempore multis victoriis contra Paganos relatis & ædificatis sacris ædibus clarissimus. *Vid. Baron.*

An. 1095.

An. 1095. D. Ladislaus ob virtutes eximias & miraculorum multitudinem *Sanctus* cognominatus finem vivendi & regnandi rebus suis imposuit. Eodem ferè tempore cum Zolomerus Croatiae & Dalmatiæ Rex ultimus sine hærede fuisset defunctus, hinc sororem D. Ladislai, conjugem suam regni sui scripsit hæredem, quæ fratrem denique nacta est suum defensorem & hæredem; atque adeò Croatia & Dalmatia sub Ladislao Sancto fuerunt cum regno Hungariæ conjunctæ & Religionis etiam vinculo firmatæ. *Albert. Cranz.*

An. 1096. Godofredus Bullionius Lotharingiæ Dux & deinde Hierosolymæ Rex, cum fratribus Balduino & Eustachio divenditis omnibus bonis suis conduxerunt milites, sacram expeditionem in Palæstinam aurò, viribus & vitâ promoturi. *Albertus Cranz. Wilhelm. Tyrus.*

Ne longior sim, omitto hoc loco Reges complures ac Reginas, quas in cujuslibet regni annalibus obvios sibi habebit Lector sedulus: Quin ipse Hübnerus suis in tomulis, scilicet II. III. IV. & V. plures non negabit Reges ac Duces hoc seculo XI. Christiano nomine dignissimos, qui scilicet non tam pro focis suis, quàm Romanæ Ecclesiæ Aris certarunt, crebrò etiam inter manifesta applaudentis cœli ostenta. Seculum igitur hoc verè *Regium, Augustum, Sanctum* atque *Divinum* appellare fas & virtus est: Divinum enim Numen Europæ potissimum Imperatores, Reges ac Duces iis illustravit Cœli radiis, ut vix ullum ex reliquis seculis omnibus tot ac tantis illustratos luminibus numeraverit pro fide Heroës Regios, Augustos, Sanctos aut Divos, quorum catalogos retulit Romana Ecclesia, alios multos Ecclesiæ triumphanti relinquens Divorum choris annumeratos. Verùm quæ vos, Hübnerè & Erdmanne, cum sociis vestris evadere, & vestros libellos, vestras sententias de *extincto Ecclesiæ publicæ lumine* salvare possitis haud dispicio. Mihi lux Ecclesiæ copiosissima affulget constanter, vos si in meridie cœcutiatis, vester error & dolor est, qui mavultis in tenebris ambulare, quàm transire in viam veritatis, lucis & pacis.

REFLEXIO ultima.

NON abs re erit paucis hoc seculo discutere, an inter Historias an inter fabulas numerandum sit Historiæ simile illud, quod de Henrico III. Imperatore recensuerunt non pauci Scriptores, & ideò ut crederent, in animum induxerunt multi præsertim Germanorum, qui enarrant rem in hunc modum: Cùm Conradus II. Imperator in Italia bella gereret, contra Imperatoris edictum severissimum bellis laceffit, vel laceffitus pugnavit contra hostem Diepoldus Comes de Calb in Suevia: animadvertente igitur severissimè in edicti transgressores Cæsare, ne & Diepoldus lueret poenas gravissimas, cum prægnanti uxore in sylvam Hercyniam, aut ab hac non remotam recepit se. Uxor veniente tempore cùm filium pareret, evenit, ut ipse Cæsar inter venandum à famulis aberraret, in eandem casam delatus, in qua Diepoldi filius fuerat natus, aut ea primùm nocte nasciturus. Tum verò dormienti, aut potius insomni Conrado audita sunt verba hæc, aut his similia:

- - *Ecce, tuus puer hic erit unicus heres,
Omnia percipiet, quæcunque videris habere.
Hunc tibi tu generum posteritate feres.*

Nequaquam Cæsari placuit hæc vox: misit proinde duos, quos habuit sibi fidissimos, cum mandatis, ut puerum hunc occiderent, & occisi cor, mortis illatæ testem, Cæsari afferrent. Verùm commiseratione parvuli permotus uterque pepercit innocentissimæ proli, Conrado autem placiturus cor leporis occisi attulit. Positus verò pugio supra arboris ramos cùm die altera altum vociferaretur, prætervectus fortè equò Ernestus II. Sueviæ Dux vocem lacrymantis audiit, & miseratus orbitatem parvuli, hunc domum portari iussit, ea ex causa permotus etiam, quòd prole careret. Fingitur hinc uxor gravida, & brevè filium fors paritura. Natus & educatus adoptivus filius, ac in Cæsaris aulam translatus, benè gestis Imperatoriam meretur gratiam, æmulorum invidiam, & ipsius denique Cæsaris suspicionem, an non fortassis sit is ipse ignobilis filius, de quo auditus quondam in casa rustici infaustus nuntius. Aucta in dies suspicio eam extorquet sententiam, ut mortem U-

riæ similem sit iustus subire innocens juvenis. Eam in rem scribuntur literæ à Conrado inter Suevos commorante ad Imperatricem Aquisgrani degentem. Summa epistolæ hæc erat:

Hunc puerum necabis, nisi ipsa perire velis.

Verùm cùm onustus hac epistola Spiram attigisset felicior Urias, peramicè acceptus à Decano ejusdem Ecclesiæ, & perbenignè fuit habitus. Is ipse Decanus, cùm arcano instinctu permotus aperuisset epistolam, eam sic mutasse fertur, ut mutatis vocabulis hunc sensum reddiderit:

Huic puero filiam dabis, nisi ipsa perire velis.

Data itaque inter vivos servato juveni Cæsaris filia, Cæsare Dei providentiam tunc demum plenius agnoscente & stupente.

Quid ad rem hanc pronuntias, Hübner & Erdmanne? Erdmanus altum silet, Hübnerus fabulam dicit, ejus ego dilaudo sententiam: tametsi enim multa verosimilia fidem mereri hinc videantur, sunt tamen alia plura, quæ fidem superant. Et

Primò quidem, quòd authores plerique rem totam pensculatiùs inspicientes dixerint fabulam: certè nullus authorum gravium occurrit mihi, qui Historiam diceret. Plurimi verò pronuntiârunt, confictam esse fabulam.

Secundò, etsi Conradus Imp. severum se probârit transgressoribus suarum legum, quod demonstrat Historia, nunquam tamen ullo crudelitatis exemplo famam denigravit suam, à multiplici virtute laudatus Imperator. Atqui nimium diuturni odii & crudelitatis in parvulum olim, & modò in juvenem innocentissimum susceptæ hoc foret testimonium.

Tertiò: Conradus II. Imperator universim annis 15. imperavit ab anno nimirum 1024. usque ad annum 1039. Idem bis cum exercitu profectus est in Italiam; primùm anno 1027. & secundùm an. 1037. Ex quibus consequitur, Diepoldum Comitem ante annum 1027. vel 1037. non deliquisse in legem Cæsaris. Fingamus idcirco, reducem ex Italia Cæsarem anno 1028. mox decrevisse vindictam sumere de transgressoribus, atque adeò natum hunc puerum fuisse an. 1028. Fingamus adhæc, missum hunc novum Uriam cucurrisse Spiram, & inde Aquisgranum an. Imperatoris ultimo, scil. 1039. & mox

pronubâ divina providentiâ duxisse Imperatoris filiam, & tum demum deprehendemus, nos finxisse fabulam, non narrâsse historiam: annos enim tunc 10. aut 11. numerâsset non juvenis, sed adolescens impar oneri conjugali. Nisi tamen sponsalia hæc fuisse quis existimet. Verùm & huic opinioni

Obstat quartò, quòd juvenis hic, nimirùm Henricus III. ex communi Historicorum sententia jam numeraverit annum ætatis 22. cùm fatis concederet Conradus pater an. 1039.

Quintò, quòd idem Henricus III. duas duxerit Augustas conjuges, primam Canuti M. Anglorum Regis, alteram Agnetem Aquitanix Regis filiam. Nulla mentio de Conradi filia.

Sextò, Genealogorum alii Conrado duos filios duntaxat, alii præter unicum filium duas adscribunt parenti filias, neutram tamen earundem Henrico III. nuptam dixere. Unde ab ovo ad malum pervenimus, & ita hoc seculum claudimus: cùm rarò, aut nunquam vates cœlesti Spiritu afflati vinculis Poëtarum ligare soleant sua oracula; hinc augurium illud Poëtarum nexibus contextum, & à nobis superiùs allatum jure merito vanis Poëtarum pedibus, Mercurii simillimis, adscripsimus.

Seculum Christi Nati XII.

XIX. Henricus V.

Multi dum cupiunt videri scelerum ultores, videntur scelerum cultores, in castigandis culpis alienis severi, in emendandis propriis nimium quantum remissi. Henricus V. hujus ipsius rei præbuit se exemplum & testem, qui bella gessit cum Roberto Flandriæ Comite & Colomanno Hungarorum, ac simul Boleslao Polonorum Rege, fructus exigui, minoris gloriæ laude. Paternorum dein scelerum, qui paulò antè vindex fuerat Imperator, nunc verò æmulator Romam pervenit cum exercitu, Augustos honores precibus non tam humanitate conditis, quam tyrannide armatis postulans. Parùm hac salutandi methodo territus Paschalis Pontifex, cùm honores merito negandos negaret, nisi jus suum cederetur priùs Ecclesiæ, unâ cum Patribus aliquot purpurâ ornatis in vincula datus,

vi-

vivumque in mortuo parente filium expertus, doluit Ecclesiæ & Imperij extremum damnum. Binis mensibus dura tenuit captivos captivitas veriùs quàm custodia; tandem tamen plurimorum lacrymis & precibus permotus Paschalis, usurpatum olim à Cæsaribus jus confirmandi Episcopos confirmavit Henrico, qui tum demum in æde Vaticana à Romano Pontifice Cæsar coronatus irâ deposita cœpit imperare. In Germaniam redeunte Henrico datam Episcoporum confirmationem mox irritam declaravit Pontifex, consentiente Concilio Romano & Viennensi, ut adimeretur scandalum Viris Principibus tum temporis facilè à vi ac fraudibus fraudulenta ac violenta consilia petentibus. Intentatum pariter fuit Cæsari Ecclesiæ fulmen, nisi ab inceptis mallet desistere: ac nisi mors præoccupâsset Pontificem, ab inceptis fortè remisisset multum Imperator; dolosam enim simulans, vel seriam potius agens poenitentiam in absentia Paschalis Pont. à Bracharensi Episcopo sacris restitutus, jus suum Ecclesiæ reddere videri poterat. Verùm an. 1118. extincto Paschale Pontifice, electus à Clericis Romanis in Pontificem, Apostolicæ Sedis Cancellarius, ut vocant, ne quamprimum solenni ritu consecraretur, impediit pertinacissimè Cincius Frangipanius Henrici V. amicus sacrilegus, qui effractis Ecclesiæ portis Gelasium novum Ecclesiæ supremum Præsulem vinculis ligatum suum ad palatium usque raptavit, fauces ejusdem haud semel comprimens, ut spiritum extorqueret. Romanorum civium tunc fides in Pontificem eluxit maximè; iidem enim è carcere eductum Gelasium in Lateranum triumphantis more reduxerunt ac Pontificem salutârunt. Haud tamen hic pace frui licuit; Henricus enim cum exercitu properè adfuit, constituturus quamprimum Antipapam Mauritium Barduinum, Bracharensensem quondam Archi-Præsulem, Lemovici in Gallia natum; comprehensus verò certò certius Gelasium Pontificem legitimum, nisi inter fulgura & tonitrua noctisque tenebras auffugisset. Comes itineris Gelasio tunc erat Hugo de Allatros, purpurâ sacrâ vir maximè insignis, & fide in Pontificem clarissimus: is namque suis humeris impositum senem Gelasium per plura stadia velut Æneas Anchitem portavit. Cajetam in patriam denique pervenere; ubi consecratus Pontifex à decem Archiepiscopis, Episcopis viginti, Abbatibus triginta honorificentissimè est habitus.

Pp 3

Re-

Redeunte tamen in Germaniam Cæsare, Cajetâ Romam rediit Gelasius. Sed hem! dum die D. Praxedi sacra ritu solenni Sacrum dixit, vice altera diffregerunt templi claustra fautores Henrici, Pontificem abstracturi, nisi hujus nepos Crescentius, juvenis fortissimus suis humeris denuo impositum Pontificem in tuto collocasset. Securitatis igitur causâ Galliam adiit Cluniacense petiturus Monasterium, in quo diem extremum obiit, postquam Henricum in Conciliis tum in Gallia, tum in Germania per Legatos habitis, anathemate percussit. Tandem tamen mitiora experiri contigit Calisto II. postquam hic insuper habita Cæsaris autoritate Pontifex electus ac confirmatus, quatuor celebravit Concilia, inter quæ Lateranense I. nongentis nonaginta septem constans Capitibus per Legatos ad Cæsarem missos impetravit, ut is DEO & Ecclesiæ jus suum reddiderit, datumque fuerit Cæsari, quod erat Cæsaris, qui annis 19. in Imperio exactis egit suam & totius familiæ inter Cæsares Francos Orientales animam. An. reparatæ Salutis 1125. In fine Imperij sui laudatus maximè ob dignos poenitentia fructus. Symb. *Mortem optare malum, timere pejus.*

XX. Lotharius II.

Felix es profectò Romanum Imperium etiam inter gravissima pericula & adversitates tuas! quamdiu namque stetisti & stabis diutissimè, tanto tempore non fuisti separatum à Romana Ecclesia, nunquam separaberis, identidem conjungeris amplius. Fuerint inimici tui Cæsares multi primis & mediis seculis, Ecclesia Romana, inter inimicos tamen tibi amicissimos dedit Imperatores coelum providentissimum, ut tuos sese palàm ostenderent defensores, tuo & Imperij incremento maximo. Documentum hujus exhibuit posteritati Lotharius II. primò Saxonie Comes, dein verò felicibus nuptiis & beneficiò Cæsaris Saxonie Princeps ex patre Gebhardo, Comite Supplinburgico natus. In aula ejusdem beneficentissimi Imperatoris Henrici educatus, & artibus eo tempore perraris excultus, virtutibus locum patere amplissimum etiam inter strepitus aulicos, experimentò suò docuit. Henricus IV. & V. hic filius, ille genitor insensissimis armis & ani-

& animis sese ad mutua certamina provocârunt, necessitate consiliis omnibus potentiore; Lotharius igitur copiarum Dux supremus, ea arte pugnavit contra parentem pro filio, ut virtutibus suis permultis, se ferè universis præstiterit acceptissimum; ante competitores enim suos Moguntia unanimi calculo Imperator electus, non annuit prius Imperij Electoribus, quàm à Summo Pontifice Innocentio II. jussus imperare obedivit. Tum verò Conradum Suevorum Ducem, æmulum suorum potentissimum strenuè aggressus, relatis victoriis reliquis adjecit novam, eamque multiplicem, expugnatis per Italiam Longobardis, per Sueviam verò & Franconiam Augustâ Vindelicorum, Ulmâ, Nördlingâ, Norimbergâ & Spirâ, Imperij urbibus, quæ omnes Conrado sacramentum dixerunt damnò suò maximò, quod obsidio diuturnior, & expugnatio difficilior attulerat. Earundem tamen urbium mœnia instaurare jam cœperat, qui per ruinas conscenderat Imperator, priori, aut statui meliori restitutus, si per vires & vitam licuisset. Opem strenuam Cæsari tulit adversus Conradum Henricus X. Bojariæ Dux, cui nuptiæ cum filia Lotharii contractæ, & inferioris Saxonie Ducatus, nec non facta quapiam superbiæ labe notata *Superbi* nomen peperere. Pace denique per Germaniam firmata, res Imperij ut non nisi præclare gereret Imperator in solio confirmatus, curam animæ suæ habuit primam, curaturus perinde totius Imperij animam; hunc in finem ter quotidie præsens adesse studuit Deo Eucharistico, Supremo omnium ad aras Sacerdoti, Sacerdotes reliquos omnes *suos patres* nuncupans. Ut verò tempus negotiis aliis gravissimis non suffuraretur, Orientem solem antevertere solebat, primitias lucis Deo consecrans. Hæc sacra inter munia teste Petro Cassinensi Divinum Numen tria quotidie fertur rogasse ardentem beneficia; ut nimirum piè defunctorum manes purgantibus eximeret poenis, miserationis memor magis, quàm vindictæ: dein ut suo exercitui, tametsi scelerum sibi conscio, parceret; demum ut totius Ecclesiæ & Imperij succurreret necessitati. Ecclesiasticorum Præsulum conversatione potissimum delectatus, saluberrima consilia iisdem crebrò dedit & accepit, ut mutuis auxiliis proficerent, & prodesent omnibus. Conradum Successorem suum, ne sceptri æmulum etiam deinceps experiretur, D. Bernardus Clarevallensis Abbas *Cæsaris*, O-

vaculum dictus cavit & curavit sedulo, saniora consilia suadens, ac persuadens Conrado, ut bono imperij publico privatum, profanum sacro postponeret. Dedit adhuc D. Præsul documenta Cæsari, in Ecclesiæ jura, si perantiquum etiam tenorem ejus posteritas respiciat, nullum jus legi Cæsaris, sed Pontificis. Contentus igitur Civili Imperio, hujus jura publice exponi præcepit; Pisas enim Italiæ urbem confluentibus primùm tyronum manipulis, Wernerus Jctus eam in rem plurimum operæ contulit, ex tenebris in lucem referens Justinianum Codicem. Ritè institutis aut instauratis Jurisperitorum Collegiis, & expeditis in Germania rebus in Italiam contendit, debellaturus Petrum Leonis Antipapam cum affeclis, restitutus simul Sedi suæ Summum Pontificem Innocentium II. à quo Imperij Fasces cum corona Romani Imperij accepit. Pulsus proinde fuit Rogerius in Siciliam Siculus, qui Petrum Leonis, seu Anacletum II. suffulciebat. Ad Germanos ex Italia redux propè Tridentum subito morbo correptos artus ægerimè trahens, in agrestem casam deponitur, ubi etiam vitæ finem imposuit 13. annorum Imperator Lotharius inter Italos & Germanos medius, utrisque gratissimus, utrisque simul ingens sui desiderium relinquens an. 1138. Symb. *Audi alteram partem. Abb. Urspergens. Egnat. Cranz.*

XXI. Conradus III.

Poenam talionis expertum fuisse Conradum III. Suevorum & Francorum Orientalium Ducem, Henrici IV. Imp. nepotem, jure dicimus: Imperij enim coronam, quam Lothario Cæsari ante alios invidabat maximè, urbes Imperij Augustam, Norimbergam, Ulmam aliàsque occupans, eidem nunc Imperatori Confluentiæ electo invidabant plurimùm duo fratres Germani, Henricus, cognomento Superbus & Guelphus, Bojariæ & Saxonie Duces, quorum priori Lotharius Imperator Imperij insignia brevi moriturus miti jusserat, significans palàm, qualem sibi Successorem in Imperio optaret. Ratisbonam igitur vocatus Henricus, ut electo Cæsari data à Lothario insignia redderet, ægrè obtemperavit, renuens restituere Norimbergam cum urbibus aliis in Hetruria jam occupatis. Herbipoli ea de causa ab Impera-

peratore, & congregatis Imperii Statibus proscriptus Henricus vel veneno extinctus fuit, vel nimio animi moerore contabuit. Saxonia Ascaniæ Comiti, Bojaria verò Austriæ Duci Conradi Imperatoris uterino fratri Leopoldo paruit. Guelphus verò fratris bona ac jura vindicaturus sibi, arma induit; verùm à Friderico Conradi Imp. fratre altero, quem Hochenstauffium dixere, prælio victus Weinsbergæ Saxonum urbis obsidionem gravissimam pertulit. Fame tandem coactus ea conditione urbem victori dedit, ut scæminatum sexui thesauris suis onusto urbis porta pateret. Accepta utrinque conditione Guelphi uxor humeris suis impositum maritum feliciori eventu, quàm Æneas Anchisen ex urbe abstulit, sequentibus longo ordine uxoribus reliquis, haud grave onus, conjuges suos portantibus.

Eodem ferè tempore partium studia initium suum accepere, Gibelinorum videlicet pars una, Guelphorum pars altera, quarum hæc à Guelpho Duce, illa à Waiblinga Suevorum urbe nomina sumpsere ab Italis corrupta, & sic posterorum memoriæ relicta: Gibelinos enim eos dicebant, quos pro Cæsare, Guelphos verò, quos pro Pontifice pugnare noscebant. Eadem ferè ætate Conradus Imperator Conradum Ducem Zeringensem regni Arelatensis Proregem, ut vocant, constituit, qui templum & turrim Friburgi Brisgojæ principem ædificavit. Interea Hierosolymarum Rex dum venatione vires reficere intendit, vitam amisit; cujus mors Saracenis ansam præbuit, Edessam urbem capiendi, & Christianorum res affligendi. Dudum antea afflictio gravis Orientis regna affligebat, ita tamen, ut hætenus verbis potius, quàm factis seriis munus impleverint suum Principes Christiani. Tum verò D. Clarevallensium Abbas totius penè Europæ oraculum tantum efficiebat, ut simul Conradus Imperator & Ludovicus Francorum Rex, permultis stipati primæ notæ Ducibus copiosissimos exercitus non vi coegerint, sed sponte sua sub signa volantes Palæstinam versus duxerint, quorum tamen desideria sibi probari magis quàm prælia exercituum Supremus Dux Deus ostendit: adeò Græcorum fide Europam falli permisit, stupente ad tantæ rei exitum miserrimum Ecclesia universa; Ludovicus ex Oriente redux, partim pestilentiæ malò, partim extremis bellorum malis aliis sepulto ferè toto exercitu suo captus, sed mox

liberatus in Galliam pervenit. Conradus Cæsar, ex Syria in Germaniam rediens, dum iter in Italiam adornavit, coronam Imperii in facie Romanæ Ecclesiæ in se suscepturus, iter jubente morte adornare adactus in viam æternitatis Bambergæ mortuus 1152. postquam imperavit annis ferè 13. Ex Gertrude Berengeri Comitis Sulzbacensis filia, conjugè Augusta suscepit Imperator filios duos, Henricum & Fridericum, quorum prior ante, posterior post genitorem maturè nimis est mortuus absque liberis. Conradi Imperatoris III. singularem retinet memoriam urbs Sueviæ Rottvila, in qua erexit tribunal tribunalibus olim Romanis non usque adeò ab simile. Symb. *Pauca cum aliis, tecum multa. Vid. cit. auth.*

XXII. Fridericus I.

Fridericus I. Conradi III. Imp. ex fratre Friderico Lusco nepos, à rubricante barba Ænobarbus dictus, Francofurti absque Electorum dissensione fuit electus Imperator. Inter alia Electorum Collegium permoverunt singulares prorsus in Friderico animi & corporis dotes, quas hac ferè methodo descriptas nobis reliquere tum antiquiores, tum recentiores Historici. *Princeps fuit Fridericus, si studium in Pseudo-Pontifices excipis, laudatissimus: ingentes ei corporis animique dotes, statura procera, forma elegans & cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ; robur & agilitas compar, ingenium acre, memoria singularis, periculorum contemptor animus, non tamen ut ad ea subeunda deesset prudentia; gloriæ avidus, militaris discipline diligens custos; comis, mansuetus, ac solis superbis infestus haud ipse humilis.*

Literis ipse Imperator multum delectatus, juventuti literariæ varia concessit privilegia; unde Ottoni Frisingensium Episcopo simul & Historico clarissimo suum Chronicon ad Cæsarem mittenti, hunc in modum respondit: *Chronica tua transmissa ingenti cum gaudio suscepimus. & post bellicos sudores interdum delectari in his, & per magnifica Imperatorum gesta ac virtutes informari peroptamus.* Imperium suum à pace publica auspiciatus, inter bella continua profecutus, inter bella finit; Henricum enim Austriæ & Henricum Leonem, Saxoniam Ducem de Duca-

tu

tu Bojariæ decertantes ea lege composuit, ut Henricus Archidux sibi servaret simul cum Austria eam regionem, quæ ab Oeni ostiis usque ad Anisum porrigitur, Bojariam verò Henrico Leoni cederet, cui Orientalis Marchia (ita vocarunt Germani) tunc fuit adempta. Singularia privilegia Henrico Austriæ tum concessa sunt, inter quæ illud haud ultimum, quo Austriæ Marchiones tum Duces creati ab omni, cæteris tamen Ducibus multis communi, onere liberrimi, soli Imperatori & totius Imperii corpori obedientiam sponderent, nulli verò Regum aut ullorum Virorum Principum. Sancita hæc Ratisbonæ, & probata fuere congregatis Imperii Proceribus universis, summa Friderici Imperatoris laude. Non longò temporis spatiò placuit sententia Cæsaris Henrico Leoni; proficiscentem enim adversus Italos Fridericum vel comitari est dedignatus, vel jam in Italiam profectum turpius deseruit, reducens secum partem exercitûs sanè magnam rogante & obtestante, tandem verò indignante & ringente Cæsare, quòd se Elector Leo Italis prodere non dubitaret, nec precibus, nec minis commotus. Haud immemorem tantæ injuriæ sibi à Leone illatæ ostendit se Cæsar: ex Italia enim, in quam septies venerat, redux Henricum multis hostibus circumseptum cum deprehendisset, haud auxiliis adjutum, sed ad iudices citatum, nec tamen comparere paratum, Imperii banno subjecit, nemine Virorum Principum contradicente; dividente dein Friderico in Imperii Principes universa propemodum Leonis bona & jura, Otto ab egregiis factis cognomento *Magnus*, & à Castello Witelspach in Bavaria celeberrimo *Witelspachius* dictus, Bojariæ ducatum; inferiorem Saxoniam cum Electoris dignitate Bernardus Onoltinus; Archiepiscopi verò Moguntinus, Coloniensis, Halberstensis & Bremensis, nec non Dux Thuringus Westphaliæ, aut reliquæ Saxoniam partem sibi vendicabant, abacto in Angliam Leone. His longè dissimilia sunt, quæ mox spectavit Italia & Germania: *malleus* profectò *Italiae* meritò appellari poterat: septies enim valido stipatus exercitu Italos permultos subjugavit; Romani namque ad seditio-nem pronissimi fuerunt domiti, Spoletum ferrò & igne subactum, Cremona excisa, Dertona flammis subjecta, Mediolanum bis expugnatum, & tandem penitus eversum; unde Divorum trium Magorum

Q9 2

sacra

sacrae Reliquiae Colonias secundò Rhenò descenderunt. Viterbiò dein-
de Romam cum Hadriano IV. Pontifice delatus, ejusdem è manibus
ĩduit coronam Cæsaream, adjectis promissis amplissimis, Cæsaris fi-
dem Pontifici spondentibus. Verùm elapso brevi tempore tantâ discor-
diâ ab invicem avulsi sunt & Pontifex & Cæsar, ut hic Pseudopontifi-
ces tres, scilicet Victorem IV. Paschalem III. & Calixtum III. vana no-
mina, adversus Alexandrum Pontificem legitimum consiliis & auxiliis,
ferro & igne propugnârit, vix in viam pacis reductus, nisi Duce &
Vindice Deo. A Pontificibus duobus, aut saltem ab Alexandro III.
ter minimùm, & crebriùs ab universis Conciliis Ecclesiæ fulmine per-
cussus, Deo autem Duce ac Vindice bis saltem prælio victus, à suis
quondam amicis permultis derelictus, experiri cœpit, se non tam cum
hominibus, quàm cum Deo hoste suo bella gerere, orco amica, ini-
mica coelo. Inter Italos tunc maximè Venetorum virtus eximia enituit,
à quibus Ænobarbus quoque victus, ejus verò filius Otto captus, vi-
toribus longas & lætas dedere nuptias. Dies ascendenti in Coelos Ser-
vatori hominum sacra habebatur, quo mare Adriaticum immisso in a-
quas annulò sibi despondere cœperunt Veneti, more etiam nostris his-
ce temporibus observando. Placere tandem Germanis juxta ac Ita-
lis pacis fœdera pridem optata singulis ferè ac universis, quæ initurus
Fridericus Supremo Ecclesiæ Antistiti Alexandro III. supplex factus, at-
que in fidelium cœtum receptus Palæstinam petiit, futurus haud dubiè
Orientis Victor, nisi vitam rapuisset Cydnus Ciliciæ flumen, in quod
Imperator diei æstus levaturus, aut vadum tentaturus descendit & ob-
rigit, relicto paucis pœnitentiæ suspiriis tempore. Imperavit an. 38.
mortuus an. 1196. Symb. *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.* Fri-
dericum hunc vivum & mortuum ante alios summis encomiis extule-
runt Bohemi & Austriaci; prioribus enim Uladislauum dedit Regem, si-
mùlque Bohemiæ regis insignibus aquilæ loco, Leonis effigiem cum
cauda duplici inseruit: Austriacorum verò scutum gentilitium rubrum
ob fortitudinem singularem à Leopoldo Austriæ Duce in Palæstina con-
tra hostes exhibitam, jubente Friderico fuit albò distinctum. Laudes
etiam eximias Augusto restauratori suo dixerunt urbes Augusta, Norim-
ber-

berga, &c. à Lothario II. contra Conradum III. pugnante expugnatae, &
magna ex parte destructae, à Friderico autem reparatae. *Otto Frising.*
Egnat. Ursperg. Forest.

XXIII. Henricus VI.

Filius Ænobarbi primogenitus Henricus VI. ex matre Beatrice totius
Burgundiæ & Provinciæ hærede natus, & patre mortuo Impe-
rator electus, multa fecit tulitque, ducta in thalamum Constantia
Rogerii Siciliæ Regis filia, ob id unum fermè non vituperata à non pau-
cis, quòd Siciliæ & Apuliæ regna Henricò in dotem attulerit. Inter
varia bella, quæ Cæsar nunc contra Henricum Leonem, Saxoniam Du-
cem, nunc contra seditiosos Italos & Siculos gerebat, eminebat bel-
lum sacrum maximè, dictum *Expeditio sacra III.* cui promovendæ sexa-
ginta militum millia in Orientem misit, ut permultis Germaniæ Viris
Principibus eò exercitus ducentibus copias jungeret, spe sua plurimùm
frustratas. Saracenorum victores ferè potissimi Richardus Angliæ Rex,
& Archidux Austriæ Leopoldus vel ob spoliatorum jus, vel victoriæ glo-
riam, vel aliam ob causam gravissimam, solutò amicitiae vinculo expu-
gnatas paulò ante Provincias Saracenis reliquere, maxima militum co-
pia non tam Marti, quàm morti succumbente. Captus proinde Richar-
dus Rex per Austriam, cum paucis suorum redux & proditus, ac
Henricò Cæsari à Leopoldo transmissus, gravissimâ auri summâ liber-
tatem redemit, multis iisque gravissimis querelis captivitatem suam Pon-
tifici Coelestino III. perscribens, & congregato Episcoporum Concilio
coràm exponens inter obortas multorum lacrymas. Præter avaritiam
itaque in Henricò vituperârunt antiquiores Historici severitatem nimiam
in hostes captivos maximè Siculos, & Neapolitanos, à quibus *asper* ac
crudelis est cognominatus, quòd ex captorum etiam sanguine illustrium
magnò numerò alios capite plecti, alios humana pelle exutos, & mel-
le oblitos apium examini exponi, alios pedibus manibusque mutilari,
aliis oculos erui, alios etiam lento igne torrerì, & demum capitis ejus,
qui coronæ regiæ infidiabatur, coronam ferream, sed simul igne can-
dentem, imponi mandaverit, quatuor clavis in caput per coronam de-
fixis.

fixis. Annis duntaxat 7. Henricus Imperator vixit: pluribus enim ne viveret, effecit venenum à Constantia conjugè datum, ut adulteria fortè impunita manerent, aut fieret satis furori, quo Henricus in Tancredum & Siculos maximè sævièrat; unde etiam cognomen dicitur *Asper* dictus est. Cæterum tamen vivendi periodum clausit fine optimo, minimè asper post mortem vocandus, quoniam cum Superis, Ecclesia & inimicis in gratiam rediit suavissimè, an. ætat. 32. Christi 1197. Constantiam Augustam dum authores alii criminis postulant, alii excusant, laudant & extollunt, aut minimùm Henrico conjugè majorem & meliorem dicunt, more Historicorum frequenti. Symb. *Qui nescit tacere, nescit loqui.* Granz. Egnat. Frising. Forestius.

Reflexiones supra Seculum XII.

In gratiis refero meorum in Itinere Historico comitum, aut longè verius antipodum Erdmanni & Hübneri, quòd seculo hoc aliud non occinant mihi melos, quàm illud, si auribus placet, dulcissimum, quo didicere pridem, & nunquam facilè dediscent Lutheranae Musæ, Romanorum Pontificum criminari gesta, falsa veris supponere, veris in speciem argumentis falsum propugnare, mordicus defendere. Pauca capita, præcipuè in Erdmanno malè sonantia, huc adnoto, & dein brevibus responsis expedio.

- I. Henricus V. Imp. jus investituræ, ut vocant, seu conferendarum dignitatum ac Beneficiorum Ecclesiasticorum jura, quæ Imperatores jam per trecentos annos inter Cæsaris jura numerarunt, Romano Pontifici restituit. *Erdman. fol. 462. & 468.*
- II. Fridericus Ænobarbus ab Alexandro III. pede supra Cæsaris caput posito, his anathemate solutus est verbis: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psalm. 90. *Erdman. fol. 514.*
- III. Baronius non respondit argumentis solidis difficultati huic, qua asseritur, ab Alexandro III. ita malè habitum fuisse Cæsarem. *Erdman. fol. 517.*

IV. Lo-

IV. Lotharius Imperator laudatissimus studuit conservare & propagare puram Religionem. *Erdman. fol. 474.*

Reflexio ac Responsio I. ad I.

Itane Erdmanne, Henricus V. Imp. Ecclesiæ restituit *jus investituræ*, ut vocamus, seu dignitatum & Beneficiorum in Ecclesia Romana conferendorum jura, quæ Imperatores per annos jam trecentos numerarunt inter Jura Cæsarea! Quid, obsecro, lucris speras ex isthac assertione tua? vim & injuriam nempe quereris à Calisto Pontifice illatam Henrico Cæsari, ut placeas tuis sociis, Pontificum osoribus; hoc tuum lucrum! hinc à longissima trecentorum annorum possessione argumenta tibi sumpsisti, inter Jurisperitos & hic procul dubio collocandus Magister. O præclarum te Jurisperitum! ô insignem Causidicum! an non notas, assertione & argumentò tuò tuam penitus enervari causam? Ut rem pluribus capias, paucis rem ipsam examinabimus.

Asseris audacter, ab Henrico V. restituta fuisse jura Ecclesiastica Ecclesiæ: igitur fateris, non *primò concessa*, sed *restituta* demum esse jura eadem Ecclesiæ. Confiteris sic verò hac eadem confessione, isthac jura jam olim numerata fuisse inter Ecclesiæ, seu Pontificis jura, & quidem *octonis annorum centuriis*; ab annis etenim Redemptoris nostri usque ad annos Henrici V. numeramus XI. secula; ex quibus tu tria Cæsari asseris, octo reliqua concedis ipse Pontifici. Adverte jam, quantum fatearis simul, dum tribus tuis infitis possessionis Cæsareæ seculis: confiteris nimirum præter jam dicta, ab Henrici V. temporibus, hoc est, à seculo XI. usque ad nostrum hoc seculum XVIII. perseverasse in possessione illorum jurium Romanum Pontificem. Si itaque ex mente tua tantopere prodesse oporteret Cæsari longinquam tribus seculis possessionem, an non profit magis Pontifici ejusdem juris longissima nimirum ad nos usque per sex, & à Christo usque ad Carolum M. per octona secula possessio, vel, ut cum Jurisperitis loquamur, *quasi possessio*? Fateris hoc ipso etiam, Fridericum I. quem tamen ab omni nævo & crimine purissimum dicis perlatè, haud latis æquè vindicasse sibi eadem jura denuò, quæ paulò antè Pontifici restituit Henricus V. Si opponas hoc loco ab Henrico V. nec

valè-

validè nec licitè patratam fuisse restitutionem illam: tunc tecum pugnas vehementer: fateris enim ipse in Friderici gestis, ab hoc ipso denique Cæsare Friderico agnitam fuisse hanc *restitutionem legibus conformem, æquam & justam*, & hanc ob causam ab eodem Cæsare denuo *probatam*. Cæterum opponenti & ego oppono hic breviter: si Henricus V. absque valore restituit jura Pontifici, quo pacto Leo VIII. Pseudo-Pontifex restituit Ottoni M. jura Ecclesiæ multa? Item qua lege Carolo M. conferri potuere jura quæ per octo secula inter jura sua Pontificia numeravit Ecclesia? An non hæc rerum capita tu & tui Socii in millenis libris aut foliis replicant & millies duplicant? Adhæc, si *validè* operantur omnia Pontifices Romani, aut etiam Pseudo-Pontifices, dum cedunt jura Cæsari, cur non etiam *validè* recipiunt, si Pontifici jus cedat, aut restituat Cæsar? Accedit his multis caput ultimum minimè prætermittendum: persuadet sibi Erdmannus, veritati oppidò esse conforme, quod tamen est difforme plurimum: supponit nimirum, Cæsares annis trecentis in conferendis Ecclesiæ dignitatibus &c. ex legum ordine & mensura disposuisse cuncta *validè, licitè, sanctissimè*. Vah! inanissimam persuasionem! fatalis est morbus hic, quo Erdmanni laborat, ut ajunt, suppositum: tribus enim post Carolum M. seculis usque ad Henricum V. crebrò repetitum & probatum abundè fuit, ex vano afferi hunc Cæsari juris Ecclesiastici titulum. Vid. Reflex. seculi VIII. IX. & X. En! multos laqueos, quibus temet ligasti, Erdmanne! excute igitur hos laqueos, & te Samsonem siste nobis: te enim jam rursus in arenam provocamus.

Reflexio ac Responsio II. ad II. & III.

Agitatæ inter Alexandrum III. Pont. & Fridericum I. Cæs. lites sunt orbi universo notissimæ. An Pontifex in Cæsarem, an Cæsar in Pontificem deliquerit magis, fuit arbiter Deus & vindex criminum, teste ipso tandem Friderico Cæsare. Nolim ego antiquam crambem multis recoquere; coctam enim vel semel satis gustare licebit in Romanorum Pontificum Serie. Plura desideranti porriget C. Baronius, quem tamen refutatum & confutatum à se gratulatur sibi Erdmannus. Erdmanno igitur haud unus tantum objiciendus est bolus crassior, ut satu-

ture-

turetur canina fames: Baronius enim *Blondi & Aeneæ Sylvii* narrationem afferens, jure asserit, plus inhærendum esse horum authoritati, & authorum longè antiquiorum, quàm sit C. Bessarion, qui duplicem habet relationem: præsertim, cum inter antiquiores numeretur author manuscriptorum Alexandri III. & Romualdus, Salernæ Episcopus, qui præsens rerum omnium arbiter oculis suis omnia inspexit, & à se conspecta serie longa recensuit, quin tamen ullum fecerit verbum de Alexandro III. collum Cæsaris premente, & verba durissima pronuntiante. Infirmissima proin est comparatio inter Romualdum hunc & Eusebium, Eutropium, Diaconum & Orosium ab Erdmanno instituta, cum ait: nec hos authores ullam reliquisse memoriam posteris de Donatione Constantini, & tamen hanc factam Pontifici affirmari identidem à Scriptoribus Pontificiis: infirmissima, inquam, est hæc comparatio Erdmanniana: Eusebius enim, quem primò nominat locò Erdmannus (nominandum locò ultimò) qualis fuerit author, seculo IV. abundè demonstratum fuit; ex asse enim Arianus, & hoc ipso Romæ & Romanorum hostis juratus, omisit cuncta, quæ patrocinari poterant Romanis. Paulus verò Orosius Presbyter Hispanus, seculo V. scripsit contra gentiles maximè, recensens eorundem clades, quas perpeffi fuerint, quòd cognitis Christi Sacris idola colere perseverarint &c. Cæterum fuit memor minimè aliarum rerum Romæ gestarum. Eutropius Scriptor Constantino M. propinquus tempore, multa equidem de rebus à Condita Urbe usque ad Joviniani Imp. tempora scripsit, sed & ipse omisit facta plerima, E. gr. de Constantino Chloro & Constantino M. hujusque matre & filiis. Paulus Diaconus denique conatus est Longobardorum potissimum res describere. Esto autem, quòd scripserit eos etiam libros, quos nonnulli eidem de Romanorum Imperatorum Historia inscripsere, fatetur tamen is ipse, quòd inchoaverit primùm, ubi Eutropius finiêrat, nimirum à Joviniano, qui multis post Constantinum M. annis cœpit imperare, Juliani Apostatæ successor. Romualdus ab his authoribus totus diversus, arbiter & testis omnium, quæ Venetiis tunc temporis evenêre, inter Alexandrum III. & Fridericum I. scripsit copiosissimè, quæ vidit, & quidem eodem mox tempore; nec tens dierum & rerum ordinem accuratum, palàm professus, hunc rerum ordinem à se scribi, non verò multorum temporum aut rerum, quas non vidit, veluti pleraque non vide-

R. P. Kolb. Series Impp.

R r

runt

runt citati quatuor variorum librorum authores. Addendum hoc loco maximè, quòd decuisset Erdmannum addere: nempe C. Baronius multa alia testimonia copiosissimè addit, quibus confutat solidissimè adversæ sententiæ patronos; Erdmannus verò silentiò præterit, ut videatur Baronii insignis victor. Veritati & fidelitati illud repugnat etiam, quod Erdmannus objicit, scilicet, Baronium asserere, *non decuisse quidem Vicarium Christi Pontificè exuere mansuetudinem, ut ita ferociret in Imperatorè: atque adeò tam asperum solvendi & absolvendi Cæsaris modum non oportere præsumi de Romanorum Pontifice.* Neutiquam sic habet Cardinalis: quanta enim mansuetudo constanter in rebus omnibus adversis fuerit Alexandro, ostendit, & hinc meliora de hoc Summo Pontifice præsumi jubet. Audiamus verba Cardinalis tom. IX, an. 1177. colum. 1. fol. 891. *Abhorrens est quidem à tanti Christi Vicarii mansuetudine turgens fastu facinus, penitusque alienum ab ipsius moribus tot actionibus probè notis. Quanta enim fuerit animi demissionis & moderationis, benignitatis & lenitatis, paternæque charitatis ad alliciendos ad pœnitentiam peccatores, ad curandos ipsos pœnitentes omni genere obsequii & indulgentiæ, cum facile sit ex scriptis & factis ipsius superius recitatis elicere, asserere & confirmare: notius planè & evidentius fiet ex his, quæ ex eodem authore anno sequenti dicentur, cum Calistum Pseudo Papam, pestem Ecclesiæ, ad se venientem pœnitentem recepit. Si quidem huiusmodi per Alexandrum Papam fieri contigisset, quomodo referre prætermisissent scriptores illi, qui minima quæque prosecuti sunt, quippe qui præsentibus cum essent, ea cuncta singulaque totidem verbis, ut prolata sunt, summâ diligentiam scriptis prodidère, ut vidisti fecisse legatum Regis inter alios Romualdum? Quomodo rem tantam sui magnitudine mirandam, novitate singularem, indecentiam monstruosam, et si non ab aliis, certè emulorum adversariorum tubis perstreptibus pervulgandam, reliquisse potuère silentiò penitus obvolutam, ut quasi ex condicito, nullus eorum scriptorum reliqua cuncta scribentium, de his verbulum fecerit? Vide plura. Hæc sunt verba Baronii ab Erdmanno malè citata, & in sensum falsissimum detorta.*

Quàm fidus ac fidelis fuerit idem Erdmannus in C. Baronio citando, ne grave sit ampliùs, paucis tamen percipere.

An. Christi 1152. Imperii sui an. 1. Fridericus Imp. mortuo Archi-Episcopo Magdeburgensi contra Eugenii Pontificis jura intrusit Guicmannum, Cicensem Episcopum. An.

An. 1154. Fridericus missum ab Anastasio Pont. legatum ob Magdeburgensis Ecclesiæ causam cum dedecore remisit in Italiam, quin Guicmannum Romam cum suis legatis ipse dimisit, Archi-Episcopi pallium non tam petentes, quàm postulantes.

An. 1157. Fridericus Londinensem Episcopum Româ reducem intercipi permisit, ac spoliatum in custodia retinuit, spernens hac super re querelas Pontificis justissimas: imò legatos Pontificios deinde hac super re querelam moventes rejecit.

Eod. an. rescripsit Imperator Pontifici literis irâ & fastu plenis, in quibus allocutus est Pontificem, numero utens singulari, & Imperatoris nomen anteponeus Pontificis nomini.

An. 1159. Mortuò Hadrianò Pont. electus est Alexander III. Pontifex, cui pars Clericorum longè minor opposuit Octavianum arrogantem ac furiosum virum: hujus tamen partes mox tueri cœpit Fridericus pertinacissimè, etsi de legitima Pont. Alexandri electione epistolas complures & testes accepisset omni exceptione majores. Quin cum Legati Pontificii supervenissent, Pontificis mandata exponentes, eosdem cum furibus in furcam agi jussisset Imperator, nisi Duces Saxonix & Bavariæ validè obstitissent.

Eod. an. Fridericus Imperator coëgit Papiæ conciliabulum citans Alexandrum Pontificem, appellans etiam sua in epistola Octavianum, seu *Vietorem, Pontificem*; Alexandrum verò nomine suo priori *Rolandum*: unde Legati quoque Cæsarei perducti ad Alexandrum & Octavianum, huic omnem Pontifici debitum, illi nullum exhibuère honorem.

Annis sequentibus Fridericus datis epistolis ad Reges Hispaniæ, Galliæ, Angliæ &c. &c. eos sibi conjungere laboravit contra Alexandrum III. sed incassum.

An. 1162. Fridericus arroganti epistola significavit Regi Galliæ, competere sibi Romanorum Imperatori potestatem judicandi Romanum Pontificem, quam arrogantiam risit Rex Galliæ, pergens cum Angliæ Rege & Regibus aliis Alexandro obedientiam spondere, & honorem maximum exhibere.

An. 1164. Mortuo Octaviano Pseudo-Pontifice mox Guidonem Cremenfem, Paschalem III. nominantes, elegere in Pseudo-Papam Cardinales Alexandri III. hostes, quorum electionem mox ratam habuit Fridericus.

An. 1170. Defuncto Guidone Cremenfi, Schismaticorum turma elegit sibi in Pontificem suum Joannem Strumensem Abbatem, virum plurimis aspersum maculis, quem Fridericus supremo suo suffragio confirmavit.

His multis capitibus plura dabit legenda C. Baronius, & ab adjuncta autoritate discet credere a partium studiis remotus Lector, quanta sit fide dignus Erdmannus in citandis, & quam sit efficax in refutandis Baronii argumentis.

Reflexio ac Responso III. ad IV.

Peramicum & perbenignum folio tuo 474. ostendis te mihi, Erdmanne, spondeo ego vicissim tibi constantem amicitiam & animum benevolentia plenissimum, si veluti coepisti, hic mecum pergas inire vias. Afferis eodem fol. Lotharium II. Imperatorem omni laude dignissimum, studuisse conservare & propagare *Religionem puram*. Elegans profecto est haec sententia, paucis complectens multa, quae sufficiunt etiam laudando tanto Caesari. Singula ego comprobo & dilaudo verba, nec ullum reprehendo apicem, & hoc quidem sine palpo: tametsi enim per multos percurrerim Historicos, ut invenirem denique, qui reprehenderet Lotharium, quem tamen quaesivi, haud inveni; Lotharium II. Caesarem extollunt authores Itali & Germani, Orthodoxi & Heterodoxi, Veteres & Recentiores: Fatentur singuli, testantur universi, Lotharium de nobilissima Saxonum gente Imperatorem in id potissimum vires suas maximas intendisse, ut constanter conservaret & propagaret *Religionem Christianam*, quam tu, Erdmanne, tuo & sociorum tuorum more dicis *puram*. Quæro abs te nunc fallendi temporis & viæ causâ, quam, putas, conservare & propagare tanto suo conatu laboravit Imperator Lotharius, an *Romanam*, an *Lutheranam*? si Romanam dicas, te ipsum damnas: quot enim foliis tu & tui socii non *puram*, sed *impuram* per isthæc etiam secula Romano-

manorum Religionem appellastis, & meretrici *Babylonicæ* comparastis, comparatione perquam elegantis? Si *Lutheranam* existimas, te iterum & tuos omnes socios condemnas; contenditis enim adeo, ut nihil magis, à *Luthero D. Joannis Præcursoris Dominici æmulo* quasi alterum Christi adventum esse nuntiatum prosperrimè, *lucem è tenebris denuo erutam, super candelabrum positam, civitatem Dei iterum apparuisse supra montem Dei, Evangelii purissimi tubam insonuisse in auribus primum Saxonie & multarum latè in Germania circumsitaram provinciarum*. Num tandem incipis notare tuas angustias, quas tibi struxisti ipse insidiarum author? haud ego te insidiis eximam, sed magis circumcingam; baculum ego mihi assumo, & imitaturus Popiliura, circulum formo te includendum medio. En! te jam conclusum teneo: hic igitur stans delibera: & tum pronuntia: Lotharius Imperator, an *Romanæ*, an *Lutheranæ* fuit confessor, conservator & propagator Ecclesiæ? si *Romanæ* ais Ecclesiæ, tunc palam confiteris, illorum omnium fuisse veram ac *puram Religionem*, quotquot cum Imperatore Lothario consenserunt in confitenda, conservanda & propaganda Ecclesia; quis autem consensit constantius cum Lothario, quam *Romani Pontifices*, Honorius & Innocentius uterque secundus, ad quorum ferè nutus erat intentissimus tantus Saxo & tantus Imperator? Quis constantius consensit, quam *D. Clarevallensis Abbas & Doctor Mellifluus*, nec non Ordinis clarissimi author, Bernardus, Lotharii Imperatoris, ut ajunt, *pupilla oculi, quotidianum Oraculum, Lucerna totius Europæ*? Quis sæpius consensit cum Lothario, quam *Romanæ Ecclesiæ & Fidei Sacerdotes*, quos *suos Patres* appellavit, & singularem reverentiam iisdem exhibuit, nec minus exhiberi præcepit? Quis magis consensit cum hoc Caesare, quam vicini Reges & Duces permulti, qui Lotharii laudatissimum exemplum secuti, & ipsi professi sunt Religionem Romanam, pro viribus eandem conservantes & amplius propagantes? Nec tu, Erdmanne, nec Hübnerus hæc inficiantur: ex vestris enim foliis partem quaestionum harum formavi maximam. Vid. *Erdman. fol. 473. & 475. Hübnerum tom. 1. fol. 857. & 858. &c.*

Adverto, non præplacet tamen Erdmanno hoc primum dilemmatis membrum, eligit proinde alterum, ut se expediat suo circulo; hinc

post longas deliberationis moras ita pronuntiat: Lotharius II. Imperator fuit Conservator & Promotor *pure*, hoc est, *Lutheranae Religionis*, verum in votis potius, quam in effectu plenae lunae simillimo: effectus enim hic plenissimus secutus est primum, sequente Lotharium in Saxonia Luthero: Luther & Luder Imperator vix ab invicem dissensere. Hoc nomine appellat Erdmannus Lotharium Cæsarem, & sua de religione eundem ferme in modum perorat, dum de Joanne Huls & Wicleffo Lutheri præcursoribus verba facit. O responsum planè ex Apollinis tripode petatum! profectò quadrat perbene in rem nostram; nam pari jure asserere & nobis licebit: igitur etiam Honorius & Innocentius II. Pontifices Romani, & D. Abbas Bernardus, & plurimi Romanæ Ecclesiæ Episcopi, & Reges ac Duces, quotquot consenserunt bellissimè cum Lothario Imperatore, fuere conservatores & propagatores *pure*, hoc est, *Lutheranae Religionis*, verum in votis potius & desideriis, quam in effectu lunae plenae simillimo: effectus enim hic lucidissimus exortus est primum, sequente hos omnes Pontifices, Episcopos, Reges ac Duces &c. in Saxonia Luthero. Obsecro, cui placere queat responsum non tam meum, quam Erdmannianum aut Hübnerianum. Hinc circulo vel utrumque, vel alterutrum tenebo inclusum, donec aliud responsum ferat, & tripodem alium inquirat vel ab ipso Plutone cudendum.

REFLEXIO IV.

AEdificia aliàs etiam augusta, facie decora, si fundamentò careant solidò, post perbreves sæpè moras agunt rimas, & trahunt ruinas sua mole sibi maximè noxia: at verò domus solidis rupibus aut petris innixæ in dierum aut mensium myriades quasvis tempestates & ventos validissimos suâ constantiâ eludunt. Aedificavit sibi Sapientia Divina per Europæ totius plagas domum supra petras fundatam, cujus bases denique extendit in Germaniam identidem latius & Septentrionis provincias, maximè post Caroli M. & Ottonis M. gubernacula, adeò, ut seculo hoc XII. vix ullum Europa retinuerit angulum, quò non penetraverint Orthodoxi luminis radii, obscuras idololatrarum casas pervadentes. Et, quod in gratiis Dei referimus maximis, tam bene-

ne constitit sibi hæc domus Domini per Europam in omnibus quatuor plagis usque ad nostra hæc ultima secula, ut non solum Oriens aut Meridies, sed & Occasus & Septentrio gavisi sint, constare sibi in suis remotissimis regionibus firmissima Fidei Romanæ moenia. Quæ cum ita se habeant, ad finem hujus seculi XII. haud dabitur, multos numerare Reges aut Duces ad Christi Aras conversos, cum pene jam omnes Christiana Sacra pridem edocti, stare, perseverare & uni Deo litare consueverint. Operæ tamen pretium fors erit, eorum Virorum Principum exempla præclara intelligere, qui etiam extra Europam Romano Pontifici sacramentum dixere, vel in Europa pridem Fidei lumine illustrati in vitæ periodo, vel in mortis articulo edidere verè Christiani nominis & Fidei Romanæ specimina.

Imperatores, Reges, Duces ac alii Viri Principes Christiano nomine & exemplis hoc seculo XII. clarissimi.

ANNO 1102. Otto Henrici V. Imp. Consiliarius supremus, mortuò Rupertò Bambergæ Episcopò, mox subrogatus autoritate Cæsaris; verum ille suscepti in se tanti muneris poenitentiam ductus, mox Romam properavit non admissurus hanc dignitatem prius, quam à Pontifice juberetur, plura longè faciens obedientiam, quam victimas. Is ipse Otto in Pomeraniam veniens Apostolus plurimis animi salutem, sibi Divorum gloriam comparavit, relatus in Sanctorum catalogum. *Ursperg.*

An. 1104. Philippus Francorum Rex ob datum Reginae conjugii repudij libellum, haud semel tantum anathemate percussus, recipitur in Ecclesiæ gremium, dum seria notatur Regis poenitentia. *Ivo Carnotensis.*

An. 1112. Albertus Archi-Episcopus & Elector Monguntinus detestatus tandem Cæsaris contumaciam, totus fuit pro Paschali II. Pontifice: unde ab Henrico V. in vincula datus, trienniò integrò in carcere detentus fuit, exhibens cunctis insignis constantiæ & patientiæ exemplum. *Urspergens.*

An. 1123. Joannes Commenus, Orientis Imperator auxiliò Deiparæ Virgi-

Virginis fretus, de Scythis Thraciam invadentibus ingentem refert victoriam, Victricis Virginis Imaginem triumphali curru impositam insigni pompâ Constantinopolim reducit, pedes ipse currum præcedens. *Nicetas.*

An. 1124. Sub D. Malachia Episcopo, Hybernia prius sylvescens & zizaniis obducta reflorescere cœpit, tum moribus, tum doctrinâ Christianâ longè florentior. *S. Bernard.*

An. 1125. Cùm Henricus V. in Concilio Rhemensi anathematis sententiâ condemnatus fuisset, ingens eam in urbem concipiens odium, mox solo æquare constituit; verùm Ludovicus VI. Rex subditos suos ad pœnitentiæ opera peragenda animans, simulque in vota vocans D. Dionysii & Sociorum MM. suffragia, facilè urbis ruinam impedivit. *Sugerius Abbas.*

An. 1126. B. Godefridus, Westphaliæ Princeps, erectis tribus Monasteriis relicta conjugē, quæ sponte sua Monasterium petiit, unâ cum suo fratre sub D. Norberto in Septentrionis provinciis Evangelii Semen seminavit fructu uberrimo. *In gestis D. Norberti.*

An. 1130. Ludovicus Gallia & Henricus Angliæ Reges, insigni humanitate ac humilitate exceperunt Innocentium II. Pontificem, cui etiam ex gravissimo schismate afflictissimo promisere & præstitere constans auxilium.

An. 1131. Balduinus, Hierosolymorum Rex, post liberatam Saracenorum jugo Antiochiam probatissima morte defunctus est, paulò antè indutus Religiosum habitum, simulque vovens, deinceps servaturum se hanc constanter vestem, & Religiosi Ordinis Regulam. *Tyrinus.*

Eod. an. Gulielmus Aquitaniæ Princeps pessimæ vitæ & famæ hætenus, à D. Bernardo pœnitentiæ severè admonitus, ac ad conspectum consecratæ hostiæ perterrefactus, vitæ exitu à pœnitentia maximè commendato, testatus est mutationem dexteræ Excelsi. *Bernard. Abbas.*

An. 1137. Lodovicus VI. cognomentò Crassus, Francorum Rex, Ordinem D. Benedicti ingressu suo honoraturus, post bonorum suorum divisionem in ædes sacras & pauperes factam, frequenti exhomologesi animum expians, sumptò sacro Viaticò corpus suum in pavimen-

tum

tum cineribus aspersum deponi petiit, quo in loco etiam animam exhalavit. *Sugerius Abbas.*

Circa annum 1140. Rogerius Siciliae Rex schismaticus, capto Innocentio II. Pontifici summum honorem ac reverentiam exhibuit adeò, ut à victo & capto Rogerio plus honoris sperare vix licuisset Innocentio: atque ex eodem tempore idem Rogerius Ecclesiæ Romanæ exactam præstitit obedientiam, & testatus est pœnitentiam. *Otto Frising.*

An. 1147. D. Bernardus contra Gallia hæreticos operâ panis benedicti, in confirmationem Religionis Romano Catholicæ plurimis languentibus porrecti, permulta patravit miracula, tot nimirum sanatis, quot languentes de pane illo comedebant. *Gofridus.*

An. 1148. Emmanuel, Orientis Imperator, Ecclesiasticorum bonorum raptor violentus, multis adversitatibus à Deo castigatus, seriò culpas suas eluit; nam bullam, quam auream vocabat, in lucem edidit, eadem Ecclesiæ bona sua restituens, & bonorum immobilium possessionem jure deberi Viris Ecclesiasticis declarans. *Balsamon.*

An. 1149. Henricus, frater Ludovici Francorum Regis, Cisterciensem Regulam amplexus, paulò post ab Eugenio Pont. Bellovacensibus Episcopus fuit datus, suadente idipsum D. Bernardo, qui fuit Abbas Henrici. *Gofridus, Spondanus.*

An. 1161. Waldemarus Daniæ Rex, Canuti Regis & Martyris filius, idololatriam Vandalorum, Rugianorum & aliorum finitimorum populorum tollere strenuè laboravit, subscribens semper Romani Pontificis sententiæ, è contrario detestatus constanter schismata. *Saxo Gram.*

An. 1164. Conradus Salisburgensium Archi-Episcopus, Leopoldi Austriae Ducis filius, Germanus frater Conradi III. Imperatoris, patruus Friderici II. & Henrici V. Imperatorum sororius, cum Conrado altero Moguntiae Archi-Episcopo instar columnarum in Imperio firmissimarum stetit contra Fridericum II. pro Pontifice & Fide. Vide *Baron.*

An. 1173. Geysa II. Rex Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ, pœnitentiam

R. P. Kolb Series Impp.

Ss

riam

tiam Ecclesiæ suam testaturus eidem omnia restituit, quæ vel ipse, vel ejus Majores abstulerant. Vid. *Baron.*

Eod. an. Suldanus Iconii, cujus mater ob Saracenorum minas occultè Christo litare solebat, parentis exemplum secutus, Christo fidem promisit, probante Deo fidelitatem hanc multis miraculis. *Matthæus Paris.*

Eod. an. Henricus Anglorum Rex, occisò D. Thoma Cantuariensium Episcopò insigni poenitentia scelera sua delere studuit, his verbis respondens Episcopis collectis: *ecce, corpus meum in manu vestra est; scitote pro cento, quòd, quidquid jusseritis, paratus sum obtemperare. lib. 3. Histor. Quadripart.*

An. 1179. Philippus III. Franciæ Rex peregrinorum more venit ad sepulchrum S. Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi, affigens ibidem anathemata & offerens dona multa, quibus testari desideravit Deo & hominibus suam poenitentiam, & optavit ægroto filio valetudinem, quam etiam à propitio Numine impetravit. *Rogerus.*

Eod. an. Alphonus Lusitaniæ Dux, Saracenorum victor gloriosissimus, & Aris Romanis addictissimus, Regis nomen & insignia ab Alexandro IV. Pontifice accepit. *Histor. Lusitaniæ.*

An. 1180. Casimirus Polonorum Rex, constitutiones in Ecclesiæ & pauperum utilitatem factas, autoritate Romani Pontificis petiit confirmari, ut robur inde majus acciperent. *Longinus.*

An. 1180. Morti succubuit Emmanuel Orientis Imperator celeberrimus, de quo Guilielmus Tyrius refert, quòd ejus *elemosynas & beneficia multa enarratura sit omnis Ecclesia Sanctorum.* Idem vitæ termino propinquus habitum Religiosum induit, ut hac veste virtutes suas in morte ornaret magis. *Nicetas.*

An. 1182. Maronitæ per annos 600. Monothelitæ, relicta hac secta sua, consensu unanimi receperunt Ecclesiæ Romanæ de duplici Christi Servatoris voluntate dogmata: numerus eorundem superavit 40000. *Tyrius.*

An. 1187. Isacius Orientis Imperator civilibus bellis in angustias redactus, ostensa de urbis moenibus Deiparæ Imagine, hostes in fugam convertit. *Nicetas.*

An.

An. 1188. Reges Galliæ & Angliæ cum Philippo Flandrorum Comite Guilielmi Tyriorum Archi-Episcopi oratione permoti positâ inimiciâ expeditioni in Palæstinam suscipiendæ operam dederunt strenuam, ubi elegerunt sibi in tesseram diversi coloris cruces: Gallus nimirum *rubram*, Anglus *candidam*, Flander *viridem* sibi delegit. Atque hanc crucis electionem sibi summè probari ostendit crux quarta in cœli nubibus conspecta. *Rogerus.*

An. 1190. Richardus Britannorum Rex, hucusque multo pollutus scelere, in itinere per Italiam Palæstinam versus suscepto, convocatis, quos secum duxit, Episcopis, pedes nudus in terram procidit, labes confessus & detestatus publicè, exemplò suò plurimos ad imitationem sui pertraxit. *Rogerus.*

His longè copiosiores spectavit seculum præsens errantes, sed & poenentiâ claros Davides, in virtute constantes Ezechias, Religionis zelò ardentem Josuem & Moysem, hoc est, Duces, Reges, Cæsares, tantis Israëlitarum Ducibus una minimum ex parte meritò assimilatos, dum pro Palæstina seu *Terra Promissionis* pugnarunt strenuissimè, & mortem in eadem terra, vel inde non multum remotiores oppetièrunt, suâ vel suorum culpâ sic à Divino Numine ab ingressu Palæstinæ impediti & morte abrepti, ut citius Dei æternum viventis regiones ac regna triumphantium more ingrederentur identidem dicentes: *Domine, in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. Justitia tua sicut montes Dei: judicia tua abyssus multa. Psalm. 35. v. 6. & 7.* Ex quibus omnibus hoc seculo allatis coronidem hanc per se fluere adeò clarè colligimus, ut, quotquot coronata Capita, aut coronis Duces dignissimi pro Fide Romana steterunt, vel etiam in acie ceciderunt, tot testes regii testimonium copiosissimum dixerint pro Ecclesia Dei etiam *hoc seculo visibili per omnes fines terræ.*

Seculum Christi Nati XIII.

XXIV. Philippus II. & Otto Brunsvicensis.

EXcluso Henrici VI. filio Friderico, utpote quinquenni parvulo, diversi Electorum calculi diversos dixerunt Imperatores, alii nempe Philippum Friderici Aenobarbi filium Henrici VI. fratrem, alii Ottonem Brunsvicensem Henrici Leonis natum. Philippus Mülhusii in Alsatia, Otto locorum alibi à suis affectis electus, Aquisgrani, coronam Imperii induere videri voluit, dum Philippus Imperator fuit coronatus Moguntiae. Unde orta inter diversas partes bella gravissima, post amissas victorias, eas in angustias redegere Ottonem, ut in Angliam tandem aufugerit, à Richardo Rege auxiliares copias, à Romano Pontifice verò Innocentio III. confirmationem rogaturus. Quare Philippus prima alterave vice anathemati subjectus, nihilominus à plerisque Imperii Proceribus probatus, adeò suas in partes pertraxit Pontificem, ut ab hoc Ecclesiae vinculis solutus, Ottoni filiam suam Beatricem in conjugem miserit, missurus etiam Imperii fasces, si fata instarent ultima. Ita data & accepta utrinque fides. Offendit verò Ottonis unius connubium Ottonem maximè alterum, Witelspachium nempe Bavariae Comitem praepotentem, qui quòd promissam sibi sponsam Beatricem, ereptam modò sciret, amore & furore amens irruit in conclave Imperatorium, in quo Philippus sub chirurgorum manibus è venis sanguinem emittens, sed simul Ottonis gladio percussus, vitam & copiosorem sanguinem effudit, postquam veriùs pugnavit, quàm imperavit annis fere 9. Symb. *Satius est recurrere, quàm malè currere.*

Hoc ex tempore Otto Brunsvicensis ab Imperii Statibus confirmatus Imperator & ab Innocentio III. Augustus coronatus, comitantibus multis Viris Principibus tum Ecclesiasticis, tum Imperii Proceribus aliis, totius Italiae in se convertit oculos. Inter Comites eminebant etiam Bavariae, Lotharingiae, & Zeringae Duces, quorum ultimus oblatam sibi quondam Imperii coronam respuit, auri, quo abundabat maximè, amantior quàm sceptri. Inter mutua amicitiae & pacis signa Pontifex à

Caesare,

Caesare, Caesar à Pontifice colebatur; non item Romani cum Germanis, aut hi cum illis amicitiam colebant; crebrae enim inter utrosque velitationes prodromi erant dissensionis illius maximae, qua Otto Ecclesiasticorum bonorum invasor in se Ecclesiae anathema provocavit, Innocentii III. hostis capitalissimus. In hujus igitur solium ex Italia ab Imperij Electoribus evocatus Fridericus prope Constantiam cum suo exercitu in Germaniam penetravit, à quo, vel potius à Philippo Galliae Rege Friderici amico victus Otto vix vitam fugam discrimini eripuit, & imperare desit an. Imp. 8. aerae Christianae 1212. Ab hoc tempore post elapsos sex annos è vivis excessit Otto IV. quondam Imperator, cujus morientis tanta fuit poenitentia, ut ossa sua ad Romanum Pontificem jufferit deferri, quòd citius excommunicationis vinculo solveretur. Symb. *Anser strepit inter olores.*

XXV. Fridericus II.

Fridericus II. Friderici I. nepos, Henrici VI. filius, avo, quàm patri similior, virtutibus avum primò æmulatus, vitis demum longè superavit: animus enim Friderico fuit quibusvis major adversis, quae simul cautè declinare, & prudenter superare didicit, nemini non sui spem relinquens maximam juvenis florentissimus. Animi fortitudinem comitabantur militaris gloriae cupido, in bene meritos munificentia non nimis profusa, in noxios severitatis rigor haud injustus, in plebejos etiam affabilitas non levis, in domesticos facilitas non despecta, in externos diversarum linguarum peritia rara adeò, ut suum dicerent Germani, Latini, Galli, Saraceni &c. Hae virtutes juvenem ornabant maximè, virum verò Caesarem corrumpebant vitia & consummabant, inter quae contemptus sacrorum Antistitum & animi libidinum ducebant. Constantiae Siculorum Reginae filius & haeres, ut & ipse novi regni Hierosolymarum haeridem gigneret, Jolantham earundem Reginae in thalamum duxit regium inter sex conjugem secundam. At partum matrimonio regnum conservare armis haudquaquam fortiter laboravit, vix serius hostis Saracenorum; horum enim tyran-

Ss 3

nidu

nidi ac furori in multos annos futuro, Palæstinam armis victricibus antea ereptam reliquit, tristissimas Ecclesiæ Romanæ inducias cum Ægypti Suldano in armis socio pactus, fortè ut Ecclesiam affligeret amplius. In Italia Gibelinorum atque Guelphorum tunc maximè notatum est discrimen: his Pontificis, illis verò Friderici causam propugnantibus inter perpetuos eosque gravissimos bellitumultus. Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. laudatissimi Pontifices fuère, quos Fridericus nunc promissis lactaverat, nunc dolis circumvenerat, nunc armis petere non formidarat Pontificum persecutor acerrimus, à quibus itaque ter quaterve repetito fulmine percussus ac depositus, promotis in Cæsaris solium Henrico Raspone Thuringiæ Duce, & post hunc morte ereptum Wilhelmo, Hollandiæ Comite; quorum tamen perbrevis & exigua fuit potestas inter multos Germaniæ Proceres, eorundem plerisque diuturnis Imperij turbis adeò fatigatis, ac in angustias redactis, ut incertissimum haberent, quorumnam partes sectarentur potiùs, rebus cunctis ad desperationem vergentibus. Inter hos Cæsares adversarios paucorum annorum spatiò morte violenta abreptos, omnium citissimam & tristissimam sortem ac mortem nactus est Fridericus; in Apuliæ enim campis cum ex afflicta valetudine vires resciceret, tristi occubuit morte, an. 1250. venenò peremptus, porrigente illud Manfredo Friderici notho altero, malorum plurimorum molitore etiam in patrem, licèt ab hoc paulò antè Siciliæ regnum petièrit & opinione sua impetràrit, vanæ hæreditatis titulò haud gloriosus Rex, sed furiosus tyrannus Siculorum. Annos Friderici in Imperio numerarunt universim 38. annueratis annis iis ultimis, quibus Henricum & Wilhelmum sibi oppositos Cæsares oppugnabat. Fridericum hunc ob plura capita haud immeritò ab Historicis reprehensum, maximis encomiis aliquo saltem tempore extulerunt Principes Brunsvicenses & Luneburgici, Henrici Leonis Saxonum Ducis hostes jurati, quos Cæsar prærogativâ Ducum insignivit eo pacto, ut Saxonie jura & nomina deinceps missa facerent. Encomia hæc suis laudibus auxerunt Friderici commilitones per Germaniam plurimi, quos Imperator Nobilium privilegiis honoravit. Æquiori jure Friderici II. famam celebrarunt literarum æstimatores plurimi, quibus exemplò suò præluxit

præluxit literarum Mæcenas liberalissimus; hos omnes namque ad sui imitationem pertracturus, Viennensem, Neapolitanam, Patavinam & Perusianam erexit Academiam. Perhibent etiam Authores, Friderici II. curâ Aristotelis & Galeni libros ex idioma Arabico in Latinum fuisse translatos. Cæsaris hujus nomen ad cælos extulerunt urbes in Suevia & Alsatia non paucæ, inter quas venerunt Fridberga, Biberacum, Eslinga, Reutlinga, Dinkelspila, Cæsaris Mons, Colmaria & Schlettstadium, quas omnes vel condidit, vel auxit ædificiis, in sola augenda Ecclesia neutiquam liberalis. Symb. *Minarum crepitus asinorum strepitus, Blond. Egnat. Cranz. &c.*

XXVI. Conradus IV. Henricus Raspo & Wilhelmus.

Conradus Friderici II. filius jam solus legitimus, vivente patre Romanorum, aut veriùs Germanorum Rex electus, mortuo genitore vix Germanorum Imperator fuit. Henricus Thuringiæ Princeps Lugdunensi Concilio potior visus ad bella Conradum adhuc Regem, imperante etiamnum patre, provocavit, vel provocatus comparuit. Ulma equidem & Reutlinga Sueviæ urbes obsidione ab Henrico frustra circumfessæ, obsessori suo Imperatori lethale vulnus infixierant, atque ejusdem brevi mors secutura Conrado victori secura omnia fore promiserant, præsertim cum Wilhelmum Hollandum quoque amissâ victoriâ salutem à fugâ quærere compulisset. Verùm spem fefellit eventus; in Italiam enim pergens cum exercitu Conradus, hostes obvios habuit permultos: sed & ex Italia in Germaniam redux à Germanis non minùs, quàm ab Italis destitutum se comperit. Defectionem Germanorum plurimùm promovit Manfredus ex adulterio susceptus frater, qui multo ex scelere semper audacior, occiso patre Imperatore Imperatorem fratrem venenò quoque occidit an. Imperii 4. Christi 1253. occisurus facilè etiam nepotem Conradinum, si Carolus Dux Andegavensis non eripuisset Suevorum Ducem & Regem. Conradinus nimirum Conradi filius, regnorum Neapolis & Siciliæ hæres, nondum vigintiannorum juvenis, ut comparato ritè exercitu in Italia debellaret hostes plurimos, tum auri summâ gravissimâ mutuo

acceptâ, tum etiâ Palatinatu Superiori in Ludovicum Severum Imperii Electorem, affinitatis & amicitiae vinculo sibi conjunctissimum venditione translato, conduxit milites. Conradino accessere belli & periculorum omnium primò socii Ludovicus Elector & Fridericus Austriae Archi-Dux unâ cum Nobilium Germanorum parte haud exigua; an. 1268. in finibus Superioris Neapoleos decretoria pugna fuit commissa, in qua Conradino primùm victori facili negotio triumphare licuisset, si victoriâ uti novissent socii victores Germani, qui spoliis avidissimi, dum hostes incautè persequuntur, ab horum parte reliqua in insidiis collocata subito occupati, cæsi, & Conradinus ipse cum Friderico denique & multis Nobilibus in captivitatem fuit abstractus. Anni unius spatio protracta est juvenum Principum dura captivitas, quam finit tandem an. 1269. mense Octobri, aut, si ritè scripsere alii, mense Novembri, feralis scena dignissima publicis theatris materia. Si ullo unquam tempore Austria & Suevia à Gallis grave accepit vulnus, hoc profectò fuit gravissimum, quo simul Friderico Archi-Duci & Conradino Duci hæredibus utrobique masculis ultimis in foro Neapolis publico unâ cum magna Germanicæ Nobilitatis parte amputata sunt capita, tantorum juvenum sanguine è coelis poscente vindictam atrocissimam; ab eo nimirum tempore non magis Siculi, quàm Superi multis præcogniti prodromis sunt stragem meditati, nulla facilè ætate obliterandam. Vesperas Siculas dixere, quòd festivo Paschatis die sub horam secundam anni 1282. octo Gallorum millia à conjuratis Siculis fuerint trucidata; ubi tanto furore in Gallorum præsidia fuit sævitum, ut nec ipsis prægnantibus foeminis natione Siculis, si Gallis nupsere maritis, fuerit paritum, eo fine præpostero, ut nimirum nec gutta sanguinis aut seminis Francici deinceps Siculis foret superstes. Necdum hic finis ultionis; nam anno 1284. Rogerius Lauria Arragonicæ classis Præfectus, natione Calaber, relictis Francis junctus Hispanis, industriâ suâ rem Franciam paulò antè denuò erectam, in regno Neapolitano penitus evertit. Provocatus à Lauria ad pugnam Caroli Andegavensis filius Carolus, dum temerè comparuit, simul cum Gallis Nobilibus plurimis captus, & judicis sententiâ capite damnatus est; unde tot aut plures suorum vidit manu carnificis occumbere, quot Germanorum Nobilium

annis

annis prioribus fuderunt sanguinem in ferali theatro. Captivum & mortis metu ferè exanimem Carolum damnatorum denique numero subduxit Constantia Petri III. Arragonum Regis conjux, Siciliae hæres, Conradino sanguinis propinquitate conjuncta, quæ sextam feriam Dominicæ Passionis dedicandam contemplata, maluit hosti vitam & veniam concedere, quàm deinceps talionis poenam sumere, Divini Servatoris inimicis veniam indulgentis exemplò probè commota. Hic finis Conradini & Ducum Suevorum. Symb. Conradi: *Sapientis est, cum optimè possit, nolle nocere.*

Symb. Henrici Rasponis. *Non nisi coactus.*

Symb. Wilhelmi: *Conveniunt rebus nomina sepe suis. Naucler. Sigon. Fugger. Foresti &c.*

XXVII. Alphonsus Sapiens & Richardus.

Morte prostratis tribus, nomine veriùs quàm re, Imperatoribus Imperii Electores duas in partes divisi, duos Reges duos dixere simul Imperatores prioribus haud dissimiles. Alphonsum Electores Moguntinus, Coloniensis & Palatinus elegere; Richardum verò Rex Bohemæ, Elector Saxo & Brandenburgicus, quibus denique consensit Trevirorum Antistes, futurus cum Abbate Principe ad D. Gallum nuntius in Hispaniam. Auditos Legatos Alphonsus mirè lætus honoribus & donis pretiosissimis auxit, simulque Germanorum in se propensos animos dilaudavit, eorundem tamen intellectis dissidiis adduci nunquam potuit, ut relictâ Hispaniâ in Germaniam aut Italiam pergeret, donec denique Imperii Proceres longioris moræ pertæsi, & malis plurimis afflictam Germaniam miserati in eam convenere sententiam, ut Germanis Germanum præficerent Imperatorem. Rem igitur seriò agi animadvertens Rex Hispanus, dum iter in Germaniam adornavit, in Provinciam Galliae jam delatus, audito Rudolphi Imperatoris novi nomine cum Phrygibus sapuit, invitò & ægrò animò valedicens Imperio & Regno, nec Imperator nec Rex deinceps futurus. Interea Richardus auro atque argento Germanorum plurimorum sibi mercatus favores, tamdiu visus

R. P. Kolb Series Imp.

T t


est

est imperare, quamdiu opibus abundare. Rheni littora maximè honorarunt suum hunc Imperatorem liberalissimum, quibus magnam auri copiam solvit, & vectigalia remittit, ut urbium portas venienti aperirent. Verùm dum Basileam ascendit omnibus ferè opibus destitutum Caput, tum verò partes dilabi cœperunt, vix tutum relinquentes Richardo inter Germanos locum: unde in Angliam ad fratrem Henricum Anglorum Regem reversus, contra perduelles pro fratre pugnavit, & sanguinem cum vita fudit, dolens tum maximè, quòd in Palæstina olim strenuè pugnantem pro Christo occumbere non contigerit. Atque hi suère Imperatores illi, quos Historicorum permulti vel silentiò prætereunt, vel saltem vix locum ullum inter Imperatores Romanorum concedunt, ab anno hujus seculi 50. usque ad annum 73. interponentes annorum 22. interregnum.

Symb. Alphonfi. *Pro lege & pro grege.* Symb. Richardi. *Medicis rebus longius ævum est.* Caspin. *Marian.*
Panormit.



SE-



SERIES ROMANORUM IMPERATORUM

Pars III.

Periodus IV.

Felix Romanorum denuò Imperium, quod ab omnium rerum principio suum denuò duxit initium, initio jungens progressum vix unquam auspdatum magis! Extollant suas Olympiades Græci, Constantini M. & Successorum Imperatorum subditi: encomiis ornent sua secula Orientis & Occidentis Franci sub Carolo M. & nepotibus gloriosi: gratulentur sua sibi lustra & æras felicissimas Saxones sub Henricis & Ottonibus non tam Imperatorum subditi, quàm vicinarum nationum Domini; impetrarunt nunc tandem Germanorum plerique, atque inter hos maximè Austriaci, cur in lætitiis & lubentias non indecoras effusi, nec invidiant Saxonibus, nec Francis, neque Græcis, utpote singulis & universis feliciores. Perhibuit nimirum hoc rursus seculo terrarum orbi universo regnorum Supremus Moderator Deus, coronas & scepra Imperatorum ac Regum sua in potestate esse posita, iis denique ab eodem concedenda, quos ipse cujusvis fortis & mortis Dominus elegerit, & uno suo calculo confirmaverit, non severè aded deinceps subditorum scelera suis in Regibus

Tt 2

puni-

puniturus; sed potius justorum magna merita præmiis majoribus remuneraturus.

XXVIII. Rudolphus Habsburgicus.

DIcam sanè, & quidem absque palpo, non veluti Saulem, sed instar Davidis Rudolphum de nobilissima Habsburgicorum stirpe Germanis imperasse Cæsarem, non tam ab hominibus vocatum, quam à DEO datum & conservatum: natum enim novimus eodem anno, quo Ducum Zeringensium, inter Germanos quosvis nobilitate insignium, ultimus Bertholdus V. extincto omni hærede mascululo Friburgi Brisgojæ mortem oppetiit, ut avulso uno non deficeret omnis; sed incrementum maximum sumeret antiquissimæ stirpis ramus alter, videlicet Habsburgicus. A Friderico II. Cæsare ex sacro Baptismatis lavacro levatus, ac in aulam Imperatoriam translatus tamdiu Cæsari placuit, quamdiu ejusdem filios meritis superare non fuit visus, invidia ad illud usque tempus æmulos nullos excitante. Cùm verò Palatinorum nonnulli Rudolpho honores copiosos tribuerent, & vates haud vanus Imperii Sceptum coram Cæsare promitteret; tum verò omnis æstimatio in invidiam, & amor mutatus in odium ex aula Imperatoris pepulit laudatissimum transfugam in aulam & castra Regis Bohemorum Ottocari, cui vel Dux supremus, vel certè inter primos servire didicit, ut eidem disceret imperare tandem Imperator Regis futurus. Dedit inter Bohemos, nec minùs inter Germanos Rudolphus tum aliàs semper, & tum maximè Deo honorem singularem, cùm Sacerdotem epulò Eucharisticò ægros refecturum in sylvis sibi habuit obvium, pedes mox factus ex equite, ut posset esse pedisequus Regum Regis, à quo post annorum quatuor & decem intervallum est adedè honoratus, ut ex Dynasta Germaniæ Imperii Moderator Supremus evaderet, si Ottocarum Bohemiæ Regem excipias, unanimi Electorum calculo ad thronum evocatus, cùm Basileam Helvetiæ urbem obsidione premeret. Implevit tam expectatæ rei nuntius Germaniam universam festivis lætitiæ signis; ubi laudis encomium tulère eximium Wernerus Mogun-
tia

tiae Præsul & Ludovicus Baviaræ Dux, simulque Elector Palatinus, qui ante alios nominârunt Rudolphum I. Imperatorem: quin teste Historia his maximi momenti negotiis Ludovici arbitrio commissis, tanti valuit ejusdem autoritas, ut verbis & exemplò reliquis potentior traxerit Electores pene singulos ac universos in suas, aut veriùs in Rudolphi partes. Verùm communi Electorum calculo haud priùs annuit Imperator novus, quam ablata Ecclesiæ & Imperio restitutos se editò sacramentò promissere Imperii Magnates: eum in finem etiam, cùm Imperii insignibus exornando Cæsari sceptrum fortè deesset, Crucifixi Dei Imaginem dexterâ stringens, obluçantium expugnavit animos, palàm professus, hoc sceptro, hoc gladio se dimicaturum pro Christo & pro Imperio contra quosvis hostes. Confirmatus itaque tum in Germania, tum in Gallia etiam in Lugdunensi Concilio Imperator, per multos mox expertus est amicos Viros in Imperio Principes: datæ enim & acceptæ in matrimonium filia, Mechtildis Ludovico Palatino; Catharina Ottoni Bavaro; Agnes Alberto Saxoni; Hedvvigis Ottoni Brandenburgico juratam amicitiam firmavere, quovis obside cariora pigora. Filias duas reliquas in conjuges regias selegerunt sibi Carolus Martellus Siciliae, & Wenceslaus IV. Bohemiæ Reges. Per paucos è contrario perpeffus hostes fuit publicos, qui privatæ invidiæ commune omnium gaudium postposuerunt; eosdem inter primum facilè sibi vendicavit locum Ottocarus Bohemorum Rex. Haud multo labore opus erat, ut minores hostes caderent, quos inter nequaquam numerandus venit Ottocarus, qui legatos à Cæsare missos Pragæ funibus suffocari jussit ad urbis portam suspensos, susque deque habens jura gentium. Igitur jam non amore, velut aliàs, certabat Imperator; armis pugnandum erat, ut elatum superbiâ hostem sub jugum mitteret. Jamque concurrerunt infestis armis & animis Germani cum Bohemis in Austria, quam irrigavit copiosus Bohemorum cruor, fortè ut nobilior longè sanguinis hisce in terris nasceretur, Archiducum Austriae & Imperatorum feracissimus. Timere jam sibi plurimùm & regno suo Ottocarus cœperat; pacem ergo, quam paulò antè pervicax negarat, supplex petit

in verba Cæsaris jurare paratus. Insula Danubii erat, quam se aditum promiserat, ut sacramentum Imperatori Rudolpho diceret sub tentorio; ignominiae loco habiturus, si palam hæc agere conspiceretur à populo. Placuit hæc ad speciem data & accepta utrinque conditio. Verùm, dum Rudolphi quondam Ducis sui, nunc Cæsaris advolvitur pedibus, remissis vel attractis funibus cadunt subito explicata supra tabernaculum vela ea ratione, ut pateret omnium oculis subjectus Ottocarus, ringentibus ad hujus rei conspectum Bohemis, Germanis verò Bohemorum superbiam explodentibus. Ad arma igitur denuo deventum est in Austria, ubi Ottocarus captus atque lanceis confossus est duobus à fratribus, quorum fratrum tertium paulò antè reclamante innocentia è medio sustulerat. Securus undique jam imperare potuisset Rudolphus, nisi in Thuringia arces sexaginta obstitissent, quas incendio delere suaserat necessitas, ut fugaretur latronum cohors maxima, quorum antesignanus se Fridericum II. Imperatorem dicere ausus est comædus quidam mendacissimus, ad rogum damnatus ante arces flammis dignas. Paucis demum complectar multa: Rudolphus herostogâ sagoque illustris in quatuordecim diversis præliis victor extitit, virtutibus multis constanter insignis, quibus plerumque prælia cœpit, & finit; post devictum enim Ottocarum mox ædem extruxit Tulnæ in honorem Crucis Dominicæ, quam instructis ad pugnam copiis anteferri vel à filiis præceperat. Monasterium quoque D. Augustino maximè dicatum ædificavit Tiguri futurus brevè Augustus: cœnobîa alia partim opibus, partim privilegiis multis decoravit. Affectu in Deiparam ardentissimus, vix ullam rem arduam orsus est sine ejus auspiciis. Patientis Christi singularis adorator diem Veneris præ cæteris habuit prosperum & faventem sibi; unde & Bohemos & hostes alios hac die prostravit, trophæum crucis suum interpretatus triumphum. Clementiam Rudolphi singularem experti multi minorem in Duce, majorem in Cæsare fuisse dixerunt: rei hujus causam aliquando rogatus Rudolphus respondit: *Severum & immitem me aliquando fuisse pœnitet, lenem & placabilem nunquam: aliàs verò satellites duros his increpuit vocibus: Per Deum! finite homines ad me venire; non enim ideo Imperator sum, ut in arcula includar.*

Cæte-

Cæterùm septem filiorum, & totidem filiarum genitor duas Augustas duxit conjuges, alteram juvenis Dux, alteram senex Imperator: eandem prior Anna Hochenbergica an. 1281. Viennæ mortua, Basileæ in cathedrali æde sepulchro fuit illata. Agnetem Burgundicam sponsam dedit alteram Basilea non minùs naniis, quàm nuptiis Cæsaris Rudolphi gloriosa. In votis jam illud unum supererat huic Imperatori, ut nempe filius Albertus Cæsar placeret Imperij Septemviris; verùm cum spe sua excidisset, spem vitæ longioris amisit Imperator annorum 17. an. æt. 73. Germershemii mortuus, Spiræ sepultus an. 1291. Symb. *Melius est bene imperare, quàm Imperium ampliare. Cuspin. Genebrard. Egnat. Fugger. &c.*

XXIX. Adolphus Nassovius.

Rarò aut nunquam feliciter imperavit Imperator, obscuris potiùs machinis, quàm suffragiis Electorum legitimis in solium promotus. Defunctò Rudolphò Habsburgicò sex menses fluxerunt, dum Viri Principes Imperij varias in partes abière, incerti, quem præ reliquis Imperatorem Rudolpho non absimilem eligerent. Tandem annitente plurimùm Gerhardo Moguntiae Præsule & Electore, eo tempore multùm Prævalente, Nassoviæ Comiti Adolpho Imperij insignia sunt credita, quæ tamen ipse tulit insigni cum dedecore, Imperio tum dignior, cum non fuit Imperator. Albertum Rudolphi filium, præ reliquis omnibus Electoribus in Cæsarem eligi ardentius desiderabat Ludovicus Severus Palatinatûs & Bavariæ Dux strenuissimus, qui hanc ipsam ob causam (quamvis diversam prætenderet Adolphus) ab electo Cæsare Nassovio proscriptus, aliquo tempore extorris instar lugebat, denique sibi & suis restitutus. Displicuit tum Ludovico, tum aliis Viris Principibus in Adolpho præter alia avaritiæ crimen, quo excæcatus copiosum aurum ab Eduardo Anglorum Rege accepit, ut conducto Germano milite Philippum Pulchrum Galliae Regem Anglorum hostem junctis viribus superaret, ferè inauditò ad illud usque tempus per Romanum Imperium exemplò, quo Romanorum Imperator stipendia potiùs cœpit mercari, quàm mereri; quem pudere oportebat, & esse mercenarium, & mercatorem. Sui muneris ob id severè admonitus à Bonifacio VIII. Pontifice, paruit quidem monitis

monitis Adolphus; verùm deinde culpam minorem auxit majori: eodem enim stipatus milite, Thuringiam legitimis suis Dominis (sic habet communior opinio) Friderico & Dazmanno Alberti Thuringorum Ducis erepturus fuisset filiis, nisi eam etiam ob rem Imperij diademate privandum censuissent iidem, qui paulò antè de dère lenta manu Septem viri Imperio itaque peridoneus serò satis est visus Albertus, Rudolphi filius; qui à congregatis Imperij Statibus denuò vocatus, ut imperaret, venit, vidit, & vicit hostem vicinæ morti destinatum; Adolphus enim intellectâ Electorum contra se sententiâ tristissima, aut imperare, aut mori, nequam subesse paratus, adveniēti Alberto expeditum objecit exercitum. Inter Spiram & Wormatiam decretoriâ pugnâ decertatum fuit accerrimè, in qua Albertus post sex horarum insigne certamen superavit Adolphi exercitum, magis verò Adolphum ipsum, quem inflicto in faciem vulnere in terram prostravit victor, eripiens victo vitam, gladiò & sceptrò potentior. Imperavit an. 6. occisus an. 1298. Symb. *Præstat vir sine pecunia, quàm pecunia sine viro. Trithem. Naucler. Forest.*

Reflexiones supra Seculum XIII.

DEcepit me vehementer spes mea, qua speravi, fore, ut adversarii mei sint denique futuri amici mei. Ita profectò frustra futurus sum, si in amicitia deinceps spes ponam meas: quò enim longius in Historiæ stadio vellentè procedimus, vel citatis pedibus currimus, optant Hübnerus & Erdmannus novas sibi vires, novos circumspiciunt socios, novos mihi opponunt hostes & adversarios. Socios desideranti Erdmanno se ultrò obtulit gigas Polyphemò major, Hippolytus à Lapide, personatus ille pugil, qui in arenam provocat integros exercitus. Tantas sibi vires promisit hic superbiâ elatus, & invidiâ accensus, & irâ inflammatus, & furore exæstuans Romani Imperij reparator insignis. In cineres brevè abibis fortunatissima hætenus, sed nunc demum, ô nimum infelix Domus Austriaca! bellum indixit tibi Hippolytus à Lapide, ad monomachiam te provocat, tot gladiis & clypeis, tot sclopis & hastis, quot argumentis, quæ numerò sunt plurima; instructissimus. Væ tibi Austriadum Series longissima simulque Augustissima; in angustias red-

cta

cta es ab uno victore; quoniam prius in angustias compulisti Romanum Imperium; sepulchralem tibi mox circumspice lapidem, quin de sepulchro duntaxat tuo sit deinceps cura tibi; sepulchralem enim lapidem se dabit tibi *Hippolytus Lapis*, tuos supra cineres trophæum erecturus. Parentabunt tibi tot, quotquot Hippolytus numerat socios & patronos, numerat verò plurimos, inter quos Proceres multi lessum tibi tristissimum, sibi lætissimum canent; Viri Politici testamentum tuum executioni dabunt; Historici Lutherani aut Calviniani Historiam tuam scribebunt; Poëtæ variis elegiis funus tuum exornabunt, epitaphium tuis meritis suppar inscripturi sepulchrali lapidi. Heu! heu! jam victa præcipitatur aquila tota plumis & pennis destituta, multo vulnere sauciata! erepta est ex ejus unguibus Imperiale pomum, gladius, sceptrum, sertum, corona, cuncta Imperii insignia; Austriæ sepulchrum est paratum totum! An putas, intelligis, quæ legis hic, Lector Benevole? si minùs capias, arcanum aperiā meum. Dabo, si lubet, lustrandum tibi Hippolyti à Lapide libellum, quem vocat:

Dissertationem de ratione Status in Imperio nostro Romano-Germanico, priori seculo editam.

In fronte libelli oculos tuos rapiet Imperii Aquila supra pomum Imperiale collocata; sed tribus circumcincta validissimis hostibus, quorum duo Aquilam deplumant, tertius caput ferit, atque adeò Austriacas Aquilas, hoc est, Cæsares, junctis viribus petunt, sternunt, interimunt, ut suus Romanorum ac Germanorum Imperio vigor redeat. Hæc frons libelli. Libellus verò totus in tres divisus est, velut in tres exercitûs partes, quibus Austriacorum maximè Cæsarum imperandi methodus traducitur, convellitur, contemnitur, condemnatur, tanquam Romano Germanico Imperio exosa & exitiosa. Neque existimes, me verbis his meis excedere modum aut mensuram: fidem non tam meis posco, quàm Hippolyti verbis, quorum multa seculis deinceps singulis afferam, & mox seculo hoc incipiam, postquam satis dero Erdmanno & Hübnero nunc solis, qui in has Friderici II. laudes nimias sic excurrerunt:

R. P. Kolb Series Imp.

Uu

I. Fri-

- I. Fridericus II. plurima mala perpeffus est, ita iniquiffimè volentibus Romanis Pontificibus; à quibus crebrò per summum nefas anathemate fuit percuffus ac depositus Imperator multîs encomiîs digniffimus, velut ex Pontificiis authoribus ipsis colligitur. Vid. *Erdmannum* à folio 578. usque ad fol. 608. *Hübner.* à fol. 882. tom. 1.
- II. Inter alia accusatus Fridericus à Pontifice, quòd alienus foret à Christi seu Christicolarum dogmatis, palàm professus est, vivere ac mori paratiffimum se esse in Religione suorum Majorum. Vid. *loc. cit.*

Querela contra Imperatores Austriacos.

- III. Hodierni Politici tempori & auræ se accommodantes, in laudibus Familiæ Austriacæ toti sunt, & merita ejus plenîs deprædicare buccis nunquam desinunt.
- IV. Austriaci Imperatores concredito sibi munere nunquam functi sunt, nec Res Imperii bene administrârunt, prout ex capitulationis suæ tenore obligati fuerant; hinc nunquam ab augendo *Augusti* nominandi, sed *angusti* ab angustando. Vid. *loc. cit.*
- V. Austriaci Imperatores neglectò Imperii emolumentò privatam suam potentiam stabilire conati sunt constanter.
- VI. Austriaca Domus, si à Rudolpho usque Habsburgensi consideres, Imperii beneficio, *ex obscuro loco ac tenuibus initiis* ad maximam pervenit dignationem & potentiam, unde sub his Imperii veteris Germania eaque pristina integritas decoxit, tranquillitas involuta est Austriacis turbis non necessariis: libertas in servitutum depressa est: honor & gloria vicinis nationibus est ludibrio. Vid. *loc. cit.*
- VII. Rudolphus I. in multis capitibus laudem tulit, in aliquibus vituperio obnoxius, quòd nimium munificum se exhibuerit Romano Pontifici, concedens eidem Exarchatum Italiæ: item impertiens Italiæ urbibus, Bononiæ, Florentiæ, Genuæ, Luccæ, &c. ab Imperii oneribus immunitatem, acceptâ auri summâ gravissimâ. Hæc ferè sunt verba *Hippolyti P. III. cap. 2. fol. 515. & seq.* Hinc, Lector amicissime, hoc ex ungue cognosce leonem, aut veriùs lupum totum, ex uno nimirum hoc capite totius libelli capita valde multa, quorum nullo non instar furiosæ canis aut lupi Austriacam famam & gloriam arrodit. Sufficiant verò plus-

plusquam abundè nobis, hoc loco annotâsse hæc multa diçteria, universam Austriacorum Cæsarum Seriem lædentia. In genere, ut ajunt, responsa sequentur contumelias generales; singularia tamen sint ea, quibus jure meritissimo à quibusvis injuriis vindicari oportet Rudolphum I. & sic deinceps Austriacos Imperatores omnes, usque ad Ferdinandum II. nam ab hoc Rudolpho usque ad Ferdinandum illum fuit & sævit Hippolytus.

Reflexio ac Responsio I. ad I.

AN Fridericus II. plures offensas à tribus Pontificibus Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. an hi à Friderico Cæsare acceperint, judicent nunc judices, aut arbitri nostri authores iidem, quos à folio 583. sat copiosos numerat Erdmannus. Inter multos collocavit etiam *Bzovium, Platinam, Blondum, &c.* quos omnes absque mora perlegi, ut deprehenderem quamprimum, an iidem Erdmanno & Hübnero arma porrexerint pro Friderico II. contra Pontifices. Verùm hos authores omnes ab Erdmanni & Hübneri opinionibus tam diversos inveni, quàm diversus à nocte dies, à plumbo aurum, à paleis triticum: tam enim Platina, quàm Blondus & Bzovius miris laudibus exornârunt singulos hos Romanos Pontifices, vix ullam verò dixere laudem Friderico. Omisîs sententiis verborum plurimîs paucas ex singulis decerpo; nam cuncta si transcriberem, liber prodiret bene magnus.

Platina in vit. Pont. 186. hæc de Honorio refert: *Interim Honorius Fridericum II. anathemate notatum Imperii dignitate privat, quòd mortua matre Constantia, quæ ipsum in officio continebat, Romam veniens, contra jus fasque NB. ditionem Pontificiam vexabat. &c.*

Fol. 187. hæc lege: *Hoc autem modo Honorius bene ac beatè vitam ducens, ut bonum NB. Pastorem decebat, anno Pontificatus sui decimo moritur, &c.*

De Gregorio IX. fol. 187. hæc narrat: *Gregorius Pontifex creatus; Fridericum statim monuit sub anathematis pœna, ut primo quoque tempore in Asiam cum exercitu proficisceretur recuperandæ Hierosolymæ causâ. Promisit quidem Fridericus, se id facturum; atque omnibus cruce signatis mandavit, ut Brundusii ad certam diem cum armis adessent. Venerat eò mag-*

na multitudo, præcipuè verò è Germania Landgravius Hassiæ, qui Brundusii unà cum magna parte militum moritur, dum Fridericus aegritudinem NB. simulans in Sicilia se continet. Hæc autem fraus ita aperte deprehensa est, ut constet, ipsum Fridericum cognita Landgravii morte, eò celerrimè adnavigasse, omnemque ejus suppellectilem diripuisse: non destitit tamen fingere, sibi in animo esse in Asiam trajicere: eò enim post rapinam, navigationem direxit, omnibus, qui tum aderant, subsequi jussis, licèt non ita multò post (ut ipse dicebat,) procellis agitato, Brundisium redierit. Hac autem fama percitus Joannes, Rex Hierosolymitanus, cum Berengarii uxore Pontifici rem gratam facturum Bononiam venit, Venetorum navigiò in Asiam trajecturus. Verùm Pontifex cognita NB. Friderici fraude, ne Joanni re infecta abire liceret, eum Exarchatus Ravennatis gubernatorem instituit, & Honorii III. sententiam in Fridericum latam confirmavit, &c. Inferiùs hæc annectit: Navigavit tandem Fridericus amicorum precibus & minis Pontificis fessus in Cyprum usque, ut Christianis in Asia bellantibus, quos NB. sæpe deceperat, aliquam spem daret. At verò, dum inde Soldani vires explorat, Rainaldus ejus præfectus, quem in Sicilia dimiserat, in Pontificem movens, multa Picentini agri oppida occupat. Erat tum Perusii Pontifex, Assisium petiturus, ut quæ de Francisco viro sanctissimo miracula audierat, præsens cognosceret. Quam ob rem eum re (quemadmodum audierat,) comperta, in Sanctorum numerum statim retulit, magno Christianorum conventu ob eam rem habito. Dum hæc à Pontifice agerentur, alter Friderici satelles Fulgineum per factionem occupat: unde paulò post armis bene cum Ecclesia Dei sentientium depellitur. Instabat literis nunciis Fridericus Anconem jam profectus, ut à Pontifice absolveretur, quòd diceret, se deinceps in ejus potestate futurum. Verùm Pontifex NB. cognita hominis fraude, Christianos milites in Asia dimicantes admonet, ut sibi à Friderici insidiis caveant, aliquid novi semper machinantis in hominum perniciem, &c.

Eod. fol. in medio sic profequitur: Cùm autem Gregorius ad omnia intentus (ut bonum Pastorem decebat) Perusinarum res ab exulibus perturbatas, eò profectus componere studiosus esset, statim Romæ tanta seditio orta est & hæ-

resis,

resis, quanta nunquam antea, Hannibale ex gente Hannibalda cum quibusdam Sacerdotibus malè sentiente, quo quidem authore populus Romanus usus, in Ecclesiam Dei conjuraverat, sed hunc divina ultio citò compescuit.

Eod. fol. 188. hæc subjungit: Verùm cùm nihil proficeret, Pontifex Reate se contulit, quò & Fridericus Imperator: collocuti simul de rebus agendis in hanc sententiam venere, ut primo quoque tempore Romanos conjunctis copiis adorirentur. Decepit tum quidem Pontificem, ut antea NB. semper Fridericus: namque in Germaniam abiens, militibus suis mandavit, ut Romanis rebus in omnibus obtemperarent. Hac itaque perfidia Pontifex motus, Germanis militibus ad castra sua confugientibus magnum proposuit præmium, quare tanta multitudo confluit, ut postea Romani aperto Marte cum Ecclesiæ copiis congregari nusquam sint ausi, &c. Similia plura vide fol. seq.

Fol. 191. de Innocentio IV. hæc scribit: Qui statim (Innocentius) peractis, quæ de more in consecrandis coronandisque Pontificibus fieri consueverunt, de pace cum Friderico ineunda mentionem facit, Balduino ad rem conficiendam auctoritatem suam interponente. In longum verò protracta res quatuor mensium tempus insumpsit, conventumque inter eos tandem, ut Pontifex civitatem Castellanam petens, eò loci Imperatorem operiretur, secum de componendis rebus sermonem habiturum. Verùm cùm Innocentius paratas sibi à Friderico insidias tum Romæ, tum in itinere certo indice comperisset, Genuensium navigiò fretus, quod apud Centumcellas in portu consederat, in Franciam proficiscens, secunda navigatione usus, Lugdunum pervenit, ab omnibus benignè & comiter susceptus. Concilio deinde eo loci indicto, anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, literis nunciis, præcone postremò Imperatorem ad se citat, proposita pœna, nisi dicto obtemperaret. Imperator autem Sinuessanum quemdam jureconsultum eò mittens, nihil aliud præter dilationem temporis à Pontifice petens, iturum se brevè pollicetur. Datum est tempus, quo id fieri deberet. Verùm cùm Fridericus NB. fallendi arte callidus, occasionem calumniandi & opprimendi Innocentii quaereret, omnium consensu Imperio & regnis privatur, &c.

Blondus decadis II. lib. 7. fol. 279. ita habet: Quo tempore Fridericus II. &c. in Pontificem NB. spreta jurisjurandi religione, annò coronationis primò multa, & quidem enormia est aggressus: quem ut à flagitiis, à perfidia,

dia, à rebellionē temperaret, admonentem magis magisque indies sprevit, unde eum duxit Pontifex anathemate, nisi resipisceret, & ablata redderet, deterrendum, &c.

Fol. 280. ita habet in medio: *Qui* (Gregorius IX.) è Laterano, ubi creatus fuerat, Ananiam per aëstatis caumata se contulit: unde Fridericum monuit, ut expeditionem in terram sanctam, cujus voto pridem cruce signatus se obligaverat, tandem iniret, fore comminatus, ut nisi id brevi exequeretur, excommunicationis privationisque sententias ab Honorio Prædecessore in illum promulgatas, confirmatas etiam atque etiam aggravaret, &c.

Paulò inferiùs ista lege: *Ver* autem jam planè exactum erat, cum expectatus requisitusque aegritudinem incidisse simulans Fridericus in Sicilia se continuit: malo enim vir animo, mala mente, nuncios, quod postea rescitum est, expectavit à Soldano Babylonie redituros, cum quo fœdera rei Christiane perniciosissima inierat, quibus etiam respondebat fœderibus clades per eam invec̄ta moram in Christianos milites Brundusii desidentes, &c. His similia multa recenset Blondus foliis sequentibus per totum librum VII.

Blondi secutus auctoritatem Albertus Cranzius aliàs maximi ab Erdmanno & Hübnero æstimatus author, in *Saxonia lib. 8.* ejusdem Blondi transcripsit verba, quæ rata omninò habet, & auctoritate sua roborare magis annititur.

Bzovius denique Blondò & Platinâ longè copiosior author in laudes trium Romanorum Pontificum Honorii III. Gregorii IX. & Innocentii IV. maximè effusus, multis suis foliis in tomo XIII. in annos singulos recenset Friderici II. crimina, quibus perlegendis ne nimis se gravatum sentiat Lector, lubeat paucis inspicere indicis permagni in eodem tom. XIII. folium de Friderico II. ubi in compendio enarrat hujus Cæsaris gesta.

Blondo, Platina, Bzovio & Egnatio, apprimè consensere authores alii, etiam ab Erdmanno citati: ab his proin diversos Conradum Urspergensem & Du-Pin duntaxat (de quibus postea fiet mentio) ego inveni, & inde mecum ferè in hunc modum multa perpendi: Superi boni! qua fronte & animo etiam hoc seculo sustinuit Erdmannus commemoratos hos authores Historicos suæ inserere Historiæ; cum iidem scripserint

rint Historiam de Pontificibus & Imperatoribus Erdmanno prorsus contradictoriam, ut vocant Dialectici?

Monitum igitur te rursus cupio & cautissimum volo, amice Lector, ut, quotiescunque legis authores Lutheri socios eosque nomine Historicos, sæpe multumque diffidas illorum fidei, qua magnò numero advocant sibi authores nostris seculis antiquiores.

Conradum jam Urspergensem & authorem alterum Du-Pin non morabor multis: Conradus enim, teste C. Bellarmino multa scripsisse fertur, quæ fortassis nunquam intendit scribere, *author adauctus* meritò dicendus, quòd videantur authores novi, nescio qui, addidisse multa, quæ omisit ipse author vetustus. Testatur planè Conradus ipse in suo Chronico an. 1102. se ex Palæstina reducem Romæ audiisse verba, quibus Paschalis II. Pontifex anathemate confixit Henricum IV. Imperatorem; Fridericus verò II. cœpit imperare an. 1212. Post annum 1220. prima exorta fuere diffidia inter Honorium III. Pontificem & Cæsarem Fridericum II. Ex quibus fit perspicuum, Conradum Urspergensem numerasse annos ætatis facilè 150. si eos annumeres, quos absolvit, antequam cum exercitu in Palæstinam abiit, & Romam rediit. Sed nec Erdmanno, ut opinor, placebit tanta Urspergensis Conradi ætas: fingamus verò, tanto tempore vixisse, & protraxisse Chronicon suum usque ad annum salutis 1229. nam eodem liber hic finitus finiit, seu potiùs inchoavit Friderici II. gesta. Erat Conradus, velut meminimus, nobilis Suevus Friderico II. Suevo addictissimus, cum quo tota primùm Suevia, imò Germania universa persuasum sibi habebat, Honorium III. Cæsaris Friderici hostem causam fovere iniquissimam. Et sanè talia opinari nefas vix esse poterat; literis enim & Legatis Fridericus in Germaniam crebrò ex Italia remisit, & ipse testium omnium maximus ad Germanos sæpè redux cunctis Episcopis & Proceribus palpum adèò obtrusit & colorem finxit oculis, ut fucum faceret, atque adèò invitos etiam suam in sententiam pertraheret ferè universos, speciosis argumentis deceptos, donec venientibus annis & lustris Friderici reliquis, feralis scena patuit oculis, & tragœdiæ finis impositus est tristissimus, quo Imperator hic tribus à Pontificibus & universis Conciliis è fide-

è fidelium coetu exclusus, ab Imperij Statibus fuit depositus. Hæc Friderici ultima tempora si intueri licuisset Urspergenſi Præſuli, & fideli calamo describere libuiſſet tum Pontificum, tum Friderici Imperatoris gesta, procul dubio cum authoribus eo ex tempore futuris conveniſſet, nec calamô, nec partium ſtudiô diverſus; ſi tamen per inimicorum potentiam licuiſſet amplecti partes veritatis, quæ sæpè odium parit Hiſtoricis.

Denique Authorem *Du-Pin*, quo appellem nomine, nescio. Galus is, & Germanus, modò Ratisbonæ in lucem editus annis abhinc quinque. Si Galli authoris, & Germani verſoris conveniant calami, utriusque manus laborat morbô plusquam Gallicô; fallit enim manus utraque supra modum, dum intra duo minoris formæ folia coguntur integra trium Pontificum & trium Imperatorum gesta absque autoritate ulla, & rationis pondere. Iisdem in foliis Fridericus laudatur ſolus, Pontifices verò Honorius III. Gregorius IX. & Innocentius IV. vituperantur more Hübneriano; &c. ſufficiat igitur Lectori intelligere, authorem *Du-Pin* vel ſua ſponte fallere, vel à Germanis didiciſſe decipere Ratisbonæ, an putas omni ex parte bonæ?

Denique, cui tribuendum plus; an tribus Pontificibus, an Friderico Imperatori, arbitrum proſectò meum eligam Erdmannum, cujus ſtet ſententia inſuper habitis argumentis centum aliis. Arbiter autem meus vituperans,

I. Crebrò adulteria alia, valde indulgenter habet Friderici adulteria non pauca, quæ tamen ipſe ſilentiô non omninò præteriens ait, Friderico fuiſſe præter ſex conjuges Auguſtas, *concupinas non paucas*. Addit ſimul, Henricum & Manfredum utrumque nothum, utrumque tyrannum genitori chariſſimum. Nihilominus Metellô innocentior ſit Fridericus?

II. Arbiter meus Erdmannus non inficiatur, Fridericum cum Ægypti Suldano pepigiſſe foedus Romanæ Eccleſiæ ſummè acerbum: an Romani tamen Pontifices anathematis ſententiâ proſcripſerunt Fridericum non niſi iniquiſſimè?

III. Erd-

III. Erdmannus haud diffitetur, in Italiam usque vocatas & invitatas veniſſe Suldani Ægyptiaci copias, ut oppugnarent cum Friderico Italos ac Germanos Romano Pontifici gratos: vix tamen audeat duriori vocabulo nominare Fridericum Erdmannus?

IV. Erdmannus non negat, à Friderico Episcopos nunc eſſe intruſos in Sedes Episcopales, nunc depositos, nunc captos, nunc in vincula datos, nunc etiam crudelem in modum occiſos: num tamen ſit æquior cauſa Friderici?

V. Erdmannus conſentit unà minimùm in parte cum authoribus modernis & antiquis, qui perhibent unanimi relatione, Fridericum ab Electoribus Imperii exauthoratum, & hujus loco Henricum Rasponem, atque hoc ſublato, Wilhelmum Batavum electum fuiſſe in Cæſarem: an nihilominus errârunt cum trino Pontifice Imperii Moderatores poſt Cæſarem Supremi? ſolus non erravit Fridericus exauthoratus Cæſar?

VI. Erdmannus ignorare non poteſt, Hiſtoricos communi ſententia ſtare pro cauſa Pontificum contra cauſam Friderici Cæſaris: anne cauſa tamen cadant tres Pontifices pene ab omnibus laudati?

Omitto plura in Erdmanni libro legenda, quæ præter ipſius mentem Romanis Pontificibus favent contra Fridericum Imperatorem. Sufficiant hæc ad extorquendam ex Erdmanno ſententiam, ut cauſa cadat, quam, ſi ſerius actor fuerit, defendere nunquam potuit, niſi vel reluſtante, vel crasſum in modum ignorante animo. Finem hinc ego Reflexioni huic facio; permotus tandem multiplici ſaſtidio, quod peperit mihi argumentum, contra Imperatorem de Suevorum Ducum ſtemmate clariffimo prognatum, hætenus proſiſtitum. Maluiſſem proſectò etiam hunc Imperatorem multis laudare laudibus, veluti multis encomiis multos prius Cæſares proſequi ex æquo ſtudi, doctus ſic tyro à Magiſtris antiquis Hiſtoricis, qui, quotquot Imperatorum nævos adduxi hætenus, majori numero præluſerunt mihi.

R. P. Kolb Series Impp.

X x

REFLE.

Reflexio ac Responsio II. ad II.

Sublato altercationis rigore amicis denuo utamur vocibus, & in unum conveniemus, junctis animi totius viribus laudaturi Fridericum II. Cæsarem ob insignem constantiam, qua teste Erdmanno palàm testatus est universis, paratissimum se esse, *vivere ac mori in religione suorum Majorum*. Immoremur, obsecro, nonnihil Augustissimis his dictis, quibus uti si libuit Friderico, usus est perbene, nimirum tempore opportuno. Sed loquela tua, Erdmanne, te manifestum facit, quid eâ Cæsaris sententiâ velis pronuntiare: est nimirum etiam usitatissimum Lutheranis dicere, & suas proles docere, ut de Religione quærentibus respondeant quantocyus, paratissimos se esse, vivere ac mori in religione suorum Majorum. Capió hinc, & probè assequor Erdmanni mentem, communem optat sibi cum Friderico in Religione causam & vocem & fidem. Sed, ô quàm importunè! quàm absônè, quàm dispari ex causa! Friderici enim Majores constanter Fidem professi Romanam, præbuere causam justissimam huic Cæsari enuntiandi, paratissimum se esse, *vivere ac mori in Religione suorum Majorum*. E contrario cum Erdmannus cum sociis suis contendat, *Lutheri operâ & Dei gratia singulari accensum denuo resplenduisse lumen Fidei publicum Ecclesiæ*, quod præteritis seculis *abscondebat modius*, qua ratione vacat Lutheri sociis & successoribus enuntiare, *paratos se esse, vivere ac mori in Religione suorum Majorum*? Majores quippe Lutheri & Lutheranorum ante duo Secula Romano-Catholicam professi Fidem, reliquere proles parentibus suis diffimillimas. Ex Erdmanni igitur dictis consequitur haud obscure, Fridericum vel jam duobus ante Lutherum Seculis, in Lutheri verba jurasse, vel Religionem eam, quam vitæ suæ & mortis sociam optavit sibi & confessus est, diversissimam esse à Lutheri Religione, Christianam tamen, hoc est, Christi dogmatis conformem. Verumenimverò utraque hæc sequela est Erdmanno nimium quantum inimica; utpote qui cum Luthero huic XIII. Seculo abnegat apertam seu publicam Fidei lucem, sive dein eam vocitare lubeat *Christianam*, sive suaviori nomine *Lutheranam*.

Refle-

Reflexio ac Responsio III. ad III.

Bonò sum animò: habeo fatentem reum *Politicum* Hippolytum, aut certè reos habeo omnes reliquos ejus temporis Politicos. Fatur scilicet Hippolytus, sui temporis Politicos viros in laudanda Austriacorum familia totos esse, se unum ferè exceptum velle. Duplicem eamque gravissimam causam velut coram judice discutiendam hic suscipit in se actor audax, intendens litem pariter duplicem, alteram contra Politicos, alteram contra familiam Imperatorum Austriacam, actor, inquam, audax, utinam non temerarius, non calumniator, non convitiator, læsæ Mæjestatis maximè reus. Si prima duarum causarum discussa fuerit ad Juris Regulas, altera sua sponte sequetur, & trahet post se multas sententias. Faxo, ut omnes sententiæ fluant Domui Austriacæ ex voto, ut vel & ego inter eos numerari merear, qui toti sunt, sed ex merito, in dilaudanda Familia Austriaca. Quanta, Superi! simplicitas viri est Politici, fateri palàm, *contra se unum stare Viros Politicos omnes in re Politica pro Romanorum Imperatore, in Imperio Romano Supremo Judice*? Sanè, nisi mea me fallat vehementer opinio, causa ventilata est satis, antequam venerit in judicium; si enim nec Hercules audeat prodiere contra duos pugiles, quantò minùs unus Politicus contra omnes sui temporis Politicos in arena comparere præsumat, nimium quantum suis fidens viribus? Præsumptio hercle hæc est, in Jure primæ notæ & impudentis audaciæ, Viros in eodem ordine, eodem tempore, in causa invidiosissima non tam invitare, quàm citare, provocare & cogere in judicium contra Romanos Imperatores longa serie continuos, &c. Requirit Ecclesia & Imperium, e. g. ad accusationem unius Purpurati Patris testes omninò septuaginta duos. An, putas, totidem testes sufficient tibi contra universam Austriacorum Imperatorum Familiam? An (finge sufficere) invenies decem, postquam ipse fassus es, *Politicos tui temporis omnes* esse totos in dilaudanda Domo Austriaca? Abrumpo hic ego omnes moras: causæ ego tuæ nimium quantum diffido: existimo enim, te solum tibi sufficere judicem & testem, & condemnatorem, & satellitem, & licitorem.

X x 2

Reflexio

Reflexio ac Responſio IV. ad. IV.

Generalis hæc eſt calumnia contra omnes Imperatores Auftriacos in genere: generali igitur respondeatur reſponſo, ſat fortassis robuſto, ſi in genere ſit vel ſolis Politicis, hoc eſt, rerum civilium peritis probatum. Verùm cur loquor de ſolis Politicis? quidni addo Hiſtoricos, Genealogos, Jurisperitos & Theologos? Quodſi nimirum hi omnes longo ordine recensuerunt, & eos Reipublicæ dixerunt idoneos, qui non modò Electionis ordine, ſed generationis aut hæreditatis longa ſerie ſibi ſucceſſerunt in Principatu; è contrario, ſi eorum ſtemmata ſervandis regnis minùs idonea exiſtimârunt, quorum nepotes aut filii ſtatim à parentum ſuorum via exorbitârunt, aut tyrannide sævi, aut alio enormi vitio infames, atque adeò à Deo ipſo vel penitus extirpati, vel plurimùm mutilati, cujus & mutilationis & extirpationis exempla etiam Sacer Codex continet, præcipuè verò Regum libri: quàm pronumerit igitur judicare, etſi deſſent cauſæ aliæ, eos Cæſares vel pleroſque, vel omninò ſingulos in Imperio fuiſſe præſtantiffimos, ſi Electores in Imperio Supremi poſt Cæſarem Principes per tria continua ſecula, aut unanimi calculo, aut minimùm majoris partis ſuffragiis ſelegère hos ipſos ex eodem ſtemmate Imperatores. Fingat Hippolytus aut potiùs ponat ob oculos ſibi potiorem Imperatorum omnium familias, novem eorum omnium præcipuas in Romanorum Imperatorum ſerie inveniet, familiam nempe

- I. Julii Cæſaris, in qua eminet ſupra reliquos Octavianus Auguſtus, & ſecum numerat ſex Cæſares.
- II. Claudii II. cujus familiæ decus maximum Conſtantine M. quorum in eadem claſſe ſunt Imperatores ſeptem, nec tamen hi omnes Succeſſores diviſo ſucceſſionis ordine, ſed ſimultaneo.
- III. Theodoſii, in qua Magni nomen promeritus fuit Theodoſius I. ſed quinariò Imperatorum numerò contentus.
- IV. Caroli M. qui inter Cæſares Germanorum decus & ornamentum primum ad numerum decimum cum filio & nepotibus aſcendit.
- V. Imperatorum Saxonum, quorum familiam ante alios ornavit maximè Otto M. duobus Henricis & duobus Ottonibus glorioſus.

VI. Im-

- VI. Imperatorum Franconum, inter quos numerò quinariò abſolutos Henricus III. locum tenet medium eumque optimum.
- VII. Imperatorum Suevorum, quorum ſi quinque vel ſex numeraveris, laudabis ante reliquos Conradum III. & Fridericum Anobarbum, nihilominus omni ex parte minimè probatum.
- VIII. Imperatorum Luxenburgicorum, ſeu ex Bohemorum Regum ſanguine prognatorum, qui numerò quatuor Henricum VII. primo, Sigismundum autem ultimo collocârunt loco, nulla honeſtatis ſede Wenceslao relicta.

Ex omnium reliquorum Imperatorum ſtirpibus nullam huc audeo advocare, quoniam tanta paucitate Imperatorum ac brevitate temporum floruerunt, ut ritè fors quadret illud, quod cecinit breviffimæ voluptatis amator: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant. Sap. 2. v. 8.*

Comparemus jam Imperatores Auftriacos, quibus Supremus Dominus ea benedictione benedixit, ut temporum longitudine, annorum numerò, morum manſuetudine, Majeſtatis amplitudine, Religionis Orthodoxæ conſtantiâ, vitæ ſanctitate, ſingulas Romanorum Imperatorum familias longiffimè antecelluerint. Longè majorem igitur laudem Hiſtoricis, Genealogis, Jurisperitis, &c. de ſe prædicandam reliquerunt, relictori, uti fas eſt, ſperare ſpe contra ſpem cum electi populi patre Abraham longiffimam Succeſſorum etiam deinceps Seriem. Si itaque Auftriaci Imperatores concredito ſibi munere nunquam fuiſſent functi bene, & res Imperii non adminiſtrâſſent perbene, prout ex Capitulationis ſuæ tenore fuerant obligati, Electores Cæſarei nunquam fuiſſent permoti, ut tanto conſenſu & tanta conſtantiâ in Familiam Auftriacam conſpirâſſent, qua per trecentos & plures annos ex alia Principum Germanorum ſtirpe nullum elegerunt; vel certè Hippolytus non tam Auftriacos Cæſares, quàm horum Electores arguit graviffimi peccati in Reipublicam admiſſi, atque adeò Auftriacos abſolvit Imperatores, quos tamen maximè reos cupit. Hæc pro Auftriacorum Familia univerſim dicta hoc loco ſufficiant. Plura ſequentur pro ſingulis ferè ex eadem Familia Imperatoribus; nam contra ſingulos peroravit Hippolytus (licèt apertiùs loqui) tam impudenter, quàm imprudenter.

Xx 3

Reflexio

Reflexio ac Responsio V. ad V.

Qui sibi nequam, cui bonus? Axioma hoc, si ullum Virorum Principum tangat, certè is Princeps Principum sit Imperator, necesse est. Aquila, si ipsa plumas non habeat amplas, securum non habebit deinceps locum vel infra, vel supra ejusdem alas Regulus. Arbor, si ipsa radices non quaqua versus egerit firmissimas, ventorum turbines continuo minitantur interitum ipsi primum, alterum ramis & foliis, tertium vicinis arbusculis. Aquilam pridem Majores nostri dixerunt Imperatorem, Regulos Imperatore minores in Imperio Duces. Arboribus comparavit ipsa Divina Pagina Regum regna in Danielis libro cap. 4. quod ita habet: *Videbam, & ecce arbor in medio terræ & altitudo ejus nimia. Magna arbor & fortis: & proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ, &c.* Si jam mentis oculos non modò supra Romanas Aquilas, sed supra Græcorum, Persarum & Assyriorum arbores, hoc est, Reges reflectamus, quotquot vel Aquilas vel arbores bene fundatas & firmatas, intellige laudatos Imperatores, aut Reges aspicimus, tot deprehendimus, in id omnes suas easque primas intendisse curas, ut suas radices firmarent identidem magis, & extenderent latius. Hoc planè præstiterunt Nabuchodonosores, Cyri & Artaxerxes, Alexandri & Ptolemæi, Augustus Octavianus, Trajanus, Vespasianus, Constantinus, Theodosius, Carolus & Otto, omnes Imperatores Magni. Neque erat horum Imperatorum, aut illorum Regum seculis tanta potestas Ducum aut Regulorum in Imperio dignitas, quanta nostro hoc tempore est partim Regulorum, partim Electorum, partim etiam minorum Ducum vis & potentia. Passim in aula unica scilicet Regia aut Imperatoria insonabat vox majestate plena: *Rex aut Imperator mandat.* Hæc sunt *Regis dona; hæc Imperatoris bona; date Cæsari, quod est Cæsaris.* Ad summum delegerunt sibi in Imperio collegam, ut daretur in laborum socio auxilium, non præjudicium. Ex Caroli M. primum beneficio summo, creati sunt Duces Palatini, Marchiones & Burgavii à Germanis dicti: eorundem tandem nonnulli in Imperii Electores sub Ottone III. selecti, & confirmati magis ab Henricis & Fridericis, conservati autem atque aucti numero & potestate ab Austriacis Imperatoribus adeò,

adeò, ut absque temeritatis labe dicere liceat, nunquam magis auctum atque stabilitum fuisse Romanum Imperium, quàm *sub clypeo*, ut cum Friderico Ænobarbologo, *Austriacæ fortitudinis*. Infirmam si videantur isthæc, firmitatem fors accipiant ab argumentis, quæ sequentur. Sufficiant proinde summam dicta hæc ad summam ab Hippolyto propositam.

Reflexio ac Responsio VI. ad VI.

Res periculosa admodum, ab infimis ascendere ad suprema. Nolim ego hæc intelligi de Rudolpho Habsburgico: procul absit à me exemplum Hippolyti, qui talia de Heroë isthoc credi sibi postulat. Hippolytum ego incuso, qui, quod Rudolpho imputat, habet, cur ipsum pudeat, & imputet ex parte sibi; ipse nimirum à putatitia Rudolphii humilitate ascendit ad supremam Majestatem, calumniator ab infimo grassatus ad supremum gradum. Ita profectò usu venire consuevit: semifatui & furiosi, laxis prudentiæ frænis soluti, facillè erumpunt in censuras exoticas, nec parcentes infimis, nec supremis capitibus. Si vel remotis oculis Hippolytus aspexisset Rudolphii Habsburgici natales, & longissima serie Majores ad Carolum M. usque, aut supra ascendentes; si paululum inspexisset *Ludovici Schönleben Dissertationem Polemicam de prima origine Augustissimæ Domus Habsburgicæ-Austriacæ*, aut *Francisci Guillimanni de eadem antiquissima & Nobilissima Familia librum*, cum centum aliis Scriptoribus de Habsburgorum origine clarissima, tunc opinor, digitum ori suo imposuisset, nisi ruborem omnem exuisse videri mallet. Eloquatur, amabo, Hippolytus, an splendidior erat vel Octavianus, vel Vespasiani, vel Trajani, vel Constantini, vel Theodosii, vel Caroli M. vel multorum aliorum Cæsarum progenies, quàm fuerat Rudolphi I. ? Octavianum enim Augustum præcessit Julius Cæsar cum patre Julio, Senatore Romano: avos & atavos vix ullo splendore inclaruisse deprehendes. Vespasianum telonarii natum, Trajanum Nervæ adoptivum filium ex strenuo Duce assumptum, Constantium Chlorum Constantini M. genitorem ex Senatorio ordine descendisse, & minori longè loco Theodosium M. prægnatum meminisse juvat. Carolus M. pariter ex avo, & atavo, quin & parente, se multum minoribus, natus sanguinem, prælusit Imperatoribus tum Francis, tum Suevis, quibus potius

potius belli, ut ajunt, fortuna, quam antiquæ nobilitatis ceræ sua assumptione ad Imperium profuerant. Quid dicam jam de Imperatoribus aliis permultis, qui nec illustres genitores accepere, nec sibi pares filios reliquere, citò cum sole orti, & in occasum cum eodem præcipitati, nunquam redituri cum sole amplius.

Suspice verò arborem, tametsi vetustissimam, nobilissimam tamen, in cujus longissima stirpe vetustissimos Rudolphi Habsburgici Majores licet intueri.

- I. Erckembaldus an. 646. creatus in Francia Regis Clodovæi II. Major domus, uti vocant. Mater Erckembaldi Gerberga, ex Pharamundi Francorum Regis stemmate descendens, reliquit longam avorum, atavorum, &c. seriem ante Christum natum jam notissimam.
- II. Lendisus, Erckembaldi filius, Theodorici III. Regis Major domus.
- III. Athicus, Lendisii filius à Theodorico, Rege Alsatia, Dux constitutus.
- IV. Etho, Athici filius, Alsatia Dux.
- V. Albericus, Ethonis filius, Alsatia Dux & Comes Brisaci, pater quatuor filiorum, qui bona Habsburgica, ita volente Hiltrude affine sua, eorundem bonorum Domina, titulò hæreditatis possederunt.
- VI. Eberhardus I. Alberici primogenitus filius, Comes Habsburgicus.
- VII. Eberhardus II. primi filius, Comes Habsburgicus.
- VIII. Hugo, Eberhardi II. filius, pater trium filiorum, & duarum Familiarum nobilissimarum, scilicet Lotharingicæ, Dachsburgicæ author, Habsburgicæ verò promotor.
- IX. Guntramus, Hugonis filius tertio genitus, Comes Habsburgicus.
- X. Gonzelinus (alii vocant Landelinum) Guntrami filius, pater trium filiorum, ex quibus Landulus secundogenitus lineam Ducum Zerिंगensium illustrissimam inchoavit.
- XI. Ratbodus, Gonzelini primogenitus filius, conditor arcis in agro Tigurino extructæ, quam alterum Habsburg vocarunt.
- XII. Wernerus I. Ratbodi filius, Comes Habsburgicus.
- XIII. Otto, Wernerii filius, Comes Habsburgicus.
- XIV. Wernerus II. Ottonis filius, Comes Habsburgicus & Alsatia Landgravius.
- XV. Albertus, cognomentò Dives, Comes Habsburgicus & Alsatia Landgravius.

XVI. Ru-

XVI. Rudolphus, cognomine Placidus, Alberti filius, Comes Habsburgicus & Alsatia Landgravius.

XVII. Albertus Sapiens, Rudolphi Placidi filius, Comes Habsburg. & Alsat. Landgrav.

XVIII. Rudolphus Imperator, Alberti Sapientis filius sapientissimus.

En arborem cedro celsissimæ simillimam! Atque horum omnium Virorum Principum dotes aut proprietates si vel obiter rimemur, deprehendimus continuo ex eorundem numero complures in aulis Regum ac Imperatorum togâ illustrissimos Præfectos; alios verò sagò clarissimos, supremos nempe militum Duces; alios item nuptiis secundissimis, alios divitiis abundantissimis, alios denique variis honoribus extitisse maximè conspicuos. Ita medius fidius testantur Genealogi & Historici Ortho- & Heterodoxi plurimi. Hippolytus igitur in meridie desideravit lucem; inter thesauros divitias; inter ceras antiquissimas nobilitatem; inter homines hominem, Diogene plurimum deterior.

Reflexio ac Responso VII. ad VII.

IN uno hoc septimo continentur duo diversarum rerum capita, quæ in Rudolpho I. displicent supra modum Hippolyto, Erdmanno, Hübnero, & cui non Lutheranorum aut Calvinianorum? Verumenimverò, an plus tribuendum his, minùs adhærendum Rudolpho Habsburgico, quis sanæ mentis arbiter hæreat? Quòd Austriacorum Imperatorum Princeps Rudolphus Exarchatum Ravennæ cum urbibus & oppidis non paucis cesserit Ecclesiæ, nemo criminetur jure; gratulandum potius & applaudendum est universæ Austriæ, quòd nacta sit eadem simul Archiducem suum & Imperii totius Imperatorem, qui despecto multorum Antecessorum Ecclesiæ hostium inimico tramite in viam pacis ire properavit, secutus exempla multorum Imperatorum ac Regum in Ecclesiam Romanam munificentissimorum. Vestigia nempe renovavit D. Henrici II. Ottonis I. Ludovici Pii, Caroli & Constantini MM. quin & Davidis & filii Regum exempla, quorum hi in Hierosolymitanam, illi in Ecclesiam Romanam fuere nunquam non liberalissimi. Consule, quisquis adversarius meus es, hac super re C. Baronium & præter Scriptores Historicos alios Jacobum Gretserum,

R.P. Kolb. Series Imp.

Y y

serum,

ferum, qui negotium gravissimum faceffent tibi, ut ipsis eripias palmam argumentis tuis. Quin Gretseri libellum *de Munificentia Principum in Seditate Apostolicam* inscriptum rimare altiùs, ut enumeres catalogum bene longum eorum Virorum Principum, qui se munificentissimos exhibuere eidem Sedi Apostolicæ. Posuit is sequenti ordine præter jam indicatos tum hic, tum alibi.

Cap. XVIII. Regem Daniæ Suenonem.

Cap. XIX. Carolum M. Regem Galliæ.

Cap. XX. Eundem Carolum tanquam Regem Saxonie.

Cap. XXI. Principes Insulæ Corsicæ,

Cap. XXII. Sancium Regem Lusitanie.

Cap. XXIII. Henricum II. & alios Reges Angliæ.

Cap. XXIV, & XXV. Joannem, Regem Angliæ & Hibernie.

Cap. XXVI. Eduardum I. Regem Scotie.

Cap. XXVII. Casimirum, Regem Polonie.

Cap. XXVIII. S. Stephanum, Regem Hungarie.

Cap. XXIX. Uratislaum, Ducem & denique Regem Bohemie.

Cap. XXX. Carolomannum, filium Ludovici Regis Germanie.

Vide capita reliqua in eodem authore, qui tum ex C. Baronio, tum aliis authoribus ostendit planissimè, omnes hos Reges ac Duces fecisse sua regna Ecclesiæ Romanæ in annos singulos vel tributaria, vel certè munificentissima. Cæterùm ex dictis hujus responsi prioribus collige, Rudolphum I. Ecclesiæ partim ablata restituisse, partim bona donasse deinceps possidenda, ut nimirum imitaretur præclara exempla Cæsarum Antecessorum, & clariora exempla præberet Successoribus, ringentibus licèt Heterodoxis.

Partem Hippolytani capitis alteram jam paucis absolvo. Non diffiteor, donavit Rudolphus quasdam Italiæ civitates donò liberioris auræ. Quid tum postea? an peccavit ea ætate peccatum tam grave in Romanum Imperium, ut absolvi nequeat, nisi *extirpatione Domus Austriacæ totius*? Hæc profectò est sententia Hippolyti, crebrò optantis & imprecantis, ut in Rudolpho velut in primi genitoris semine suppressa lucem publicam nunquam aspexisset ulla Augusta soboles de gente Austriadum. Dira & dura imprecatio! & tamen suavis Hippolyto Romani Imperii assertori, *rationis*
Statùs

Statùs æquissimæ vigilantissimo! O Hippolyte à Lapide, homo lapidee, & tui tecum socii Doctores Saxei! utinam ex vobis suscitaret tandem Deus filios Abrahæ, hoc est, filios vivæ ac lucentis fidei, ignitæ spei, & ardentis charitatis; tum enim verò non ita in *Christos Domini*, in coronata Capita insurgeretis, non calamos vestros magis in Imperatores Austriacos, quàm justitiæ gladios in Imperii hostes acueretis: non ita in calumnias & contumelias dentes vestros & linguas armaretis; sed maturò judiciò ponderaretis quasvis temporum, locorum, personarum & rerum aliarum multarum anfas & occasiones. Reminiscamini, obsecro, rationem Statùs illius seculi, quo Rudolphus in Cæsarem creatus, convulsus in frustra, aut partes Imperium restaurare pro potestate sua laborabat certè seriò, nec ex sua parte serò nimis. Italia tota cum vicinis Insulis & Provinciis à Germaniæ Regibus, quin Germanis universis abhorrebat maximè, quoniam Germanorum armis, & propè dixerim, furiis magna ex parte erat depopulata. Urbes & Provincie velut in vincula servitutis conjectæ, suspirabant sub jugo gravissimo; ut itaque liceret respirare, offerebant auri summam gravissimam. In Germania eodem tempore hostes multi, & inter hos præcipuè Ottocarus, Bohemorum Rex, nec non in Thuringia maximè rebelles copie artes & urbes occupabant. Imperii ærarium diuturnis bellis erat exhaustum, & tamen bellandum erat, ut per bella quies optatissima Reipublicæ rediret, & Imperium penitus destructum suis ex ruinis resurgeret; missus est igitur Henricus IV. Basileensis Episcopus, & idem Moguntie tandem Archiepiscopus, à Cæsare haud dissentientibus Imperii Electoribus, cum mandatis in Italiam, ut, quod optimum factu visum foret, faceret. Fecit Henricus, quod temporum difficultates suadebant; aurum Italorum secum ad Germanos copiosum retulit belli nervum; & ab eodem tempore finis ferè est datus fundendo Germanorum in Italia sanguini, quamdiu nempe Austriaci Imperatores ad Imperii clavum sedebant, si unius aut alterius breves hostilitates excipias. Multis modis probabat Rudolphi cum Italis transacta, præsertim ea, quæ Ecclesiam spectabant negotia, Septemvirorum ea ætate prudentissimus Ludovicus Severus, Elector Palatinus & Bavarorum Dux Serenissimus, cujus testes literas ad Romanum Pontificem Lectori offert legendas C. Baronius & Jacobus Gretserus. Nec constat, quòd ullus Septemvirorum in Imperio oblectatus fuerit Rudolpho hoc

super negotio, quo vel donationes Ecclesiæ factas confirmabat, vel Italiæ quibusdam urbibus libertatis ampliores copiam faciebat. Factum igitur, quod Ludovicus Elector probabat, quod Electores reliqui non improbant, quod item Moguntia Elector Henricus perfecerat auctore Principe Rudolpho; an jure reprehendat nimium liberalis Zoilus Hippolytus? Hippolytus, inquam, qui præter errores gravissimos hætenus jam ex parte perceptos, adeo sui oblitus fuit, ut ipsum Adolphum, Rudolphi Successorem, in altum extulerit eo fine, ut Rudolphi laudes diminueret, tametsi de Adolpho planissimum sit universis, eum & generis splendore, & imperandi laude toto, ut ajunt, caelo distasse à Rudolpho, qui in filio & nepotibus suis confirmatus hodie in Imperio, Adolphi rejectionem & proscriptionem publicam suam ac suorum constantiam, nec non multorum aliorum Imperatorum breves in solio Imperatorio moras, longissimam sui suorumque moram inculcat, & confundit, illis omnibus longe potior & potentior tempore, potestate & majestate in se & suo sanguine, qui cum se consumptum putaverit, orietur denuo, etiam nobis, ut Lucifer.

REFLEXIO VIII.

Quamquam haud visibile Caput Ecclesiæ Romanæ Christus tum sacrae Crucis trophæo, tum Eucharistiæ dapis mysterio, tum signis pluribus per Rudolphum Habsburgicum exhibitis, Ecclesiam suam præsertim Europæ, ac in hac Germaniæ reddit clarissimam, lux tamen accedit luci, si hujus seculi uni Imperatori velut Soli accesserint luminaria minora, scilicet totum ferè per orbem dispersi Principes in eo capite conjunctissimi, quod conservarint sibi suisque Romanæ Ecclesiæ lumen nunquam deficiens.

Imperatores, Reges ac Duces hoc Seculo Ecclesiæ Romanæ Sydera.

An. 1203. Imago Magnæ Virginis Sardenacena prope Damascum *Incar-nate* simillima, & perenni oleo perfusa, multis fulsit miraculis. Hoc sacro liquore Sultanus Damascenus, licet Saracenus, pulsa caligine oculorum,

rum, recepit visum, & locum illum apud omnes reddidit illustriorem.

An. 1211. Rex Colchidis ad Christi Sacra conversus, & Sultanus Alapiæ à Christo vix alienus, rebus Christicolarum in Palæstina favent.

An. 1212. Alphonsus Castellæ, Petrus Arragoniæ, & Sanctius Navarrae Reges tanta strage Mauros devicere, ut peditum 100000. equitum verò 30000. fuerint ex parte hostium desiderata. Christicolarum cæsorum numerus unicam hominum centuriam major vix erat. Adscribebatur tam rara victoria S. Crucis signo, Deiparæ Virgini, & militum virtuti, qui S. Eucharistiæ pabulo refecti inire certamen.

An. 1215. Lucem aspexit primò Ludovicus, Francorum Rex IX. hujus seculi Phœbus, morum probitate, plurimarum virtutum splendore, & sacris expeditionibus in Palæstinam susceptis clarissimus, inter vivos Ecclesiæ Romanæ defensor constantissimus, post mortem Patronus sanctissimus.

An. 1218. Dux Simon Monfortius, dum Tholosam cum paucis suorum obsidione premit, lapide ex machina excusso percussus, & quinque sagittis confixus religiosissime spiritum emisit, dictus *Comes fortis & Martyr* ob sanguinem multoties pro Ecclesia, & hic etiam cum vita profuso.

An. 1218. Jacobus, Arragonum Rex, Barcinone instituit Ordinem B. Mariæ de Mercede pro captivorum redemptione, operam usus S. Raymundi de Pennaforte in Familia D. Dominici & in Ecclesia universa celeberrimi.

An. 1220. Cumani, Hungaris vicini populi, cum Christum colere cœperunt cum suis Ducibus, mores excolere didicerunt detectis Fidei lumine vitis.

An. 1222. Morte præventus est Theodorus Luscaris, Græcorum Imperator, juvenis, cujus virtute & industria imperium & Fides Græcis non penitus erepta fuit.

An. 1223. Philippus, Gallorum Rex, post 43. regni annos ad plures abiit post Carolum M. Rex in Francia ferè primus dictus: *A Deo datus,*

- quia populi precibus impetratus & conservatus, cujus gesta patre major filius Ludovicus suis clarioribus vel illustravit magis, vel obscuravit.
- An. 1227. Ex morbo diem suum obiit in Calabria Cruce signatus Ludovicus Landgravius Thuringiæ, S. Elisabethæ conjux, etiam ipse post obitum miraculis clarus.
- An. 1229. Jacobus, Arragonum Rex, Mauris eripiens Baleares Insulas, & eorundem Regem cum filio capiens, persuadet utrique Christi sacra dogmata.
- An. 1230. Alphonsus, Legionis Rex, ope D. Jacobi de Arabum exercitu insignem retulit victoriam; gratissimum igitur animum Superis testaturus, dum peregrinationem instituit Compostellam, iter in coelum profecutus fuit.
- An. 1234. Sanctio, Navarræ Regi, successit Theobaldus, Campaniæ Comes, non tantum ob sanguinis nobilitatem, verum etiam ob Christianas virtutes sceptrò dignissimus.
- An. 1236. Ferdinandus, Castellæ & Legionis Rex, occupatis Cordubâ & Bintiâ, regni Maurorum sedibus, illustre augmentum dedit rei Catholicæ.
- An. 1237. Joannes Brennius Rex, vitam clausit sine beatissimo, indutus S. Francisci habitum, virtutes induit magis, nunquam exiit, pro Fide mori constanter paratissimus.
- An. 1239. Adolphus, Holsatiæ Dux, rebus fortiter gestis famosus, Minoritarum S. Francisci exempla secutus, Ducem egit, quam prius, illustriorem.
- An. 1241. Henricus Pius, Wratislaviæ Dux, filius Henrici Barbati & S. Hedvigiis, strenuè pugnavit contra Tartaros; horum tamen magicis artibus devictus interiit corpore, animò felicissimus.
- An. 1244. D. Ludovicus, Franciæ Rex, ex gravissimo morbo decumbens, applicata corpori S. Crucis icone brevi convaluit, pro Cruce & Crucifixo receptis viribus pugnaturus strenuè.
- An. 1264. Boleslaus Pudicus, minoris Poloniæ Princeps, Jazygas populos sic delevit, ut ex eo tempore eorum omnino defecerit nomen & secta, introducto Christianorum meliori nomine.

An. 1271.

- An. 1271. Philippus III. Franciæ Rex, utiliter navatâ Ecclesiæ operâ in Italia, rediit in Franciam, præbens se tum hîc, tum ibi Regis sanctissimi filium non degenerem; toto enim quadriennio ex voto piè nuncupato cœlebs vixit, & ciliciò continenter usus etiam sub lorica, parentis vestigia premere vix unquam destitit.
- An. 1272. Mortalem vitam exiit Henricus Angliæ Rex, D. Ludovico Franciæ Regi gratissimus, quin nec Deo Eucharistico ingratus, cui adesse constanter studuit, dum Sacerdotes ad aras litârunt.
- An. 1276. Jacobus, Arragonum Rex, mortem sustinuit, *Præliator & Expugnator*, quòd trigiesies cum Mauris pro Ecclesia conflixerit. Numerârunt Posteriores templorum duo millia, quæ Præliator hic fortissimus vel Mauris eripuit, vel suis impensis excitavit.
- An. 1279. Boleslaus, Cassiliensium Dux, Pius cognominatus, in coelos avolâsse creditur, quòd ipse virgo D. Kunegundem Virginem perpetuam conservâisset conjugem, &c.
- An. 1280. Inghetius, mercator Genuensis, vir illiteratus in Insula Majorca, Rabbinos Hebræorum etiam doctissimos ex Arragonia evocatos, argumentis convicit & convertit, stupentibus in homine Deum, quotquot ejus oracula audiverant.
- An. 1285. Inter mortuos numeratus fuit Philippus VIII. Sabaudia Dux, qui paulò ante obitum præconis voce omnibus significari jussit, ut, cuicumque non satisfacisset, is securus ad Principem accederet, debitum sibi postulaturus ex æquo & accepturus. In erecto à se Monasterio sepultus copiosissimos ad tumulum numeravit advenas, inter quos sua bona distribui jussit.
- Eod. an. Wenceslaus IV. Ottocari filius, Bohemorum Rex, Rudolphi Habsburgici gener factus, focerum suum magis, quam patrem æmulatus est, Religionis Romanæ, integritatis conjugalis, & æquitatis semper studiosissimus.
- An. 1294. Cassanus, Tartarorum Rex, non absque Dei præsentissima ope miraculò comprobata ad Christi Aras transiit; cum enim filiam Regis Armeniæ duxisset conjugem, & ex ea parenti natus esset filius vix visæ in homine deformitatis; eam mox cum prole nimium se-

verus

verus pater, aut tyrannus potius, neci adjudicavit. Non recusavit mori mater Regina, si baptismum filio impetrasset. Sed dum proles regia sacris intingitur aquis, mox induit formam venustissimam, quæ patrem in fide Christiana confirmavit, & Mahometanorum hostem acerrimum effecit.

Eod. an. Enituit Alphonfi Peresii Gusmani Ducis virtus in urbis Tarifæ sibi concreditæ propugnatione; filium enim suum ab obsidentibus captum, vidit ab hostibus Mauris jugulari, quibus etiam gladium suum ad id operis de manibus projecerat & bonus pater & bonus miles. Certè ipsi Mauri obstupère tantam viri fidem & constantiam.

An. 1296. Guido, Montfetrui Comes, hostis olim Pontificum acerbissimus, & Ludovicus, Caroli Claudi Siciliae Regis filius, relicta seculi curis pauperis Francisci vestigia sunt secuti, jam non tantum Pontifici, sed & mediastino obedire parati. Pleraque exempla hoc loco enarrata dum passim affirmant Catholici, non negat Hübnerus, etiam hic parum sui memor.

Omitto hoc loco Ecclesiæ Antistites permultos, virtute & fide Heroës. Haud adduco religiosissimos utriusque sexus Ordines, tum pridem bene fundatos, tum recens introductos, ex quibus prodiere viri, & viris pares sanctitate foeminæ tantæ, quantos nec ipsi Heterodoxi, nisi impudentissimi, audent ullius noxæ incusare. Profecto DD. Dominicus, Franciscus, Thomas Aquinas, Antonius, Bonaventura, Nicolaus de Tolentino, Raymundus de Pennaforte, Jordanus, Albertus Carmelita, Jvo, Ludovicus Toletanus, Hyacinthus, Petrus de Nolasco, &c. &c. tantos sese effecere hoc seculo, ut etiam nostrorum temporum Historici non Pontificii suo silentio eorundem laudibus consentire videantur, nihil vituperio dignum deprehensuri, si libros evolvant omnes. Verum neque etiam his hoc quoque seculo indigemus testibus, ut suæ Romanæ Ecclesiæ fides integra constare semper dicatur. Soli Cæsares ac Duces obiter quæsitæ, & huc transcripi testimonium dixere, & dicunt hodie pro *Dei Ecclesia nunquam testæ, nunquam abscondita, nunquam sub modium abrepta* abundantissimum. Laudem igitur & gloriam tribuamus Deo cum Regibus hujus etiam seculi, Duce Rege

Psalmo-

Psalmographo Psalm. 21. *Apud te laus mea in Ecclesia magna; vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

Seculum Christi Nati XIV.

XXX. Albertus I.

PLacuit suis subditis etiam in Alberto filio tandem pater Rudolphus, & in patre Rudolpho Albertus filius primogenitus adeo, ut casu Adolpho, victori Alberto, nullo penitus Electorum refragante confirmatum fuerit Imperium, festivis signis publicam lætitiæ ubique prodentibus: unde etiam cum Aquisgrani in Imperii solium eveheretur, tanta confluit populi multitudo, ut Saxoni Electori Alberto II. vitam violento impetu expresserit. Annis 10. Imperio præfuit Princeps hic multiplicis virtutis laude celeberrimus; inter virtutes ejus non infimo loco veniebat odium illud, quo bilingues & detrectatores detestabatur, amator veritatis & sinceritatis perpetuus. Tria in pretio singulari habuisse fertur, scilicet *devotos Clericos, pudicas mulieres & milites generosos*. Cum hostibus non paucis duodecies imperator decertavit, victoriis & cladibus insignis; pugnavit enim I. cum Ottone, Bavarorum Duce, cui tandem concessit errorum veniam, Elisabethæ conjugis & Episcoporum precibus permotus. II. Cum Archiepiscopo Salisburgensi Rudolpho, ubi venenum (cujus instinctu, incertum est) porrectum hausit, conservatus tamen inter vivos, tametsi passus jacturam alterius oculi. Serius propinatum fuisse toxicum asserunt Cuspinianus, Pantaleon & alii. III. Cum civibus Viennæ seditiosis, quos demum in gratiam receptos privavit nonnullis privilegiis libertati Archiducis haud parum noxiis. IV. Cum Ivano inter Hungaros Comite potentissimo, quem expugnatis 35. partim urbibus, partim oppidis & arcibus, sibi penitus subjecit, procul aulâ abactis consiliorum pessimorum sociis. V. Mortuo parente Rudolpho cum Austriacis ad seditionem denuo pronissimis, quorum 40. arces intra paucorum dierum intervallum dirionis suæ fecit. VI. Cum Styriis, qui Ottonis Bavari & Archiepiscopi Salisburgensis freti maximè suppetiis, contra Albertum insurgere

R. P. Kolb Series Impp.

Zz

haud

haud dubitabant, à quo post superatos montes copiosa nive & glacie obritos, denuò sunt sub jugum missi, fugatis procul Duce Bavaro & Archiepiscopo. VII. Cum Andrea Hungarorum Rege, cui post varia certamina Agnetem filiam conjugem dedit, & pacem accepit. VIII. Cum Adolpho æmulorum Principe, quem victoriâ omnium maximâ prostravit. IX. Cum Tigurinis, quibus post leve certamen, memor maximè genitoris defuncti Tiguro constanter addicti, auxit privilegia. X. Cum Viris Principibus Rheno aditis, qui vectigalium jura Imperatori negabant. XI. Cum Wenceslao Hungarorum simul ac Bohemorum Rege, post cujus fata Bohemis Rex datus est Rudolphus Alberti filius, ducta in conjugem Wenceslai senioris vidua. XII. Rudolpho dysenteria paulò post extincto, cum Bohemis certavit pro filio Friderico equidem primò feliciter, at in fine minùs prosperè; postquam nimirum copiæ ab Alberto in Misniam contra Fridericum & Dazmannum fratres Thuringiæ & Misniæ Duces missæ, in absentia Cæsaris insignem cladem perpeffæ sunt, Suevorum desideratis plurimis. Tot bellorum princeps finis & causa erant regna Bohemiæ atque Hungariæ &c. quæ suis per sæpe optavit filiis, quibus abundabat, viginti facilè nobilissimorum pater liberorum, quos omnes conjux unica Augusta Mater Elisabetha Carinthia eidem peperit. Regna itaque & vitam invidabant Alberto hostes permulti, inter quos Joannes ex fratre Rudolpho nepos Dux Sueviæ admodum juvenis, Ducatum suum à patruo, tutore suo poscens, & tres alii scelerum socii, Eschenbachius, Rudolphus de Warth, & Udalricus Palmius erant. Prope Königsfeldam in Helvetia ex composito Cæsarem adorti latrones, in conspectu filiorum & Palatinorum multis vulneribus confecerunt an. 1308. longam subituri ob enorme scelus poenam & poenitentiam: Joannes enim Dux vagorum aut peregrinorum more, nunc mendicabuli, nunc mercatoris, nunc alio vestitu parabili patratum scelus occultans, post longos errores ab Henrico VII. Cæsare Pisæ in Italia perpetuo carceri fuit inclusus. Rudolphus de Warth unà cum Russelingo scelerato famulo vivus rotæ implexus. Eschenbachius, qui regicidii author, aut suasor princeps, spectator tamen duntaxat fuit, per annos 35. in pagis Würtembergicis pecorum custodem se gessit, sub vitæ exitum sponte sua proditus. Udal-

ricus

ricus Palmius in suburbiis Basileæ diu latitans, inde verò in arcem suam Alaburam translatus, mœrore & continuis conscientiæ moribus contabuit. Tantùm obfuit tot sicariis manus extendere *in Christum Domini!* Interea cadaver regium Königsfeldæ humatum, dein vero, jubente Henrico Cæsare, Spiram translatum, pene ad latus Adolphi Imperatoris fuit sepultum, adeoque exiguus capiebat locus duos Cæsares, quibus totum Romanum Imperium nimis angustum erat. Symb. *Quod optimum, idem jucundissimum.* Tam tristibus fatis defuncto Cæsari debitas laudes persolverunt ante alios duo monasteria, partim ab ipsomet Imperatore, partim ab Elisabetha Imperatrice, partim etiam ab Agnete filia Hungarorum Regis Andreae vidua, impensis regiis extructa; Königsbrunna nimirum & Königsfelda (ita Germani vocant) etiam hoc nostro tempore per Germaniam celeberrima. *Egnat. Naucler. Histor. Suev. Cranz. Specul. Honor.*

XXXI. Henricus VII.

HENRICUS, Comes Luxemburgicus, virtutibus, quàm divitiis notior, post aliquot mensium interregnum ab Imperii Electoribus absque dissidiis & longiori mora electus est Imperator, suadente celeritatem electionis Clemente V. Pontifice, ut Philippus Pulcher Galliarum Rex Imperatoriæ dignitatis ac Majestatis avidissimus, spe sua se destitutum quamprimum intelligeret. Verùm nec Imperator Henricus imperando longas protraxit moras; post annum enim Imperii quartum calida febris extincto sepulchrum Pisæ Italia dedit, quò crebrò à Summo Pontifice invitatus, ut veniret, venit denique, consecuturus coronam Imperii, vel potiùs vitæ coronidem post turbas in Italia etiam tam multas an. 1312. Anni 70. jam præterière, quo longo temporis intervallo Itali Cæsarem non viderunt, gravissimis priorum seculorum malis ab Italiæ aditu absterritum meritò. Eadem tempestate Guelphi & Gibelini, plurimis infausta nomina, Italiam universam in partes dissecabant, Ecclesiæ & Imperii damnò maximò; malo medelam tandem allaturus Henricus superatis Germaniæ montibus Longobardos est ador-

Z z 2

tus,

tus, quorum pleræque urbes oblatis clavibus Cæsarem excepere humanissime; sola propemodum Brixia obsidione cincta vim vi repulit eo eventu, ut Imperatoris frater telò percussus ceciderit ingenti Cæsaris dolore, quem levaturus æquatis solo mœnibus magnam auri summam à capta urbe postulavit, haud sanguinem pro fraterno sanguine poscendum ratus. Mediolani exinde coronâ ferrea pro more ornatus, Guidonem Turrianum Guelphorum caput procul fugavit, ejusdem loco constituens Matthæum de gente Vice-Comitum, Gibelinorum jam aliàs supremum Ducem. Mediolanò Romam usque delatus, Guelphorum & Gibelinorum turbas, omnium urbium principi tanto jam tempore summè noxias, lacrymâs est detestatus. Tum verò fugatis in urbem Leonis, seu Vaticana suburbia Guelphorum partibus, in Pontificis absentia à tribus Cardinalibus in æde Laterana coronatus, dum lites de Neapoleos regno jam pridem agitas parat componere, injuriam sibi irrogari conqueritur, quòd Neapolim inter feuda Pontificia numerari intelligeret. Hac de causa nihil tum molitus contra Hetruscos Cæsaris hostes, quamprimum Pisas contendit, quòd Robertum Neapolis Regem vocavit, ut Cæsari fidem nulla interpositâ morâ juraret, secus, inter Imperii hostes veniret, procul dubio proscribendus. Robertum igitur surdis auribus monita contemnentem, dum totis viribus meditatur agredi Henricus, ad vitæ metam se pervenisse subitò comperit. Venenò enectum scribunt Historici non pauci, totidem ferè contrarium asserentibus: unde immaturus vitæ exitus fabulæ dedit locum, aut veritati fundamentum, Henrico ab Italiæ Monacho porrectum fuisse sacrum vitæ pabulum & venenum, vitam simul & mortem. Natum est etiam exinde hoc Symbolum: *calix vitæ, calix mortis*. Difficile dictum est, quantus ex morte hujus Cæsaris in Imperio luctus sit consecutus, & sanè non absque merito ejus maximo; ardentissima enim in DEUM charitate flagrans, non rarò noctes ferè integras precibus intentus duravit. Eucharisticò pabulò refectus quovis festo & die Dominico, præliorum verò tempore diebus ferè singulis, ex Dei nutu pendebat totus, vivere aut mori, vincere aut vinci paratus, si modò ad Divini Numinis gloriam cedere videretur: unde par, aut Titò major Henricus

cus hic, *delicia generis humani* jure vocari poterat. Inter memoranda Henrici VII, facinora veniunt etiam gemina illa, quorum altero post devictum Carinthiæ Ducem Henricum, Joannem filium Bohemis misit Regem; altero Eberhardum Würtembergicum refractarium expugnatis ejusdem 77. arcibus perpetuo mancipavit carceri. Hæc minùs læta: jucundiora longè sunt, quæ Suevis & Austriacis exhibuit Imperator Henricus; his enim Fridericum, illis Leopoldum confirmavit Archi-Duces, utrisque ex æquo respondens. *Cuspin. Naucler. Egnat. Blond.*

XXXII. & XXXIII. Ludovicus Bavarus & Fridericus Austriacus.

QUANTUM Romano Imperio obesse possint diversæ diffidentium Electorum sententiæ, si ulla alia, testantur certè Ludovici & Friderici æmulorum tempora. Erant cognati sanguinis Heroës, ambo honore summo dignissimi, si duos capere potuisset unum solium. Non sanguinis cognatio, nec consiliorum ratio litem dirimebant: gladio opus fuit, qui quidem peperit arduam Ludovico victoriam, verùm etiam auxit in Imperio discordiam. Haud semel tantum dimicatum fuit: ante alias memorandæ veniunt pugnæ geminæ, quarum alterâ prope Eslingam in Suevia decertatum est, relicto posteris dubio, ecqua ex parte steterit victoria. Vidit Müldorfium Baviaræ oppidum pugnam alteram, longam sanè atque cruentam; sol enim oriens pugnæ initium jam dabat, finem non daturus, donec ad occasum vergeret. Eminuit eo in prælio Friderici virtus maximè: quinquaginta enim viros unius herois occidisse fertur dextera. Verùm post tot palmas Ludovicus palmam victori hætenus eripuit ultimam: cæso enim passim milite, qui pugnantem Ducem tegebatur, Dux Fridericus supremus equo destitutus, adversisque copiis circumdatus, in captivitatem fuit abstractus, triumphum canente Norimbergenfi Comite. Triennium totum duravit Friderici captivitas, quam solvi volebat, nisi authore aut adjutore Deo, libertatis supremo vindice. Elapso captivitate termino in liberam reductus auram Fridericus annis duntaxat quinque supervixit, lugens Leopoldum fratrem Argentinæ mortuum, & Isabellam

continuis obcæcatam lacrymis, quibus conjugis sui durum carcerem deplorabat mœsta conjux, eo ex tempore ad luctus penè perpetuos nata; Fridericus enim vel veneno, vel potu amatorio infectus, lenta morte contabuit, viva carne in vermes abeunte. Pluribus annis, quàm Fridericus, longè tristiora tulit vincula Imperator Ludovicus; trium enim Summorum Pontificum hostis, vel etiam invito animo factus ter eorum communi sententiâ proscriptus est, ligatus Ecclesiæ vinculis, quibus ab ejus gremiò arcebatur. Ludovico tamen per Summos Pontifices placidiora fuissent omnia, nisi Philippus Galliarum Rex Imperii cupidus, & consiliarii corruptissimi obscuris suis artibus obstitissent. Lites tandem gravissimas & longissimas absolvit casus gravis, quo Ludovicus præcipitatus est inter venandum ex equo in terram, quæ sepulchrum Monachii dedit in æde Magnæ Virgini sacra, Imperatori inter fructus poenitentiae mortalem immortalis vitæ commutanti. Cæterùm ex communi Historicorum sententia Ludovicus Bavarus post finitas pugnas Fridericum æmulorum principem summo honore prosequi studuit, ab eodem concessa urbibus privilegia confirmando; vices Amitini sui & suas frequenter dolendo; atque beneficia multa, quæ Viennæ educatum se accepisse probè meminerat, crebrò commemorando &c. Hujus Imperatoris mentionem singularem faciunt fasti Brandeburgici, in quibus refertur, Ludovicum pronuntiâsse, potestatem constituendi Electorem novum, emortuo priorum stemmate, competere soli Cæsari; unde Ludovicum filium Brandeburgicum creavit Septemvirum. Eodem ferme tempore Comites Geldriæ & Hennebergiæ inter Imperii Duces numeravit. Adhæc Monachium Bojariæ urbem principem ab Henrico Leone extructam, dimidia sui parte ampliavit, nec non universam Bavariam permultis templis & coenobiis exornavit, facile 30. nobilissimorum arte simul & Religione ædificiorum conditor, Princeps profectò meliori sorte & morte dignissimus. Imperavit annis 33. Ludovicus Bavarus, de quo Justus Lipsius hanc protulit sententiam: *fuisse Virum undique summum, fatente etiam invidia, modò Principes illos sacrorum studuisset magis vereri, aut certè revereri: cum qua sola exceptione laudetur.* Symb. *Sola bona, quæ honesta.* Vide Reflex. *Cuspinian. Joan. Villani. Trubem. Adelsreith. Drieth. & authores varii.*

XXXIV. Carolus IV.

CArolus hic Henrici VII. Imperatoris nepos, Joannis Bohemorum Regis filius, dum sacri Baptismatis lavacrò mundabatur, Wenceslaus nuncupatus, ex Bohemia verò in aulam Caroli Francorum Regis translatus, Caroli nomen accepit, ut per Ecclesiæ mysterium, quod Confirmationis Sacramentum dicimus, Regi Carolo similior fieret nomine & omine. Linguâ Germanicâ, Gallicâ, Italicâ, Bohemicâ & Latina imbutus, nec non Musis politioribus excultus, severiores non minus in amoribus habuit, & aliis commendavit; quem in finem Academiam Pragensem & Heidelbergensem instituit, & Bartolum Jurisconsultum cum viris peritissimis aliis amore summo fuit prosecutus. Bellandi arte non minus instructus Clementi VI. Pontifici adversus Gibelinos in Italia strenuam navavit operam: ab eodem proin Pontifice contra Ludovicum Bavarum Electoribus Romani Imperij in Cæsarem oblatus, & ab iisdem electus exiguis fuit viribus, quamdiu Imperator Ludovicus inter vivos superstes aderat; ab hujus enim filiis Ludovico & Stephano superatus, vix ausus est sui periculum ampliùs facere. Verùm hoc mortuo Romanorum Imperator omni ex parte confirmatus *Bullam auream* Imperatoriae Electionis Regulam constituit Electoribus usque hodie probatam. Non ita eum, quem servavit imperando tenorem, probârunt iidem Electores simulque alii censors Cæsarum multi; Bohemiæ enim Regem Carolum fuisse potius, quàm Imperatorem, palàm ausi sunt dicere, *Vitricum Imperij* vocantes. Verùm his dictis & dictariis parùm motus, non modò regni sui, sed & suum privatum commodum longè præhabuit Reipublicæ bono: ut enim pater Imperator successorem filium haberet, aurò corrumpere non est veritus Imperij supremos arbitros, promittens Electorum singulis centum florenorum millia, ut Wenceslaum Imperatorem eligerent, certè non electuris, si futura prospicere licuisset, etsi duplum promississet, & triplum solvisset Carolus pro filio nec teruntii æstimato. Imperavit annis 31. mortuus 1378. Symb. *Optimum alienâ insaniam frui.* *Genebrard. Egnat. Naucler. Cranz. &c.*

XXXV. Wenceslaus Piger.

SI virtuti aut meritis datum fuisset, ut cunctis in rebus servarent dignitatis ordinem, profectò Wenceslaus Piger Orthodoxos inter Imperatores jure merito locum occuparet ultimum; imò non nominandus, aut collocandus foret tam loco nobili. Argumento nobis esse possunt ipsius gesta, non memoranda, nisi in publicum pridem prodissent: ferrò enim carnificis, quem suorum liberorum patrum coluit, passim in fontes sævit, dum vinò maduit. Familiaris eidem comes alter fuerat molossus, ad nutum tyranni in obvios ferox & furiosus. Apro ipse & hirco, quàm viro similior, libidinis cœno se totum immerfit Sardanapalus alter aut Heliogabalus. Joannam Alberti in Bavaria Ducis filiam, conjugem suam lectissimam cum ad gravia scelera mutuo consensu perpetranda permovere haud valuisset, irâ, odiò & zelotypiâ accensus, in ejus arcana inquirere haud dubitavit, etiam sigilli Divini violator sacrilegus. Joannes Nepomucenus Imperatricis arbiter sacer, cum secreti custos constantissimus permanisset, in carcerem coniectus, & demum in Moldavam fluvium præcipitatus, venturis post sese seculis plurimorum D. Archiater evasit. Conjux Augusta quo extincto fuerit fato, ignoratur; sunt, qui molossi dentibus mariti mandato objectam, ac dilaceratam fuisse tradiderunt. His multisque aliis flagitiis Pharaoni par, aut peior, Reipublicæ curam vix ullam admisit seriam: hinc cum ab Imperii Magnatibus per Legatos ex Germania missos officii sui fuisset comonitus, stolidorum more respondit: *nihil sibi amplius in Germania reliquum esse, quod ageret: jam omnia, quæ officii sui essent, confecisse eo die, quo Rex Romanorum fuisset proclamatus. Siqui cives aut Principes ultra egerent operâ suâ, venirent ipsi ad Regem, nec sibi eundi molestiam facerent.* Istud haud immeritò omnibus risu dignum fuerat visum, dum Norimbergæ Magistratui gravissimi pretii jura & bona, aliquot vini pretiosi plaustris venalia obtulit, & vendidit dilapidator veriùs, quàm Imperator. Aliàs furorem suum in multos ad eò exeruit, ut bis vel à subditis in custodiam & carcerem datus, bis tamen evaserit liber amicorum pessimorum auxilio, quod habuit pessimus. Tandem tamen communi omnium sententia & gaudio Coloniae Imperii diademate spoliatus

liatus est, an. 1400. postquam annos ultra viginti ejus thronum sædavit, in sordida Baptismi unda Copronymo jam simillimus. Annis novemdecim ferè inter vivos superstes fuit exauthoratus Wenceslaus, nunquam mutatus moribus, pertinax in malo Princeps. Symb. *Morosophi, moriones pessimi.* *Æn. Sylv. Nauclev. Cuspin. Bohem.*

Reflexiones supra Seculum XIV.

QUotiescunque perlego non modò Hippolyti, verùm etiam Erdmanni & Hübneri de Romanorum Imperatoribus simulque Austriae Archiducibus libellos, toties obversatur animi mei oculis imago illa Hippolytana, quæ Aquilam tribus circumcinctam hostibus exhibet, quorum duo plumas, tertius vitam adimit. Hostes iis haud absimiles possunt meritò Lectoribus videri Hübnerus, Erdmannus & Hyppolitus: hic enim Austriacæ Aquilæ, velut stricto gladio, caput ferit, illi verò adimunt plumas haud uni duntaxat Imperatori Austriaco. Inter eos Imperatores fuere hoc seculo Albertus I. & Fridericus Pulcher, hic filius, ille pater, quibus suas plumas optimè instructas alas maximopere invident, plus lætitiæ ponentes in horum infortuniis & funeribus, quàm in eorum electione & assumptione ad Imperium. Ut sensim patere incipiat vulnerata Aquila, & circumfusi tres hostes, Alberti & Friderici nunc vulnera aperio.

I. *Filius Rudolphi I. Albertus I. contra Adolphum Imperatorem I. se erexit, dicens II. Imperium ad se pertinere jure paterno, neque alium eligendum, quamdiu de Regali prosapia idoneus aliquis ad regnum potuerit inveniri. III. Eo ipso patriæ libertatis hostem se declarans, IV. impotenti quæ ambitu eò tandem evehctus, V. ut eundem Adolphum nefario ausu trucidaret &c. Hippolytus fol. 519.*

II. *Albertus male studuit vindicare sibi Ducatum Sueviae, Joannis ex fratre Rudolpho posthumi patrimonium &c. Hübner. fol. 912. tom. 1.*

III. *Albertus fuit prorsus ad Rem suam attentus, liberis volens amplum patrimonium relinquere &c. Hippol. fol. 519.*

IV. *Alberti filius Fridericus quomodo perpero suo ambitu totum Imperium turbis involverit, ex Historiis obvium est. Siqui verò electionem ejus tanquam legitimam propugnent, illis meritò objicere possumus, quod Lutharius Comes Eckardo Marchioni Imperium mortuo Ottone III. ambienti ob-*

jecit: num currui tuo quartam deesse non sentis rotam? Quatuor enim Electores suffragia sua Ludovico Bavaro indubitato dederunt; tribus ad summum à Friderici latere stantibus. Hippolyt. fol. 520.

Reflexio ac Responsio I. ad I.

TOtus erinaceus, quin totus est mucro, ut vulneret & perimat Hippolytus: singula enim verba, aut saltem constructio verborum singula cuspidem erigit in Albertum. Experiendum nunc verò, quanta sit vis & acies tot mucronibus Hippolytanis: repono itaque ad

I. Qui erigitur & elevatur à plurimis aliis ad majestatis solium, haud ipse se erigit, nisi tantum, quantum cuique fas est, sese erigere ad decus ingens, per virtutis nimirum viam arduam ad honoris fastigium. Est verò concors Historicorum etiam Heterodoxorum assertio, tantam fuisse Alberti I. apud summos juxta ac infimos æstimationem, ut nisi Gerhardus Moguntiae Elector callidissimus, obscuris artibus Adolphum sanguinis vinculo sibi adstrictum Alberto prætulisset ipse, & à majori Electorum parte præferri curasset, vox omnium unanimis Albertum in solium evocasset. Quin etiam illo jam tempore haud vani augures prædicebant: *quod differtur, non aufertur sceptrum.* Placebit brevè Albertus Imperator illis, quibus in fraude & sanguine, atque privatis commodis spes posita erat adedò, ut ordine præpostero suum parvum emolumento Reipublicæ maximo anteposuerint. Vaticinium hoc fuisse, eventus demonstravit; teste enim hic certissima Historia ab ipsomet Moguntiae præfule, & reliquo Electorum Collegio universo Adolphus exauthoratus, hujus locò Albertus electus, & junctis Imperii viribus in Adolphum obarmatus, sponte ad interitum properantem Augustâ dexterâ prostravit, ab omnibus celebratus victor & triumphator, Imperii coronâ dignissimus. Nihilominus eo in rerum articulo felicissimo constitutus, abundè suam cepit fortunam: tum enim verò etiam, quàm non ambiret Imperii sceptrum ostendit, collectis Imperii arbitris, faciens potestatem liberrimam eligendi quemvis ante se Imperii moderatorem. Sed ob id ipsum denuo visus Septemvirorum Concilio coronâ dignissimus, unanimi omnium calculo non tam electus, quàm confirmatus Cæsar placuit Ecclesiæ & Reipublicæ universæ. Hunc planè in modum de Alberto scripsit ipse Erdmannus fol. 676. Nec multum diversa

diversa refert Hübnerus agens de electione Adolphi tom. 1. fol. 907. Quo igitur ausu nefario Albertus trucidavit Adolphum, quem occisum voluere totius Imperii Proceres, & ipse occidendus in spontaneam ruit necem? Qua ratione evehctus est in solium *impotenti ambitu* Albertus, quem concordi suffragio elegerunt Septemviri? Quo idem pacto dixit, ad se jure paterno pertinere imperii sceptrum, & quidem tanto tempore, quanto hæres sibi aut suis filiis superstes foret, si quemvis alium ante se eligi petiit, obedire potius, quàm imperare paratus? Quo denique modo se crexit contra Adolphum Albertus, quem Electores Imperii Principes libertate plenissima, vel per ipsum data, elegerunt denuo & confirmârunt Cæsarem? Hæc ego ex authoribus tum Pontificiis, tum Heterodoxis collegi omnia contra Hippolytum pro Alberto: lege igitur Cranz. in Saxon. lib. 8. fol. 224. & præ reliquis Nauclerum, ex quo Hippolytus collegit vel contra Albertum, relicta majori mellis copia. Verba Naucleri fellea in Hippolyto hæc habeto: *Adolphus valde fidelis fuit Imperio, in nullo suos liberos de rebus Imperii ditavit, sed Imperium ampliare disposuit: totum enim Principatum Misnensem coëmit, & Imperio incorporavit, quem usque ad mortem suam quietè tenuit: sed successor suus Rex Albertus totum perdidit &c.* hætenus ex Nauclero Hippolytus. Nunc ex eodem authore ea, quæ sequuntur, & ego transfero. Anno deinde Domini MCCXCVIII. Principes Alemannie privaverunt Moguntiae Adolphum Imperatorem jure Imperiali ratione suæ NB. infidelitatis: *recepit enim centum millia marcarum argenti, ut quidam scribunt, à Rege Angliæ pro succursu contra Regem Franciæ. Debit autem hanc summam dividere inter Principes Germaniæ, quod non NB. fecit, sed emit inde Comitatum quemdam. Ex eo recusaverunt ire Principes cum eo, ideo scandalum grande admisit, quia Regem Angliæ juvare non potuit: orta siquidem inter eum & quosdam de Imperio est concertatio, ita, quod ipse damnificavit Argentinam & Episcopum, & totam Alsatiam permisit que in omni Alemannia lites NB. & bella, quare depositus est ab Electoribus per sententiam, quod remissus & NB. inutilis erat &c. vid. fol. 241.* Eodem folio pergit Nauclerus recensere in hunc modum: NB. *Et postea bellò exortò inter Regem Franciæ & Angliæ, cum Adolphus à Rege Angliæ recepisset pecuniam, ut eum juvaret contra Regem Franciæ, id valde indignè ferebant Principes. Ex quo & aliis causis authore præfato Archiepiscopo Gerardo*

do depositus fuit, quòd objecit Regi perjurium, & quòd stipendium contra Francum recepisset; quòd cuderet falsam monetam; quòd fecisset Sacerdotem decollari, quòd mandaret Ecclesiasticos spoliari &c. His subjunge, quæ sequuntur ejusdem fol. facie 2.

Eo anno, occiso Adolpho, ut dictum est, in Frankfurt, postea coram Electoribus comparuit Albertus Dux, & primæ NB. pollicitationi renunciavit. Verùm vacante Imperio ex morte Regis Adolphi Principes concorditer eundem in Regem Germanorum in die B. Pantaleonis elegerunt, qui postea Aquisgrani solenniter est coronatus cum conjugè sua filia Comitis de Tyrolis, regnavitque annos 10. &c.

Ex his planissimum fit, quàm vitiosò calamò ex authoribus sibi sumperit verba Hippolytus, ut Lectorem circumveniat, suasque in partes trahat. Si officium Historici facturus, comparasset inter se verba & sententias singulas in Naclero contra Adolphum, & hujus successorem Albertum relictas, invenisset facilè, cur laudaret minùs Adolphum, plùs Albertum. Invenisset pariter, Naclerum eodem folio non obscurè sibimet contrarium negare, quod priùs affirmavit: si enim inter Adolphum & quosdam de Imperio orta est concertatio, si item Adolphus damnificavit Argentinam & Episcopum, & totam Alsatiam, permisitque in omni Alemannia lites & bella, & ab ipsis Electoribus est depositus ratione suæ infidelitatis, & quòd remissus & inutilis foret; si adhæc recepit centum millia marcarum argenti à Rege Angliæ pro succursu contra Regem Franciæ; si denique debuit hanc summam dividere inter Principes Germaniæ, nec tamen divisit, veluti testantur hæc omnia hætenus non mea, sed Nacleri verba à me repetita, qua obsecro ratione Adolphus valde fidelis Imperio fuit? Quo pacto remissus & inutilis Imperium ampliare disposuit? Quo tenore Principatum Misnensem usque ad mortem suam quietè tenuit, cum ex communi Historicorum relatione Fridericus & Dazmannus Thuringiæ & Misniæ Principes totis viribus Adolpho an. 1294. atque adeò secundo jam Imperii anno prope Mülhusium occurrerint, & Imperatoris exercitum magna clade affecerint; reliquis verò annis tribus cladibus mutuis & victoriis Thuringiam totam & Misniam depopulati sint, necdum tamen finito bello cruentissimo? Qua audacia scribit Hippolytus, quòd successor Adolphi Albertus Misnensem Comitatum perdiderit totum? Albertus enim Cæsar te

ste Historia communissima an. 1305. à Philippo Nassoviensi Duce & simul Alberto patre contra Fridericum & Dazmannum filios vocatus in Thuringiam, suavi amicitiae & pacis methodo Thuringorum Principum turbas componere studuit haud quicquam postulans, quàm numeratam iniquè ab Adolpho pecuniam in coëmendo Misnensi Comitatu; cum nihilominus fratres Fridericus & Dazmannus cum patre adultero dimicarent, nec Cæsari promptam exhiberent fidem aut subjectionem: tum verò mutuis odiis & armis recrudit bellum pertinacissimum. Hunc ferme in modum scripsere Historiam hanc ipsimet Historici, qui minùs Alberto, quàm Adolpho suis velificati sunt calamis. Certè ipse etiam Erdmannus & Hübnerus toto capite annuerunt narrationi huic, hoc solùm inter eos discrimine, quòd horum posterior nulla nixus autoritate asserat, Albertum Cæsarem etiam *dolis* insidiatum esse fratribus Friderico & Dazmanno. Adeò promptum est Hübnero fraudulentò scriptori Cæsarem Austriacum arguere reum fraudis!

Reflexio ac Responsio II. ad II.

INter plurimas neces tristissimum Alberti Cæsaris funus secutas, fors omnium minimè fuit dolenda mors trucidati Alberti Imperatoris, si Hübneri mentem penetremus, quam hisce pandit verbis: *studuit malè sibi vindicare Sueviæ Ducatum, Ducis Joannis patrimonium.* Noxiam profectò dicendi ac maledicendi hominis audaciam! erat enim, ut palàm est universis, Albertus Joannis patruus, erat nepotis sui tutor & curator; Joannes verò, si Hübnero credimus, annum ætatis nonum supra decimum vel agebat vel impleverat. Si authores consulamus alios, tali ætate minor erat. Utra harum opinio veritatis sit amica magis, parum interest: Sueviæ namque Dux Joannes regendis populis annos necdum idoneos nactus, trium tamen perfidorum virorum internecinis consiliis animatus, omne jugum excutere, libertatem sibi poscere, haud subesse, sed præesse identidem avebat, petebat, & denique postulabat à curatore Cæsare. Juvenilibus votis non respondebat; responsurum se tamen æquo Juribus tempore promittebat. Hæc summa rei ex Historicis tum Antiquis, tum Recentibus eruta. Non omnino negat hoc Hübnerus, nec Erdmannus ex parte quidem, quorum postremus affirmat, tredecim annorum adolescenti adulatorum consiliis seducto jam obortam

fuisse suspicionem, ne tandem Albertus sibi aut filiis vendicaret Sueviæ Ducatum, patrimonium suum. Hübnerus verò, ut alias persæpè, supra suspensiones vanas ædificans suæ Historiæ arcem celsissimam, rotundè pronunciat, Albertum Cæsarem, Joannis Suevorum Ducis patrum & tutorem, factum fuisse *proditorem, injustissimum patrimonii raptorem, possessorem alienæ ditionis iniquissimum, vix violenta morte sua non indignum*. At negabunt fortassis Hübneriani posterì, has esse Hübneri sui contra Albertum voces rigidas: quibus repono, negate has esse voces Hübneri vestri rigidas, negare profectò non poteritis, si ruborem necdum exuistis, hanc esse Hübneri rem & substantiam & animi sententiam rigidissimam. Ad Lectores, utriusque partis arbitros, appello, lustremus *Hübneri Tom. I. fol. cit. & tom. II. fol. 1295. & seq. Item tom. V. fol. 58. & seq.*

Reflexio ac Responsio III. ad III.

AN Adolphus Imperator melior, quàm pater, Albertus è contrario pater melior, quàm Imperator fuerit, Hippolytus ex Naclero narrat, non probat: argumento enim, quo utitur & nititur uterque, an possit quicquam esse infirmius? *Adolphus totum Principatum Misnensem coëmit & Imperio incorporavit, quem usque ad mortem suam quietè tenuit. Successor suus, Rex Albertus, totum perdidit. Item: Adolphus regnavit magna cum laude &c. nusquam notari potuit, sua querere, aut favore suos evehere. Econtra Albertus fuit prorsus ad rem suam attentus, liberis volens amplum patrimonium relinquere &c.*

En utriusque pugilis fortissimos arietes geminos, quibus Alberti concutiuntur moenia! Sed superiùs Reflexione I. jam demonstratum fuit, ab Adolpho Comitatum hunc nunquam pacatè, nunquam pacificè, ut ajunt, fuisse possessum, nunquam bene quæsitum, minùs acquisitum fuisse. Ab Alberto autem meliori titulo & gladio pugnatum fuisse didicimus, priùs tamen etiam esse amissam vitam, quàm ultimam victoriam. Sed faxo, placeant hæ Naclerianæ, vel Hippolytanæ comparationes inter Albertum & Adolphum, quin accedat duabus prioribus posterior tertia. *Adolphus pecuniâ suâ coëmisse scribitur ad Imperium quasdam urbes: è contra Albertus fuit prorsus ad rem suam attentus,*
habuit

habuit enim numerosam prolem &c. Itane Adolphus scribitur pecuniâ suâ coëmisse ad Imperium quasdam urbes? Dic Hippolyte, aut quiquis es Hippolyti defensor, hostis meus, dic authorem, qui talia scripsit fidei calamo, dic urbem, dic tempus aut locum emptionis, dic pretium, dic mercedem! Ego hercle nec unius, nec alterius rei vestigium in ejus temporis inveni Historicis. Solatur idcirco me Jurisperitorum more justæ defensionis titulus, donec adversarius eas emptionis circumstantias judicem edocuerit. Jam verò tam Adolphi, quàm Alberti numeramus liberos. De nullo Adolphi filio meminit Hippolytus: Alberti verò filios copiosos numerat. Ego verò in Erdmanni libro tres Adolphi filios cum filia una invenio. At quatuor filios cum filiabus tribus accuratissimus generationum etiam spuriarum observator Hübnerus invenit. Verùm demortuis quamprimum Adolphi duobus, Gerlacus filius tertius cadente inter pugnandum patre tam teneræ erat ætatis, ut teste Hübnero etiam post genitoris fata annos plures quàm 60. vivendo superârit. Quin Erdmannus perhibet, Adolphum creatum Imperatorem ab Alberto petiisse in sponsam filiam, sed tulisse repulsam: nullus verò authorum unâ plures fuisse numerat Adolpho conjuges. Si igitur creatus Imperator Augustam duxit conjugem, intra sex Imperii dentaxat annos vel nullos, vel certè tenerrimæ ætatis filios numerabat Adolphus. Quæ cum ita sint, tanta profectò nec causa, nec occasio Adolpho fuit curandi liberos suos, quanta oblata est Alberto sex adultos jam filios numeranti cum filiabus quoque, quas passim in sponsas sibi petebant & exoptabant & Reges & Duces, inter quos, ut dixi, ipse Adolphus teste Erdmanno repulsam tulit, gravem suam interpretatus injuriam. Verùm perinde necdum ego Albertum *Imperatorem malum* dixerim, quòd *bonum parentem* dicam; nec enim Imperii publicum, nec ullius alterius privatum deprehendo damnum, vel per Parentem tantum, vel per tanti Parentis Filios allatum. Nisi tamen damnum publicum & privatum nonnemo commodorum studiosus curator cum Hübnero malit dicere malum illud, quod in Reflexione ab hac priori abundè ventilavimus.

Reflexio ac Responſio IV. ad IV.

Feliciffimum te appello, Imperator Ludovice Bavare, quòd licet ex genitrice Auftriacis conjunctiffima, ex Mechtilde nimirum Rudolphi Habsburgici filia ſis natus, non tamen dicatis Auftriacus: talis enim ſi fores, inſuper habitis tuis maximis etiam meritis Hippolytus te ſuis peteret jaculis tuæ virtutis & veritatis impugnator, & hoſtis. Auftriacum quippe nomen tam exitioſum, & abominabile Hippolyto, omnis politiæ informatori egregio, videtur, ut potiùs ad inferni barathrum deturbandum, quàm ad Imperij ſolum ſit evehendum. Tuam hinc, infortunatiſſime aliàs Ludovice, animitus probat cauſam, tuus eſt totus Hippolytus, ut nihil ſuperſit adverſario quondam tuo Friderico Auftriaco. Audi non unam duntaxat pro te contra Fridericum ſententiam velut ex tripode prolatam. *Alberti filius Fridericus, quomodo perpero ſuo ambitu totum Imperium turbis involverit, ex Hiſtoriis obvium eſt. Item: quatuor enim Electores ſuffragia ſua Ludovico Bavaro indubitato dederunt, tribus ad ſummum à Friderici latere ſtantibus.* Minimè auſim ego calamum hunc meum tenuiſſimum immiſcere cauſæ inter maximi nominis, ſanguinis, & conſanguinitatis Duces pridem agitatae & finitæ. Quod ſupra me, ad me nihil. Hippolytum ego ſolum impugno, qui, ſi Ludovicus Auftriacus, Fridericus verò Bavarus fuiſſet, Ludovici certò certius partes tranſfuga reliquiſſet, ut Friderico aſſentiretur adulator ineptiſſimus. Quid hac de cauſa in Hiſtoriis ſit obvium, cognovit enim verò Cuſpinianus cum ſociis Hiſtoricis pugnans pro Friderico Auftriaco: cognovit non minùs cum ſociis aliis Gregorius Hervvarthus pugnans pro Ludovico Bavaro, ſanè tam ardentè calamis ſuis, quàm pugnavère utriusque partis milites ſuis gladiis. Quantis argumentis velut prælongis haſtis mutuò ſeſe petiverint, palàm eſt Lectoribus multis, inter quos jure vendicavit ſibi locum Philippus Briethius, nec natione, nec partium ſtudio Bavarus, ſed nec Auftriacus; is de electione Ludovici atque Friderici fol. 694. hæc nobis haud obiter legenda reliquit: *Electores quoque Imperii in duas factiones ſecti ſunt, quarum una Ludovicum Bavarum, altera Fridericum Auftriacum cognomentò Pulchrum delegit: de quo-*

quorum electione tam incerta ſcripta ſunt, ut de Hiſtorie veritate omnes dubitare queant, de ea nemo ſtatuerè, niſi imprudentiſſimè. Cum Briethio ſentiendum ego ratus, nihil ſtatui hætenus, nec deinceps ſtatuum: plurima verò ſtatuit Hippolytus, quâ verò prudentia, viderint Lectores ſynceri. Ex dubiis cum certitudine quadam hinc inde inſperſa mixtis meliora ego ſeligo, quæ nimirum omnibus habentur comperta hocque compendio comprehenſa. Fridericus à Ludovico armis denique victus, captus, ac triennio toto in captivitate detentus, tandem tamen libertati reſtitutus ſuam rediit in Auftriam, in qua pactorum cum Ludovico juratorum apprimè memor, quinque annos vitæ reliquos tranſegit in pace optatiſſima. Hæc certa: Ludovicus itaque & Fridericus ſolutis inimicitiae nodis, vel amicitiam perpetuam coluerunt, vel diſcordiam ſaltem non admittère novam, hic libertatis maximè, ille concordiae beneficiò læti. Atque hæc cognoviſſe & hinc dixiſſe ſufficiant nobis: nec enim ab illis ſtabo Hiſtoricis, qui bella ciere nova cupiunt inter Imperatores terno pacis foedere connexos. Fuit jam multis ſeculis Auftria Baviaræ non modò confinis, ſed affinis etiam, quin & arctiſſima ſanguinis nobiliſſimi & omnium principis propinquitate conjuncta. Unicum ferè nonnunquam deerat ad ſtatum omnibus modis abſolutum, perpetuum nempe amicitiae vinculum, nunc ab adulatoribus, nunc ab apertis hoſtibus diſſolutum; ut ſuis membris captaretur, & captivaretur Imperii corpus latiſſimum, cujus *dexteram* Leopoldus M. & Cæſares Auftriaci alii dixère crebrò *Bavariam*. Jure igitur videntur vel adulatoribus, vel apertis hoſtibus non abſimiles Hiſtorici illi, qui ex antiquiſſimarum rerum implicatiſſimis dubiis eruere cupiunt manifeſtam veritatem; ſed ſimul ſibiſmet inſigunt vulnera, & obductas Virorum Principum cicatrices novo vulnere ſauciant, ſuccedente poſt vulnus ulcere ſæpe immedicabili.

REFLEXIO V.

Hætenus hoc ſeculo ferè politica, eaque profana, ita volente Hippolyto, Erdmanno & Hübnero tractavimus, paucis nunc dicendum reſtat aliquid de ſtatu Eccleſiaſtico: eſt enim hoc ipſum

jam seculum illud, quod inter errantia secula ex mente triumvirorum istorum & quorumvis Lutheri sectatorum fuit ultimum. Seculum verò ab hoc proximum Joannis Hussii morte illustrissima, & Martini Lutheri natalibus clarissimis jam illustrari coeptum, instar auroræ præluxit seculo XIV. cujus anno 17. imperante Maximiliano I. Evangelii fax illuxit, & vox insonuit Saxoniae, vel in ipsis hujus divini Doctoris auspiciis nuptiis. Quæ cum ita se habere ab egregiis authoribus his afferantur; dispiciendum nunc est, num nulli amplius superfuerint Viri Principes, quorum vel morum insigni probitate, vel signis Ecclesiae lucidissimis nondum remotam Fidei lampadem ostenderit Christus perpetuus custos & conservator Sponsæ suæ Ecclesiae.

Viri Principes Seculo XIV. Ecclesia Lucentis Lumina.

Obit an. 1303. S. Ivo ex Doctore Jurium seculari Presbyter factus celeberrimus, advocatus pupillorum atque viduarum dictus, Ecclesiae decus miraculis conspicuum.

An. 1327. In regno Lusitaniae omnium subditorum luctu maximo è vivis excessit Dionysius Rex celeberrimus, D. Elisabethæ conjux probatissimus, totius Hispaniae, quin Ecclesiae universae lucidissimum sydus.

An. 1327. Barcinone Jacobus Arragoniae Rex à Religione multum laudatus, morte defunctus est, relinquens filium Alphonsum IV. patri virtutibus vel parem vel superiorem.

Eod. tempore floruit D. Rochus Montis Pessulani Dominus, qui rubra insignitus cruce in lucem prodiit, & duodennis relicto Principatu suo, divisisque in pauperes bonis suis perrexit in Italiam, quam latè percurrens sacrae crucis signò, pestilentiae malò liberavit &c. Ex Italia rediens Montem Pessulanum repetiit, ubi pro exploratore habitus, toto quadriennio vixit in carcere. Moriturus mox, pro peste infectis ardentissimas ad Deum preces fudit: mortuus nomen suum & progeniem in tabula descriptam reliquit miraculis etiam proditus.

Circa annum 1328. morte sua Ecclesiam illustravit D. Elzearius de Sabrano in Provincia Comes, qui paris nobilitatis ducta conjuge Dalphina,

phina, inter Virgines permanfit & Virginem conservavit, Siciliae Regibus, & toti denique Ecclesiae acceptissimus.

An. 1328. Philippus, Navarrae Rex, relatà de Flandris victorià necdum depositis armis ingressus est Basilicam Deiparae Virginis, eidem offerens equum suum & arma, & magis animum virtute refertum, cujus rei insigne monumentum etiamnum visitur. Idem moriturus per totius sui regni regiones inquiri jussit, num supersint, quibus Rex quicquam debeat, & satisfaciat, ad expungenda debita paratissimus, ut nancisceretur Deum creditorem.

Eod. hoc tempore in pugna cecidit hæres unicus Humberti Delphini in Gallia Filius, cujus mortem vehementissimè dolens genitor, Delphinatum Philippo Regi donavit: is verò monasterium D. Dominici ingressus, sibi vivere & mundo mori amplius didicit.

An. 1329. Andronicus Junior Orientis Imperator incidit in morbum gravissimum, ex quo jam moriturus, haustà ex B. Virginis fonte aquà, repentè convaluit.

Eod. an. regnò suò & vità excessit Robertus, Scotorum Rex, Scotici regni restitutor eximius. Vivus Hierosolymam se petiturum promisit, sed bellis impeditus, & morte præoccupatus cor suum è deportari jussit, serii ac synceri promissi testem. Commissum pium hoc negotium Jacobo Duglassio, qui vel in itu, vel reditu, auditò Saracenorum in Hispania bellò, è profectus sanguinem suum consecravit Christo; quem in patria crebrò obtulerat Regi.

An. 1342. regnare & vivere desit Carolus Robertus Hungariae Rex, virtutibus vix ulli Regum Hungariae hætenus cedens. Novem aut octo regnorum, scilicet Dalmatiae, Bosniae, Serviae, Galatiae, Londonieriae, Cumaniae, Bulgariae, & Ungariae Rex dictus, totidem regna multis superstitionibus purgavit & saluberrimis legibus instruxit, serò ab Hungaris amatus, & serò ab iisdem desideratus.

An. 1350. Philippus VI. Gallorum Rex sedatà controversiâ, quæ de Jurebus Ecclesiae & regionum Prætorum erat exorta, stetit pro Ecclesia, claudens ultimam suam sententiam his verbis; *Jura Ecclesiarum aucta se potius, quàm imminuta velle.*

- An. 1351. Institutus vel renovatus est in Francia *Ordo Stelle* dictus, cujus Equites Beatissimæ Virginis de nobili Domo S. Audoëni vocati, stellam ex torque pendulam ferebant cum hoc lemmate: *monstrant Regibus astra viam.*
- An. 1355. Cantacuzenus Græcorum Imperator purpuram exuit, habitum indutus Monachi, Irene Augusta conjugæ inter Moniales numerata. Cantacuzeno virtutis constantiam gratulatus est an. 1375. Gregorius XI. Summus Pontifex.
- An. 1359. Petrus Arragonum Rex sceptri curarum feracissimi pertæsus FF. Minoritarum induit habitum in Hispania; Carolus verò Comes Alenconius PP. Dominicanorum in Francia, uterque in bene cœptis constantissimus, nec tantum sibi, sed & aliis boni, imò optimi.
- An. 1360. Lusinianus Cypri quondam Rex vitam finit exitu laudatissimo Romæ mortuus, cujus virtutes æmulatus filius Petrus in minori regno ostendit, quàm idoneus foret regnis maximis.
- An. 1362. Neapolis Rex Ludovicus præcius mortis suæ inter virtutum actus constantissimos, & susceptas in se etiam peregrinationes, ad Superos evolavit.
- An. eod. Eduardus Anglorum, & Casimirus Polonorum Reges edidère complura Christianæ mansuetudinis, liberalitatis regiæ, & misericordiæ testimonia, hic in pauperes, ille in captivos beneficentissimus.
- An. 1364. Carolus Dux Blesensis cecidit in pugna, Princeps in vita virtutibus, post mortem miraculis clarus.
- Circa hanc ætatem Neritiæ Princeps, D. Brigittæ conjux, Cisterciensium professus Regulam in cœlos præcessit Divæ conjugi, quam secuti sunt octo liberi, omnes virtutibus suis æquales sanctis parentibus; inter sorores D. Catharina Sueciæ decus eminuit.
- An. 1379. Henricus Castellæ Rex moriturus, corpus ornavit D. Domini vestitu, animam virtutum habitu.
- An. 1380. Carolus V. cognomento Sapiens Gallorum Rex defunctus, in ærario regio reliquit duodevigies centies mille aureos, virtutis verò majorem thesaurum secum portavit.
- An. 1380. D. Petrus Gambacurta pernobilis Pisanus instituit Eremitarum

S. Hie.

- S. Hieronymi Ordinem, qui cum captus fuisset à latronibus, tanti eos facere decuit virtutis & vitæ Monasticæ pretium, ut iidem latrones auctoritate Petro extruxerint monasterium, servaturi deinceps multis animam, cum antè multis eripuerint vitam.
- An. 1382. Ludovicus Hungarorum Rex Magnus, par Carolo patri filius, annis 40. non modò Hungariam, sed Europam universam & Superiorem Asiam suis implevit laudibus, Romanæ Ecclesiæ assertor & propagator ferventissimus; unde cum nemo superesset in regno, qui Pontifici haud obediret, quàm Hebræi, eos vel regno exesse, vel Romæ subesse mandavit.
- An. 1384. Amadeus Viridis Sabaudia Comes, author Ordinis, quem ab Annunciatione B. Virginis appellavit, satis concessit ex virtute pretium summum habentibus, vir fortis & industrius, non tantum de Francia, sed etiam de tota Ecclesia optimè meritis.
- An. 1386. Jagello Lithuania Dux, pollicitus Christiana Sacra profiteri, Hedvigin missam ab Elisabetha matre filiam, & coronatam Polonia Regiam duxit uxorem. Jagello cum fratribus ante nuptias regias baptizatus, per annos 48. Orthodoxa Sacra eo fervore fuit profectus, ut, cum deessent Sacerdotes & Præcones sacri, ipse eorum munere functus præclarissimè, sæpe egerit interpretem, & præconem.
- An. 1387. Carolus III. Navarra Rex cognomento Nobilis, totus diversus fuit à patre adeò, ut Salomoni etiamnum sapientissimo comparatus fuerit. Is singulari affectu ferebatur in Sacra Romana, quem secutus est Joannes Arragonum Rex, detestatus Petrum de Luna Pseudo-Pontificem.
- Eodem anno immatura morte extinctus est D. Petrus de Luzenburgo, Cardinalis annorum 22. juvenis, ex Imperatorio & regio stemmate natus, cujus eruditio magna, & sanctimonia miraculis illustrata, accenderunt in multis desiderium Petri tam citò mortui.
- An. 1390. Robertus II. Scotorum Rex de Stuartorum genere primus an. ætat. 74. glorioso fine vitæ periodum finit Princeps in Rem Catholicam natus & factus, atque virtute propria confirmatus in bono.
- Hæc ferè per otium ex Bzovio, Briethio, Forestio, Levvenfolio, quin

& Hübnero collegi, inventurus absque dubio longè plures tum Reges, tum Duces &c., si animus fuisset indagare pluribus. Verùm ne nimium excresceret libellus hic, omisissis ex Religiosorum hominum statu utriusque sexûs exemplis clarissimis, quin nec memoratis quidem Augustis, aut Regiis conjugibus, quæ profectò non minùs numerò, quàm Fidei lumine præstabant per hoc seculum, mecum ita statui: si isthoc & prioribus seculis lumen *Divinae Fidei* ex mortalium conspectu velut in occultas cavernas abstractum fuerit usque adeò, ut nec optimis hujus temporis Imperatoribus, nec Regibus, nec Ducibus fulserit ampliùs, tunc absque piaculo rursum cum Hipponensium Præsule, aut cum aliis sanctitate conspicuis Viris cur non exclamemus elevata usque ad coelos voce? Domine, si credendo decepti sumus, tu decepisti nos, qui tamen & falli, & fallere es nescius Deus, summè verax & summè fidelis!

Seculum Christi Nati XV.

Fridericus Brunsvicensis & Jodocus.

Fridericus ex patre Magno Torquato Brunsvicensi Duce natus, Ducatum Brunsvicensem annis 19. cum laude gubernavit, varios in eodem compescens motus. Ob famam eximiam Francofurti, rejecto Wenceslao, in Cæsarem electus primos haud bene gustavit honores Imperatorios: cum Rudolpho enim Saxoniae Electore & Sigismundo Anhaltino, nec non Conrado Episcopo Verdensi viarum sociis ad propria sua reversurus, à conductis Sicariis repente de equo præcipitatus, lethali occubuit vulnere, sceleris tanti authore principe Joanne Moguntiae Electore. Ob brevissimum temporis spatium, quo Imperatoris nomine sine corona gavissus est, à plerisque Historicis in Imperatorum numero vix collocatur, Symb. *In mortem alterius tu spem tibi ponere noli.* Pari ratione à plerisque silentio præteritur Jodocus ex Moraviae Marchione in Imperatorem vel ante vel post Rupertum Palatinum lectus, nonaginta annorum jam senex, cujus mors ex prægraviæ tate prævisa multis suspicionem movit, vix seriam fuisse tam decrepiti senis electionem in Caput Imperii. Mors itaque multis prævisa & malè sperata spes malorum haud elusit post per-

paucos

paucos menses rapiens Jodocum in tumulum. Symb. *Omnis homo mendax.*

XXXVII. Rupertus.

Rupertus hujus nominis inter Electores Palatinos III. Ruperti II. filius, literis & virtutibus inter Principes ea ætate maximè insignibus excultus, in juventute jam se exhibuit Palatinatûs, Bavariae & Imperij singulare ornamentum. Unde in locum Wenceslai cognomento *Pigri* meritò vocatus, annò 1400. communibus Septemvirorum suffragiis Cæsar est promulgatus, tantò majori omnium gaudio, quantò major eousque fuerat luctus ex Wenceslai sceleribus ortus. Electum Cæsarem Coloniae Agrippinae diademate Imperii ornavit ejusdem urbis Archi-Episcopus, quòd Aquisgranum ab urbibus cæteris diversum, venienti Imperatori aditum negarit, ea de causa Imperii banno subiectum. Rupertum Cæsarem tametsi corpore parvum, animo tamen maximum nobis ostendunt ejusdem nomina & facinora; justitiæ enim defensorem justissimum, alii *Justinianum*, alii *justè rigorosum*, & demum alii *clementem* dixere, qui nimirum bene meritis & noxiis ex æquo responderet. Rebus in Germania ordinatis à Bonifacio IX. Pont. & Florentinis in Italiam vocatus venit cum exercitu contra Galeacium Mediolanensem Ducem &c. ut provincias à Wenceslao temerè relictas Imperio quamprimum recuperaret. Verùm spes major belli, quàm præmium fuit; ab hoste enim Galeacio & sociis, Wenceslai pigritiam commodum suum palàm dicentibus, in agro Brixiano victus Rupertus, in Germaniam rediit, inania promissa & fraudes Italorum multis accusans. Fuerunt equidem in Italia Duces, qui Imperatorem in Italiam retrahere ingentibus denuo promissis sunt conati; verùm hic præteritorum temporum ritè memor, augustò silentiò respondit vanis nuntiis. In Germania dein Leodii cives in Episcopum suum, Joannem Bavariae Ducem, summopere refractarios suis privilegiis penitus privavit, eorundem militaribus signis publico in foro combustis, postquam seditiosorum ante signani numerò centum quadraginta septem capite sunt plexi. Adolphum etiam Ducem Montensem suosmet parentes armis infestantem proscripsit: Offenburgum verò jam an. 600. extructum Impe-

Imperij urbibus annumeravit. Annis Imperium gubernavit 10. quorum ultimis reliquâ Europâ pene universâ belli flammis accensâ, ipse in pace conservavit omnia, maximus bellorum osor, in quibus nec privatam, nec publicam Reipublicæ salutem positam esse persæpè ajebat, verbis & factis Princeps pacis mansuetissimus, an. 1410. Oppenheimii mortuus, Heidelbergæ sepultus. Symb. *Misera res digna misericordiâ. Cuspinian. Tritem. Chron. Ducum Bavariæ &c.*

XXXVII. Sigismundus.

Wenceslao germano fratre longè major & longè melior frater Sigismundus jam antea Hungarorum ac Bohemorum Rex præclarus, selectus est Imperator fortè etiam hanc ob causam, ut fratris labe turpissimas elueret, vel suis virtutibus tegeret. Dignitatem hanc Imperatoriam haudquaquam detrectavit Sigismundus; primus enim omnium in Imperio Electorum fuit hætenus, qui suò semet scripsit suffragiò, rem insolitam cunctis mirantibus, quibus ipse respondit: quis Sigismundus foret, Sigismundo ante alios patere. Haud difficulter reliquorum Electorum etiam suffragia vendicaverunt sibi in hoc Imperatore tum naturæ, tum liberalium artium dona eximia: staturam enim excelsam ornabant magis serena facies, mores placidi, ingenium præstans, eruditio rara, diversarum linguarum peritia, & excellens facundia. Effecere hæc omnia, ut ipse literatis acceptissimus, mutuum iis amorem ac æstimationem impertiret: unde aliquando auditus fuit dicere: *illos ego colo, quos natura alios antestare voluit; natura autem præstant docti ignavis, & idiotis.* Georgium Fiscellinum Jctum sibi gratissimum cum Illustrium ornasset honore, is verò Basileæ in virorum nobilium Comitibus anceps hæreret, an sagò, an togâ ornatorum parti accederet, & tandem concessisset ad equites, exclamavit Imperator: *stultè agis, quòd literis præfers militiam; nam ego ex idiotis mille equites vel uno die creârim: at ex simili genere ne quidem per mille annos unum Doctorem.* Artem regnandi suâ maximè industriâ gnæviter doctus, ut discerent multi, optavit persæpè, ajens: *mirum est, cum omnes recusent exercere artes, quas non didicerint, quòd imperare tamen nemo recuset, quæ ars omnium difficillima.* Cum nihilominus non deessent, qui Imperatorem hunc carperent, adversus

con-

convitia & calumnias ipse pacatò respondit animò: *non est mirum, alios male loqui, cum male nos agimus.* Adulatores proin detestabatur magis, quàm calumniatores quosvis; nam assentatori cuiquam alapam inflixisse fertur: percussus verò attonito similis cum quæreret, *cur me cedis?* respondit mox Sigismundus: *cur me mordes?*

Qualis quantusque fuerit Sigismundus Imperator, totius Ecclesiæ compendio patuit in Germania collecto: ut enim schisma gravissimum tolleretur, Concilium Constantiæ coëgit, imò & Basileæ finitimis Helvetiæ urbibus. Eum in finem difficillima in se suscepit itinera Imperator, cunctos pene in Europa adiens Reges, ac Principes potentiores, ne tardis in re tam ardua deessent verba, & exempla ad imitationem. Sublato itaque schismate, in palatio super lacum Acronianum extructo electus in Romanum Pontificem Martinus V. ingens gaudium universo populo peperit: insoliti hujus gaudii testis ipse maximus Sigismundus Imperator, nullo dignitatis suæ habito discrimine conclave ingressus grates habuit summas Electoribus Pontificiis universis ac singulis, quòd tantum Virum Reipublicæ magna ex parte suppressæ tam utilem ac necessarium elegerint. Damna-ti ibidem ad rogam hæresiarchæ duo Joannes Hufs & Hieronymus Pragensis. Natum exinde, aut auctum magis bellum Hussiticum Zisca Duce monoculo, multis cladibus primò Bohemiam, & latè Germaniam afflixit. Incassum sanè pugnaverunt Cæsar & Imperii Duces non pauci, vel aperto Marte victi, vel ante prælia in fugam abacti. Relictâ tantisper Germaniâ Sigismundus Romam pergens ab Eugenio IV. diademate Imperii insignitus, Ecclesiæ constantissimam operam promissit, & promissam servavit. Româ rediens Gonzagam Mantuæ Marchionem Ducis titulò honoravit. Invitatus deinde ab Hussitis ipsis in partes divisus, ut in Bohemiam quamprimum veniret, venit, & Rex coronam accepit an. 1433. Verùm multiplicatis coronis & pariter regnorum curis, nec non bellis novis ex Asia emergentibus fatigatus senex Imperator in morbum denique & mortem incidit, postquam imperavit annis 27. quibus encomium tulit à cunctis ferè adeò magnum, ut, si Sigismundus belli aleâ felicior fuisset, quemadmodum eminuit pacis gloriâ, magnitudinis laude non impar fuisset Ottoni M. aut M. Carolo. Symb. *Sic cedunt munera fati.* Cranz. Egnat. Cuspin. Naucner.

R. P. Kolb Series Impp.

C c c

Perio-

Periodus VII. & Ultima.

Periodus hæc ultima est sanè simul optima: illa enim prior stemmati alteri, quin tertio & quarto immixtos numeravit Imperatores; hæc verò solos comprehendit Cæsares Austriacos. Periodi adhæc omnes reliquæ præter varias stemmatum mixturas, & per breves Cæsarum in Imperio moras funestissimum quidpiam orbi spectandum & dolendum dedere ex Cæsarum sæpe causis & culpis: hæc autem Periodus postrema omnium tempore longissima, trecentos nempe & duos jam numerans annos, nec causas, nec culpas Cæsarum graves admittit; præterea tredecim Austriacorum Capitulorum gloriosissimò compendiò demonstrat, tam paucos Imperatores tam longo tempore imperasse satis benè quoniam nondum satis.

XXXIX. Albertus. II.

Albertus hic Austriacos inter Archi-Duces hujus nominis V. inter Imperatores II. eos inter denique exitit Primus, qui *Aquilas Imperii* & *Alaudas Austriæ* perpetuo connexuerunt vinculo, nunquam deinceps dissolvendas. Prorsus eximiae & raræ sunt laudes, quibus Alberti mores & disciplina à primis incunabulis ad virilem ætatem usque constanter perducti etiamnum celebrantur ab authoribus. Præceptores geminos nactus est, Andream nempe Blanckium, Sacerdotem insignem, & Ramperum de Waldsee oriundum ex stemmate Suevorum, eorumque nobilissimorum Equitum, quos Rudolphus Habsburgicus permagni jam fecerat, mittens eorundem quempiam cum Alberto I. filio in Austriam, ut Archi-Dux nunquam non sanis consiliis suffulciretur. Talium moderatorum indefessâ diligentia, raris virtutibus, linguarum variarum & artium peritiâ, simulque scientiarum notitiâ tantâ fuit instructus, ut Alberto in campis Martiis Ducem & gregarium, in curia Consiliarium & Judicem, in aula ministrum, Archi-Ducem, Regem & Imperatorem agere difficilis labor non fuerit. Natura tot facultatibus adjuta supra usitatam hominum sortem contulisse aliquid est visa nobilissimo juveni: anno ætatis suæ 15. corporis decora longitudine viros etiam staturâ majores jam superabat, aut certè æqua-

æquabat, ut nimirum, *pulchrior in pulchro luceret corpore virtus*. Circa eandem ætatem mortuo Leopoldo IV. curatore suo, Albertus Austriacas ditiones ipse coepit moderari laudatissimè; probatis enim consiliis animatus, leges saluberrimas pridem latas, sed temporum injuriâ quasi sepultas, resuscitavit, vel novas tulit, & primus omnium adimplevit, haud quicquam molitus, quod jure potuisset reprehendi; & quidem eo tempore, quo Fridericus de *crumena vacua* dictus à Concilio Constantiensi proscriptus, etiam de cognati sanguinis Archi-Ducibus Alberto, Ernesto & Wilhelmo aptam vituperiis materiam præbuit zoilis multis, qui dum in viridissima arbore ramum minùs florentem deprehendunt, arborem totam dicunt aridam. Alberti insignes dotes æstimare maximi didicit ipse Sigismundus Imperator, qui 22. annorum Archi-Duci præ multis aliis sponso obtulit sponsam Elisabetham filiam, geminæ coronæ & provinciarum aliarum hæredem regiam. Dotis nomine præter ingentem auri summam ipso nuptiarum die impetravit Albertus Moraviæ Ducatum. Hussitarum furor tum maximè Bohemos inter & Moravos flagrabat, quorum prioribus Albertum Brandenburgicum opposuit Imperator; contra Moravos verò misit generum Ducem maximum Albertum, qui igne & ferro ad extinguendam hæresim utendum ratus, quadringentos pagos incendiò delevit. An. 1438. satis defunctò Sigismundò, vix verbis explicari potest, quanto omnium consensu tum in Hungaria, tum in Bohemia, quin & in Imperio fuerit & Rex & Cæsar lectus & promulgatus, unde fortunam ipse suam demiratus exclamavit: *O prodigiosa fortuna, tria uno anno obtrudis regna!* Quin addidisse è sacro Codice hæc verba asserunt: *quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quo oraculo Imperii Romani coronam detrectans, permoveri nunquam potuisset, ut eam admitteret, nisi Legatorum Imperii, & multorum Procerum tum precibus, tum argumentis validissimis permotus fuisset. Imperator itaque electus, & confirmatus Amurathem Turcarum caput Hungariæ infestum, ingenti velocitate repulit, spem præbens universis futuri Imperatoris Magni. Verùm præclaras spes subito elusit mors Alberti prorsus immatura, qui post unum Imperii annum Albæ Græcæ communi omnium luctu maximo, illatus est sepulchro juxta tumulum soceri sui Sigismundi, relicto Ladislao posthumo. Dysenteriae morbo extinctis in

exercitu multis, morbo & morte simili parentâsse Cæsarem dixerunt plurimi, multis aliis venenum porrectum esse asserentibus, quibus Albertus respondit, etiam sic vitam Cæsari invidentibus veniam esse dandam, à se certè nunquam negandam. Symb. *Amicus optima vitæ possessio. Aeneas Sylv. Cuspinian. Egnat. Naucner. Speculum Austriac. &c.*

XL. Fridericus IV.

Fridericus Ernesti Ferrei Austriæ Archi-Ducis filius annorum 25. juvenis florentissimus rarâ Electorum concordia Cæsar creatus est, Romæ à Nicolao V. Pontifice cum Eleonora Eduardi Lusitaniæ Regis filia conjugè sua Augusta coronatus an. 1452. Quotquot noverunt Cæsarem hunc milites, Fabio Cunctatori parem dixerunt, bella declinantem, ut pacem servaret regnis & Imperio, quæ tamen turbavit plurimum Albertus frater, fratrem pene perpetuis fatigans bellis, paternæ hæreditatis divisionem iniquam, ut dicebat, ulturus. Vix igitur laudis quidpiam Albertus posteris reliquit, nisi eam laudis materiam copiosissimam, quam eidem Mæcenati munificentissimo suo in omne ævum dicent literatorum plurimi, qui Friburgi Anterioris Austriæ in Academia Albertina hausere, & hauriunt cum virtutibus in scientiis fructus uberrimos. Pacem à Friderico sanctè custoditam turbârunt magis Ladislaus posthumus Alberti II. filius, & Udalricus Comes Cillejensis, Ladislao Bohemorum ac Hungarorum Regi sanguine junctus, quorum hic partem Austriæ ereptam, ille regnum suum iniquè retineri à Friderico curatore suo querebatur. Cæso à Corvinorum famulis fortè in tumultu Udalrico Comite, & Ladislao Rege suas ante nuptias extincto, Mathias Corvinus Corvinorum hæres unicus ex carcere ad thronum Hungariæ eductus non minùs Austriam, quàm hostes priores infestavit. Fridericus tunc temporis propriis à civibus Viennæ obsidebatur, quem Bohemiæ Rex Georgius Bodiebrodus successor Ladislai liberavit, confirmandus in Bohemiæ throno à Friderico Cæsare, nisi, quòd Hussitarum se amicum gereret Georgius, Paulus II. Pontifex maximus diversa suassisset Friderico, optans Mathiam Corvinum simul Bohemiæ & Hungariæ Regem. Verùm Pauli Pontificis desiderio haudquaquam respondendum

dendum ratus Imperator, Ladislaum Poloniæ Regis fratrem præfecit Bohemiæ; unde natum est bellum gravissimum, in quo Corvinus victor Viennam ipsam occupavit, Austriæ totius Dux tamdiu futurus, donec mors vitam eriperet. Tanta inter belli discrimina occasione sua utendum rati Turcæ Constantinopolim eripuerunt, in urbis occupatione ipso Constantino XI. Orientis Imperatore ultimo, cæso. Afflixit hæc Orientis Imperii jactura adeò Fridericum, aut auditò tristissimò nuntiò, plurimorum malorum prodromo, in lacrymas solutus, Cæsar sese hominum oculis eripuerit, & longo post tempore vestitu lugubri indutum vix denuò se populo spectandum præbuerit. Accesserunt his malis non postrema mala alia plurima, inter quæ & istud memoriâ dignum: morti proximus pedem alterum ferro præcidendum, urgente periculo maximo porrexit Fridericus, secumque servavit semper, humanæ infirmitatis argumentum præsentissimum. Imperavit an. 53. Symb. A. E. I. O. U. hoc est: *Austriaci erunt Imperatores orbis ultimi.* Vid. Reflexiones.

XLI. Maximilianus I.

Maximilianus Friderici Filius impeditæ primùm linguæ, dein verò linguarum complurium, Germanicæ nimirum, Latinæ, Italicæ, Gallicæ & Hispanicæ, nec non liberalium artium peritissimus, multo in pretio habuit non minùs literarum studia, quàm eorum viros studiosissimos. In aula siquidem Maximiliani sua fuit æstimatio maxima denuò Poësi, Historiæ, Mathesi, nec minùs Philosophiæ, quæ Cæsari acceptissimos reddebant Jacobum Manlium Friburgi in Brisgoja, Conradum Peutingerum Augustæ Vindelicorum, Naucnerum in Würtembergia Historicum, & plures alios diversis in Germaniæ locis natos factos ad illustrandas literas. Petri Engelberti instructoris sui persæpe memor in eodem multa probabat; non pauca tamen etiam desiderabat, optans enixissimè, ut juventuti universæ, & præsertim Principum filiis de instructoribus peridoneis foret prospectum abundantissimè. Exemplo suo ad imitationem sui pertracturus multos, varias literarum lucubrationes ab aliis edi curabat, alias ipse Augusta manu formabat in lucem edendas, quarum alterâ pericula & casus suos brevi synopsis con-

scriptos, *Honoris Portam*, alterâ pugnas compendio à se inclusas *Equum Album* posterius appellabant, Genealogiæ velut è tumulo revocandæ percupidus, Jacobo Manlio negotium commisit conscribendi variorum Germaniæ Principum stirpes & frondes, seræ posteritati commendaturus nobilitatis antiquæ flores. Tantarum artium decore, simulque virtutum genere clarissimus Archi-Dux parem virtutibus despondit sibi felicissimi connubii vinculo Mariam Burgundicam, Caroli Audacis Burgundorum Ducis ultimi filiam, septendecim Belgii provinciarum Dominam, quæ inter venandum ex equo delapsa vulnus accepit inter costas gravissimum, quod dum medicis verecundia dolorem superante & lupprimente non aperuit, mortem celerem accersivit, Maximiliano quàm Mariæ conjugii tristiore. Inter virtutes Maximiliani eminerunt maximè magnitudo animi, Juris & Justitiæ amor, munificentia & liberalitas, nulla passionum perturbatio, morum comitas, in quibusvis hominum conventibus leporum suavitas. In bene meritos nunquam non liberalis, multorum ritè facta remuneratus est donis & honoribus, ut æmulos ad imitationem plures excitaret & provocaret, unde Albertum Animosum Frisiæ, Eberhardum verò Barbatum Würtembergiæ creavit Duces. Fuggeros Augustæ quondam cives prædivites Nobilium insignibus ornavit, à Successoribus Augustis dein identidem magis honoratos & ex merito promotos. Idem Ericum Brunsvicensem, quod Cæsarem prope Ratisbonam vitæ periculo liberasset, dixit Romani Imperii Equitem. Pares ob causas Fœdus Suevicum multis prosecutus est favoribus, in varias urbes non minùs clemens & beneficus; Augustæ enim Vindelicorum, urbis sibi peracceptæ plurimùm auxit privilegia, in ejusdem privatos homines etiam crebrò liberalissimus. Leutkirchio vestigalia remisit; Reutlingæ jus asyli concessit perpetuum; Landavium elocatum Imperio restituit; Wormatiam verò Episcopo suo repugnantem, eidem magna ex parte subjecit. Spiræ Tribunal Camerale confirmavit, Imperium Germanicum totum eleganti ordine compositurus an. 1500. instituit sex Imperii Circulos, quibus an. 1512. adjecit quatuor alios, nimirum Austriacum, Burgundicum, Rhenanum Inferiorem, & Saxonicum Superiorem. Hæc minima sunt, si comparen-

tur

tur cum iis virtutibus, quæ altiores longè sunt & Superis pene pares. Unde meritis respondit favor & gratia Superùm in conservando Principe Maximiliano, orbi universò exhibita ex montibus Tyroleos celsissimis, in quos sylvestres damas æstu nimio insecutus, eò ascendit, ut nec altiùs ascendere, nec descendere daret spes humana. Neque hîc major virtute necessitas, aut desperatio succurrebant; in Deo Eucharistico solo spes posita solatium ac remedium attulit spe hominum majus. Duce Deo, aut hujus genio tutelari ad homines reductus, altiùs animo didicit longè ascendere, quàm ascendit corpore. Cæterùm Maria Burgundica Maximiliani conjux prima peperit Philippum I. Hispaniæ Regem, quem cum Belgarum curæ nollet credere Maximilianus pater, servilem per novem menses captivitatem subire compulsus est, amissis paulò antè ministris Imperatoriis, quos cives Bruxellis refractarii necarunt. His acerbiores hostes extiterant Galli, quorum Regem Ludovicum XII. superavit, cæsis Gallorum 20000. Bellum hoc excepit quidem pax partem inter utramque probata, quam tamen integram non servârunt Franci; sponsam enim alteram Annam minoris Britanniæ hæredem ademerunt Maximiliano, remissâ ejusdem in Germaniam filiâ, quam suam sponsam Carolus VIII. Parisiis jam per annos complures educaverat. Bella alia permulta fatigârunt Cæsarem; hostes enim habuit Robertum Palatinum in Bavaria, Venetos in Italia, Hungaros & Bohemos in finibus Bohemiæ & Hungariæ, Helvetos in Helvetia, & in Ducatu Spirensi junctos fœdere agrestes. Experturus fuisset etiam Turcas in Hungaria, nisi ex Italia in Austriam redux terminasset vitam, terminò vitæ alteriùs auspiciò felicissimò. Nequaquam accidit mors improvisa Cæsari, sed prævisa per annos complures & invitata, ut stando & eundo disceret Cæsar mori: etsi enim viribus valens firmusque adeò foret, ut par conficiendis magnis itineribus corpus, licèt ætate profectius, circumferret; mortis tamen imaginem secum tulit, annis vitæ ultimis sarcophagum secum constanter vehens; nempe ut mortalem se nunquam non crederet & moriturum proximè intelligeret immortalis famæ Imperator Maximilianus I. qui imperavit an. 25. Orthodoxæ Religionis omni tempore assertor constantissimus, cujus in agone

ne

ne ad absentes Carolum V. & fratrem Ferdinandum hæc fecisse verba fertur: *renuntiate Carolo & Ferdinando nepotibus meis, ut Majorum insistentes vestigiis Fidem Catholicam à Germanis hæcenus cultam adversus novorum dogmatum authores etiam cum vitæ periculo defendant.* Symb. *Tene mensuram, & respice finem.*

Reflexiones supra seculum XV.

INter homines vitâ & moribûs contrarios velut stabili lege constitutum & observatum esse novimus, ut nemini suus laudator & reprehensor defuerit facilè, quod de Viris Principibus experientia maximè demonstravit. Confitetur nimium crebrò Hippolytus, Austriacorum Imperatorum laudatores esse orbe toto permultos, hinc inter eosdem ipse facilè ultimus, inter reprehensores ferè primus, eos ipsos Austriacorum laudatores vocat assentatores vanissimos. Talia verò dixisse necdum contentus, se, & paucos alios sibi scriptores simillimos in causa Imperii & Imperatorum gravissima arbitros constituens, in sententias prorumpit Austriacæ familiæ fatales; audi verba durissima ex Hippolyti libello rursus excerpta.

- I. *Albertus II. non virtutibus magis, quàm vitis fortè insignis fuit.* Hippolyt. fol. 520. & alias.
- II. *Fridericus IV. cunctator fuit somnolentus, tardus & desidiosus.* Hübner. tom. I. fol. 575.
- III. *Eidem jure imputatur Constantinopolis traditio.* Hübner. fol. 575.
- IV. *Imperante Friderico Germania facta est spelunca latronum; hinc originem suam accepit Fædus Suevorum.* Hübner. 968. tom. I.
- V. *Neglectis Imperii commodis rem suam & suorum apprimè curavit.* Hippolyt. fol. 547.
- VI. *Austriaci fuere Ducis adhuc titulò, cum aliis familiis communi contenti, donec Maximilianus I. Majoribus suis altiora jam spirans Archiducis titulum sibi NB. primus adscivit. Hunc verò Archiducis titulum ob meram arrogantiam Austriaci adsciverunt, ut alias Principum familias longè antiquiores & eminentiores, aliquâ præcellerent dignitate.* Hippolyt. P. III. fol. 516.

RE-

Reflexio ac Responsio I. ad I.

TAmetsi Austriacæ Domûs partim apertos, partim occultos hostes invenerim non paucos; inter eos tamen, qui Albertum II. velli vitii reum ageret, vel tantum de ullo vitio suspectum haberet, non inveni hæcenus. Ipse profectò Erdmannus & Hübnerus Austriacorum Imperatorum laudatores haud immodici, in extollendo Alberto II. aliquid etiam contribuerunt. Hübnerus enim tom. I. fol. 959. quatuor linearum compendiò ita extulit hunc Albertum, ut dicere non dubitaret, *spem omnium de Alberto II. conceptam fuisse incomparabilem. Immaturam proin hujus Principis mortem præbuisse cunctis dicendi ansam, mundum in maligno positum tanto Cæsare dignum non fuisse.* Erdmannus quatuor foliis Alberti laudes uberius longè, quàm Hübnerus, explanans, adducit authores minimùm decem, qui toti sunt in dilaudando Alberto. Erdmanni fidem in citandis authoribus exploraturus rursus ego fidelem inveni: quare mecum hunc ferè in modum rationem rationi necitebam: saltem non fallit fidem Erdmannus, quotiescunque laudat Imperatores Austriacos, igitur ex inimicis tuis laus tua optima, ô Austria! Cæterùm allatis ab Erdmanno decem authoribus facilè foret addere triginta alios non Austriacos, sed Italos, Gallos & in Romani Imperii gremio enutritos, de adulatione haud suspectos.

Omissis verò quibusvis Briethium Gallum non omitto, qui inter alia de Alberto II. hæc non omisit: *successit Sigismundo Albertus Austrius in regno Bohemiæ & Hungariæ, gener ejus, maritus Elisabethæ; vir multis virtutibus illustris, & quem Imperio parem putabat socer, sæpe dictitans, regna fore beata, quibus talis Princeps imperaret; & in morte illum vaticinatum esse, eventus docuit.* En authoris Galli de Alberto Austriaco sententiam Germanam!

Jam verò tanta authorum copia non potuit non patere Hippolyto, qui crebrò hos ipsos in rem suam adducit nequissimè. Sed tamen, quod solent agere inimici jurati & indurati, toxicò semel infectò calamò non nisi venenatas scribere perrexit lineas, saltem de Imperatoribus Austriacis. Apertam nempe & adversam sibi veritatem amoliturus conabatur Hippolytus brevitate sua perfunctorium, ambiguitate dubium, & ob-

R. P. Kolb. Series Impp.

D d d

scu-

scorum efficere Lectorem, ut minùs pateret laus Alberti, qui tamen constantissimè glorioso pede conculcavit vitia omnia & vituperia: quidni etiam vitiosos laudatores aut reprehensores?

Reflexio ac Responso II. ad II.

Fuerit, per me licet, ex mente Hippolyti, Erdmanni & Hübneri cunctator somnolentus Fridericus IV. nemo sanè Imperatorum feliciores somniavit somnos, aut somnia, quàm ipse somniator felicissimus: si enim teste Hyppolyto ipso

- I. *Avarus & pecuniarum appetens fuerit magis, quàm honorum Fridericus:*
- II. *si annuentibus Moguntino, & unò alteròve è raso dumaxat cohorte, totò tamen Imperio obtruserit Concordata nationis Germanicæ cum Romanorum Pontifice stabilita, omnibus ferè reliquis Germaniæ Proceribus obstrepentibus:*
- III. *si Papæ servituti totam subjecerit Germaniam:*
- IV. *si septem annis, priusquam moreretur, curavit filium suum Maximilianum non solum eligi, & coronari Regem Romanorum, sed etiam in Imperii administrationem associavit, ne post obitum suum transferretur Imperium in aliam familiam:*
- V. *si Ecclesiæ pacem reddidit:*
- VI. *si sibi suis que non nisi optimè prospexit:*
- VII. *si filium totius Belgii heredem Mariæ Burgundicæ nuptiis effecit:*
- VIII. *si priùs cum Carolo Audace, Burgundorum ultimo Duce, ad Nussianò bellum gessit, belli fructu & exitu secundissimo: quæ omnia rerum capita hætenus ex Hippolyto pene ad verbum huc transtuli:*
- IX. *si adhæc Fridericus unanimi Electorum calculo electus, Austriam orbi univèrso scripsit, & suâ potentiâ effecit Imperatricem.*
- X. *si ea methodo fuit educatus, ut omnibus Christiano Principe dignis virtutibus fuerit exornatus:*
- XI. *si literis & linguis variis ritè instructus, Latino præsertim idiomate cum quovis certavit:*
- XII. *si librorum lectioni ad eò se impenderit, ut sacra etiam Biblia quater supra decies lectitando absolverit, & lecta pene omnia memoria retinuerit:*
- XIII. *si virtutibus constanter multis singularem navavit operam, præsertim varò sobrietati & castitatis candorè perpetuo:*

XIV.

- XIV. *si Medicis vini copiam Augustæ conjugii suadentibus respondit: malle se Augustam intueri sobriam & sterilem, quàm vinò madidam & fertilem:*
- XV. *si usque ad scrupulum, aut superstitionem divinis rebus invigilavit:*
- XVI. *si anno ætatis suæ vigesimo jam in Palestinam peregrinantium more penetravit; aliàs verò Romam rigescente hieme pene perpetuus pedes virtutis causâ petiit:*
- XVII. *si Basileam ad Concilium abiit, suadâ suâ persuasurus Felici Pseudo-Pontifici obedientiam legitimo Pontifici exhibendam:*
- XVIII. *si Æneæ Sylvii viri doctissimi & omnium rerum peritissimi, ac tandem Romani Pontificis laudatissimi auxiliis usus, restauravit Imperii leges:*
- XIX. *si item Feuda Imperii caduca, & Rubricas confusissimas, dudum optato ordine instruxit:*
- XX. *si Justitiæ assertor rigidissimus neminem detestatus est magis, quàm iniquos Causidicos, quos fœdatores juris & æquitatis fertur appellasse:*
- XXI. *si nunc Aschaffenburgi, nunc Francofurti, nunc Norimbergæ, nunc aliis in urbibus celebravit Imperii Comitia, in quibus nunc de bellis, nunc de pace, nunc de emendando Imperii statu deliberandum & statuendum fuerat:*
- XXII. *si denique Fridericus pugnavit cum Friderico Palatino, cum fratre Alberto, cum civibus Viennæ, cum Helvetis, cum Bohemis, cum Hungaris, cum Burgundis, cum Flandris, cum Gallis &c. quæ NB. maximi momenti capita posterioris generis à numero VIII. omnia ex Erdmanno & Hübnerò collegi, relictis non paucis aliis; qua ratione Fridericum IV. Cunctatorem somnolentum, tardum, desidiosum nuncupare sustinuit Hippolytus, Erdmannus & Hübnerus? An igitur nunc Conciliis, nunc Comitii interesse, nunc Ecclesiæ, nunc Imperio, nunc sibi, nunc suis vigilantissimè providere; nunc bella vel declinare, vel prosequi, nunc pacem inire, nunc initam servare, nunc literarum studiis, nunc præclaris artibus operam dare, nunc sacris, nunc profanis se totum consecrare negotiis sit cunctari, otari, segnem, desidiosum, tardum, somnolentum esse? Arbitrum te meum eligo, Lector æquissime, quisquis dignaris hunc libellum meum legere, ut palàm enunties, num quicquam desiderari possit in Cæsare tali, ac tanto, qualem, ac quantum ipsimet Hübnerus, Erdmannus & Hippolytus ob oculos nobis velut in viva effigie posuerunt? Pronun-*

D d d 2

tiet

riet nunc simul Lector arbiter meus, num apertior verborum repugnancia, aut sententiarum conflictus major ex ipsis Erdmanni, Hübneri & Hippolyti dictis queat intelligi, aut pene manibus palpari? At verò me scribentem interpellat Hippolytus, &, ut me vincat atque convincat, multos advocat testes, quos in duas dividit classes. Classem unam constituit unus alterve aut tertius scriptor: classem alteram ab Italis sibi sumit mutuam. Ego verò mihi periculum nec ab Italis, nec à paucis his scriptoribus metuo: scriptores enim iidem Hippolyto perquam sunt similes, *Aventinus nimirum, Author Paralipomenon, Sleidanus &c.* cum quorum medio Hippolytus ex Cranzio vitiosissimè etiam hoc loco descripsit verba, Friderico & Austriacis perniciosissima, omissis iis omnibus multis lineis, quibus Cranzius eos Cæsares commendat: item tanquam indubitata Hippolytus affirmat ex eodem Cranzio, quæ Cranzius in sinistram partem afferens, dubiò duntaxat animò confirmat, relinquens pariter Lectorem dubium: Albertus enim Cranzius Saxon. lib. XIII. fol. 344. ita habet: *Sunt, qui arbitrantur, omnia Fridericum dissimulanter pertulisse, quò subjectos, sibi minùs audientes, alieno gladiò perdomaret. Sed perniciosà nimis dissimulatio. Sunt, qui ab Imperatore mundi domino ignaviam abigunt, quod omnes debemus, ejus facta semper honesta ratione in melius detorquentes.* En! quàm diversus fit Cranzius ab Hippolyto, auctore Paralip. Aventino &c. quales pridem proscripsit cum Romana Ecclesia Romanum Imperium, & illos proinde retinent manus duntaxat eorum, quibus vix ullum in Religione & morum honestate amplius pretium, quibusve ante sacrum Codicem ii præplacent libri, qui Romanorum Pontificum & Austriacorum Cæsarum, aut aliorum Virorum Principum convellunt famam, honores arrodunt, libri medius fidius cum auctoribus suis ferro & igne ex Imperio, quin orbe toto eliminandi! Italos jam non moror: quo enim aliàs in pretio sint Itali Hippolyto & cunctis Lutheri sectatoribus, abunde notum Superis & inferis. Utinam cum Italis pridem consensisset Hippolytus, & hujus socii, vel solum in dilaudandis Austriæ Archi-Ducibus, & Imperatoribus; tum enim verò inveniret per totam Italiam monumenta & testimonia abundantissima, quibus Austriæ nomen usque ad invidiam plurimorum

rum prostat & prominet, eminenti super reliquos Cæsares omnes gloria Austriaca. Nec desunt Authores Itali, qui Fridericum IV. inter maximi nominis Cæsares collocarunt: Joannes Baptista enim Egnatius contemporaneus Friderico, & Antonius Forestius Recentior Historicus, uterque Italus totus est in commendando Imperatore Friderico. Fuerint verò Italarum multi, qui Fridericum IV. vel *somnolentum*, vel *desidiosum* dixere, quid tum postea? nec Friderici alii, nec Henrici, nec Conradi, nec Ottones, nec Caroli, nec Theodosii, nec Constantini ab Italarum & Germanorum dictis immunis fuere. Nec est ulla gens, aut natio tam probis instructa moribus, ut non inveniantur multi blasphemis dentibus ipsum Divinissimum Numen petentes: mirum hinc est neutiquam, si Cæsares & Reges, terrestres Dii, impetantur multorum Zoilorum linguis, qui solent esse gladii fæminarum etiam ancipites & acutissimi; qualis nempe est gladius aut calamus Hippolyti, & sæpe Hübneri atque Erdmanni.

Reflexio ac Responsio III. ad III.

O Quondam constantissimam & felicissimam, alteramque Romæ post Carthaginem æmulam, sed nunc inconstantissimam, infelicissimam, miserrimam Constantinopolim! Quàm glorioso exordio surrexisti, tam luctuoso exitu sub Friderico IV. si non omnino concidisti, minimùm ex Christianorum manibus excidisti, nunquam deinceps resurrectura facilè ad pristinam gloriam. Verùm quò met meus error abstulit, dum dicere non sum veritus, sub Friderico IV. excidisse ex Christianorum manibus Constantinopolim? Erravi, fateor, sed turpiùs longè erravit Hippolytus, qui & refert, & asserit, traditionem Constantinopolis imputari haud immeritò Cæsari somnolento Friderico IV. Adeone enim unius Friderici tarditas post se traxerit alterius in Oriente Imperii traditionem? nemone quispiam alius in Imperio, in Europa, imò orbe toto in causa & culpa fuit, quàm Fridericus unus, & ideò fortè, quia Austriacus? Si Hippolyto fides habenda, ita se res habet. Verùm enim verò si veritati suffragium non penitus negetur ab hoc scriptore & sociis etiamnum vivis, desertis quamprimum

mum Hippolyti partibus, partes veritas post se pertrahet mox maximas. Emendanda igitur emendo verba, quibus hoc responsum exorsus sum non absque meo vitio. Debuissent nimirum exclamare: O! quondam constantissimam, felicissimam, alteramque post Carthaginem Romæ æmulam, sed nunc inconstantissimam, miserrimam, infelicissimam Constantinopolim, quàm glorioso enim exordio sub Constantino I. in altum surrexisti, tam luctuoso exitu non sub Friderico IV. sed sub Constantino XI. si non penitus in ruinas concidisti, saltem ex Christianorum manibus excidisti, nunquam facile resurrectura ad pristinum honorem & gloriam! Si, quamdiu imperavit Fridericus, concidisset, vel ex Orthodoxorum manibus excidisset *Occidentis Imperium*, tum fortè deliberationi esset locus, an non Friderico esset imputanda princeps culpa: verùm dum sibi constante, quin firmamentum majus in dies accipiente eodem Occidentis Imperio ruinam passum est Orientis duntaxat Imperium, idcirco incusare Fridericum, factò Constantinopoli Viennam usque vitiosissimo saltu, planè est calumnia in Fridericum IV. & Successores Cæsares enormis, ac vix tolerabilis. Vix namque in auras bene surrexerat Constantini M. filia Constantinopolis urbs magna, jam rimas tum coepit agere, concussa validè nunc ab Arianis, nunc ab Eutyrianis, nunc Iconoclastis, nunc hæreticis aliis, nunc Schismaticis, nunc demum Mahometanis, quorum author Mahomet jam an. 621. pestilentissimâ doctrinâ suâ Orientem totum infecerat, vitiosissimo homine, Dei flagellò, hominum enormia vitia supremo Vindice severis poenis puniente. An. 1453. tantæ urbi veluti in tumulum ruenti Constantinus XI. suo & suorum sanguine, Fridericus verò suis & suorum lacrymis parentavit. An major jam culpa admetienda huic, an illi Cæsari? Ego Friderico nullam, vix ullam admetior Constantino XI. utpote qui aliquo saltem tempore strenuè pugnavit, tandem tamen à Justiniano copiarum supremo Duce desertus perfidè, atque ad eò victus & hostium pedibus fuit protritrus. Culpam sibimet adscribant potissimam Imperatores in Oriente plurimi, quorum per tot secula nomine Imperatores, re tyranni, vitiis indulserunt, Orthodoxæ Religionis & virtutum Christianarum hostes pene perpetui. Accessere his malis lites, & pugnae domesticæ, Imperii pestes extremæ, ad eò ut Joannes VI. ipsos Mahometanos in suppe-

suppetias vocare non dubitavit, parùm sollicitus, ne si admitteret in Imperium suum vultu amicos, animò hostes, nullo deinceps tempore posset expellere. Verùm fingat aliquis, Imperatorum etiam in Occidentis Imperio imperantium negligentiam perisse Orientis Imperium, tunc certò non magis Austriacos, quorum hæctenus perexiguus fuit numerus, quàm Imperatores Friderico & reliquis Austriacis priores omnes accusat Hippolytus, & quivis Hübnero simillimi socii. Incusantur proin, & postulantur rei Imperatores natione, aut nomine Bohemi, Suevi, Francones, Saxones, quin tota M. Caroli familia, quorum seculis IX. X. XI. XII. XIII. & XIV. Constantinopolis princeps Imperatorum sedes iis subjecta fuit infortuniis, ut multi continenter prodromi fuerint visi secururæ cum tempore ruinæ. Ita hercle testabitur testis novus, quisquis Imperii Orientis vices aut vicissitudines perlustrabit rerum indagator sedulus. Ulcerosis nimirum principiis occurrendum erat in tempore, ne sera pararetur medicina. Pestilentia origo, dum indulgentius cavetur, sensim sine sensu serpit, & invalescit, ut nullâ facilè curâ, aut custodiâ possit amplius arceri regnorum finibus, ne in viscera usque delæviat, & sceptraligonibus æquet. Audiamus hac super re Briethium, qui fol. 763. talia refert: *Habitus hoc anno 1454. Ratisbonensis Conventus à Friderico, de bello Turcis inferendo, inutilis fuit: Philippus enim Burgundius imprudenter abalienatus est. Alii quoque Principes Christiani mutuis odiis decertare maluerunt, quàm Christi causam tueri; Genuenses quoque exclusi communi fœdere Italiae, & Veneti facta perperam cum Turcis pace, hoc negotium turbavere; sicut & Helvetii incredibili flagrant in Austrios odio; apud quos omnes privatae rationes & inimicitia plus valere, quàm Imperii Orientalis excidium & in eo jactura Religionis.* Hæc est de Germanis sententia Galli, qui nunquam nimium tribuit Austriacis.

Reflexio ac Responso IV. ad IV.

SI Friderici IV. imperantis ætate Germania in latronum speluncam mutata præbuit anam Suevorum fœderi, tunc præ reliquis hoc loco indagandum est mihi, quinam in Germania latrones suis latrociniis hominum comœrcia perturbarent. Enimverò apparent nobis jam latrones plurimi: Joannes Huf enim sub seculi XV. exordium tubâ suâ Pseudo-Evangelicâ

angelicâ convocare cœpit latrones permultos, qui Zisca verè latronum, non militum Duce primùm Bohemiam & vicinas provincias, ac demum Germaniam universam in latronum speluncam tristissimâ metamorphosi transmūtârunt. Ejus Huffii, Prophetæ peregregii, & martyris mors gloriosissima, si Superis placet, postquam urbem Constantiam, & vicinam Helvetiam illustravit clarissima incendii sui luce & face, tum quâ data porta, in Germaniam irruerunt latrones identidem plures, qui ipsius denique in fine corruptissimi Basileæ conciliabuli congregatorum Patrum diversas partes tueri, quin ipsi Patres agere, cuncta discutere, sententiam dicere ultimam, Huffitarum more, præsumperunt. Hæc origo, aut grande incrementum jam fuit, instar fungorum sponte nascentium, latrunculorum in Germania plurimorum. Quin eo jam seculo funestissimo, quo solium Imperii occupavit pessimè Wenceslaus, & sub vitioso capite languebant membra putrida, turbis inter Germanos etiam gravissimis vel datum initium, vel potius malo initio datus est progressus pessimus: ex Historia enim hæc quæquam dubia liquet abunde Historicis, propter diffidia Ludovici Bavari & Friderici Austriaci maximè Austriam, Bavariam & Sueviam, quin & finitimas his provincias tantis concussas fuisse procellis, ut vix majores perpeffa sit Germanorum patria. Data exinde fuit occasio plurimis, ut rapto vivere, prædari, grassari, assassiniis etiam viros summo loco natos è medio tollere in deliciis fuerit. Liquet, inquam, hæc omnia ex Historia nequaquam dubia; quæ si suis in libellis etiam, mente memori legerent Hübnerus & Hippolytus, non auderent asserere, sub Friderico IV. primùm Germaniam in speluncam latronum fuisse perversam, & hanc ipsam *ob causam Suevorum fœdus fuisse compactum*; sed majori jure cum Historicis rem pensulatiùs inspicientibus ita concluderent: cum sub Imperatoribus Fridericò IV. prioribus Germania in speluncam latronum fuisset mutata, eam ob causam sub Friderico eodem fœdus Suevicum coaluit, ut Germaniæ sua quies rediret, & commercia denuo optatos nanciscerentur progressus, multis atrociniis hætenus impeditos. Vide Nauclerum Generat. L. fol. 298. eodem anno scil. 1486. ubi sic leges: *Eodem anno mense Martio Fridericus Imp. assistente Maximiliano Rege Principibus atque Comitibus Sacri Imperii, eorūque Missis consentientibus, legem tulit*

tulit de pace tenenda per integrum decennium, qua mandavit universis & singulis sacro Imperio subiectis, ut pacem invicem servarent, nemo alterum in persona aut rebus offenderet viâ facti. Et quòd contrarium facientes, cujuscunque gradus, status, aut præeminentiæ essent, cum sibi adherentibus consilium, auxilium, aut favorem præstantibus, ipso jure & facto bannum imperiale incurrerent, ita, ut possent nulla præmissa declaratione in personis suis & rebus impunè offendi quomodocunque, tanquam violatores pacis promulgatæ, non obstantibus, quoad promissa, quibuscunque constitutionibus, statutis, consuetudinibus, legis, aut societatibus juramento, vel quacunque confirmatione roboratis. Hæc pax postquam publicata fuit per Imperium, multis extitit recepta, & præsertim à Suevis, qui sequenti anno ad NB. mandatum Imperatoris Majestatis societatem vigore pacis hujusmodi coierunt, ligamque fecerunt de pace illa invicem conservanda, & quòd mutuis auxiliis & consiliis contra quoslibet violatores hujusmodi pacis sese defenderent ac manutenerent, non obstantibus omnibus his, quibus Princeps ipse voluit non obstare. Unde formidabiles facti sunt vicinis suis in tantum, ut ad eorum ligam nonnulli potentissimi Principes venerint, & societatem virtute pacis decennialis cum eis inièrint, quòd etiam hac liga freti satis, remanserunt quieti &c. En Hübner, quàm præclarè contra te scribat Nauclerus, quocum consentiunt Aeneas Sylvius, Joan. Baptist. Egnatius aliique Friderico IV. contemporanei Historici, qui supra Hübnerum & Hippolytum non solùm toto vertice eminent, sed instituta quavis cum iisdem comparatione sunt majores longè.

Reflexio ac Responsio V. ad V.

SI æquo Marte pugnare libuisset Hippolyto adversus Austriacos Imperatores, tunc commodis junxisset incommoda, muneribus onera, incrementis decrements, emolumentis damna, pacis fructibus belli jacturas, securitati pericula, Marti secundo mortes infastas, & res quasvis adversas, nemini quàm illis ipsis de Austriacorum sanguine natis Imperatoribus notiores. At dum omissis iis, quæ suâmet naturâ solverent argumentum quodvis Hippolytanum, ea solùm attulit, quæ apta nata sunt excitare odia & invidias; hinc abundè commonstravit, quàm parùm ritè decertandi calleat artem. Vix ulla vel inter Theologos, vel Jurisper-

R. P. Kolb Series Impp.

E e e

ritos,

ritos, vel Philosophos, si Dogmata Ecclesiæ dempserimus, nostris seculis est, thesis, quæ non in utramque partem queat defendi & offendi, impugnari & propugnari: unde tam Theologi, quàm Jurisperiti & Philosophi, ut ritè inter se pugnent, duarum aut plurium partium argumentis ritè ponderatis, tum demum statuunt, quid sentiant. Horum vestigia secuti suo nomine digni Historici, multa inter contrarias partes legunt, comparant, & velut ad trutinam revocant, ut veritatis denique partes non deserant. Hippolytus verò in se suscipiens munus nunc Theologi, nunc Jurisperiti, nunc Philosophi, nunc Historici, peccavit in omnium leges; dum legem primam omnibus communem non servavit, omitteus non omittenda, adstruens non adstruenda. *Angustos*, non *Augustos* gaudet nuncupare Cæsares Austriacos, quòd Imperium non auxerint, sed in angustias redegerint, servitutis Austriacæ jugo subdiderint, se verò tremendos cunctis effecerint. Hæc ex mente Hippolyti Austriacorum sunt commoda, munera, incrementa, emolumenta, fructus, securitates, utilitates &c. Sed qua in libelli parte deprehendenda incommoda, onera, decrementa, pericula, angustia, Martes & mortes adversissimæ? Tanta absque dubio, teste experientia longissima, fuere Austriacorum Cæsarium, si non in augendo, saltem conservando Romano simul & Germano Imperio incommoda, onera, pericula, angustia &c. ut vix ulla Cæsarium unquam familia majora mala subièrit pro Imperii salute. Dicta factis demonstro: si à Rudolphi I. ævo ad Caroli VI. gloriosissimi Imperatoris nostri annos per quinque descendamus secula, tot Austriacorum Imperatorum hostes numerabimus, quot pene coelum stellas numerat. Si illatas clades, & ereptas Austriacis palmas cum relatis de hostibus victoriis comparabimus, paucas invenimus clades, victorias verò plurimas pacis laurò insignitas, quas nunc de Italis, nunc de Gallis, nunc de Hungaris, nunc de Suecis, nunc de Mahometanis, nunc de hostibus in Imperio domesticis reportârunt. Tot pugnae, atque victoriæ quid demum aliud fuerunt, & sunt vel hodie, nisi argumenta validissima, quibus demonstratur Austriacorum Imperatorum potestas, & Majestas, sanè per tot annos maxima, fatente & ringente Hippolyto: qua de causa altum exclamat: *hæ ipsæ victoriæ NB. Imperii nervo & viribus obtentæ, cesserunt ferme in solum Austriacorum commodum, Imperio perniciosissimum!* Itane tu mihi, Hippolyte, &

tui

tui tecum laudatores? An solius Imperii nervus, an Imperii solius eæ vires fuerunt, quibustot reportatæ sunt de tot hostibus victoriæ? Circumspicite, obsecro, diutiùs, loquere cautiùs, ne nimium pronus & procax sis in verba tibi met contraria. An non enim pluribus in foliis enumeras regna & regiones Austriæ Archi-Ducibus per singula secula vel bello partas, vel hæreditate acceptas, vel nuptiis comparatas? An non ipsa Austria cum hæreditariis provinciis est opulenta satis? an non regnum Hungariæ, Bohemiæ, Neapolis, & Siciliæ divitiis refertæ? an non ex toto regnis, & provinciis proventus annui multos, etiam aureorum milliones superant? an non ex tot regnis & provinciis conscripti per tot secula milites longè excedunt numerosissimos Cyri & Xerxis exercitus? an non fusus tot hominum sanguis ipsorum fluminum Rheni & Danubii undis penè par esse dicatur? Quem in finem profusum est sanguinis tantum? Quem in finem tot conscripti milites, & tot dilapidati thesauri? Imprudentissimus sit necesse est, qui nihil in Imperii emolumentum, omnia verò in Austriacorum incrementum insumpta fuisse audet contendere: perpetua enim docuit experientia, & abundè capit ipse miles gregarius, omnisque populi plebs, & grex, Imperatoris quæ talis, ut loquuntur Philosophi, grandem esse titulum, sed macilentissimum vitulum. Quam ob rem nemini Principum sperare licet facillè Imperii coronam, nisi Croesi divitias aut jam possideat, aut ex regnis hæreditariis sperare liceat. Hoc opulentissimò argumentò absteriti Germaniæ Ducum multi, facessere procul jusserunt omnes Imperii titulos, ut sibi servarent aurum, subditis sanguinem, utrisque optatam pacem, qualem conservare diu Imperatori vix est concessum, hostibus multis etiam pacis tempore ad bella pronis. Unde non minùs per tot secula jugis docuit experientia, Austrios Archi-Duces tot regnorum simul, & provinciarum Dominos fuisse *constanter in suis tum civibus, tum militibus potentissimos, non tamen ditissimos*, Bellona copiosum aurum absorbente. Abundârunt teste Europâ universâ hætenus magis ferrò, quàm aurò Austriaci Cæsares, Alexandro Macedoni armato, quàm Dario diviti similiores. Unde, obsecro, in tot amplissimarum provinciarum possessione tanta egestas, & sæpe summa rerum necessitas? Imperium nempe Romanum illud grande animal in suum alimentum tantas magna parte abligurivit divitias, devoravit tot militum cum viribus cruorem, tanta exhaust

E e 2

regna

regna & regiones Austriacis etiam jure hæreditatis debitas. Persæpe ego ex rerum publicarum apprimè peritis intellexi, & tandem credidi, Austriæ Archi-Duces probè capere, optatius sibi fore, si abdicato quovis Imperatoris nomine liceret Regis & Archi-Ducis munere duntaxat fungi. Enimverò & mihi hoc totum persuadeo: tum namque tanta superessent regna, & provinciæ Austriacis, ut aurò & ferrò fortissimi longè rarioribus fatigarentur curis, paucioribus impeterentur bellis, non paterentur tot optimarum rerum dispendia. Atque hæc non est Historicorum multorum modò, sed ipsorum etiam Austriacorum Imperatorum sententia: unde Albertus II. jam Bohemorum & Hungarorum Rex coronatus, ægerri- mè persuaderi sibi patiebatur, ut Imperii coronam coronis jam geminis jungeret, probè gnarus, curas cum coronis porrigi, & in Augusti nomine angustias comprehendendi plurimas. Ceperunt tanti muneris curas Alberti II. Successores plures Austriaci, privato tamen damno Imperii emolumentum anteferendum rati, imperare perrexerunt, tyrannidi multorum potiùs ipsi subjecti, quàm ipsi tyranni, quo tamen speciosissimo nomine eos Hippolytus crebrò dignatur appellare. Cæterùm, an Imperium plus debeat Austriacis, an Austriaci Imperio, ex benè confertis præliis, & relatis victoriis, absit, ut ego ullam interponam sententiam meam, placeat hic vox populi, vox Dei.

Reflexio ac Responso VI. ad VI.

Caligulæ tyranno similis evasisset fortè Hippolytus, si imperare in Romanorum Imperio eidem fuisset datum: quemadmodum enim ille Cincinnatis Romæ Patriciis suos cincianos, Torquatis suas Torques, Pompejis Magni nomen invidit, ità Hippolytus invidet *Archi-Ducis nomen Austriacis*, inter quos Maximilianum I. haud tolerandæ ambitionis reum pronuntiat. Sed parùm sanè versatus esse in Historia publica videtur, qui videri cupit plurimùm Hippolytus; vel certè errârunt scèdissimè auctores multi tam Orthodoxi, quàm Heterodoxi, inter quos Joan. Jacob. Fugger lib. 2. cap. 3. fol. 185. disertissimè verbis & authenticis literis declarat, *Archi-Ducis nomen* jam à Friderico Ænobarbo, aut certè hujus nepote Friderico II. suamet sponte inditum fuisse Austriæ quondam Marchionibus, quos ipse jam Henricus IV. *Imperii Priores*, testibus passim etiam non Austria-

Austriacis Historicis, nuncupavit. Fuggerus secum stare asserit *Cuspinianum, Münsterum, & Lazium*. Fuggeri vestigia secutus *Georgius Kieffer* Academia nostræ Sydus, Juris Canonici & Publici quondam Professor celeberrimus, qui in Dissertatione Juridico-Politica an. 1674. in lucem edita hunc in modum scripsit:

Post Electores in Imperio primum locum occupant Austriæ Archi-Duces quasi primi Ducum; quo titulo frui cæperunt tempore Friderici Ænobarbi, qui Henricum Ducem Austriæ Pfaltz-Herzog intitulavit. *Specul. Fugg. in Histor. Austr. lib. 2. Fridericus verò II. Austriæ Principes, S. R. I. Archi-Duces* (Sprinzenstein in Jurisprud. p. 3. Th. 50. an. 1145.) Regibus equiparavit, de quo prædicato Archiducali obtinendo plures apud Imp. institerunt, sed obtinere non potuerunt. *Besold. in Thes. Hist. prac. V. Erb-Herzog circa finem. Sixtin. de Reg. lib. 1. cap. 4. n. 30. & seqq. ne Austriacæ Domus Archiducalis intitulatura propter aliorum Principum concursum vilesceret, aut in minori respectu foret, de cujus specialissimis juribus placet principaliora referre &c.* Fuggero & Kieffero Germanis jungo authorem Italum Antonium Forestium, qui in lib. de Rom. Imp. fol. 307. ferme in hunc modum scripsit: Notandum hic, à Friderico II. Romanorum Imperatore originem fluxisse *Tituli Archi-Ducis*: nam cum laboraret, Fridericum Austriæ Ducem, Principem audacem, & expeditum suis partibus jungere contra Pontificem, eam ob rem eidem fecit copiam superaddendi *coronæ Ducali signum Crucis*, quæ Archi Ducis insigne habebatur. *Forestius* secum sentire asserit, *Cuspinianum, Joannem Villani, Blondum & Genebrardum*. Hübnerum & Erdmannum idem dubiè asserentes omitto, quoniam tantilla autoritate haud indigeo. En authorum variorum facilè integram decadem! quorum tamen nec remotè quidem meminit Hippolytus, Austriacarum rerum scilicet aliàs valde peritus. Nec refert, quòd plerique Imperatorum Austriacorum, & Archi-Ducum ante Fridericum IV. aut etiam Maximilianum I. vix ullam hujus nominis notam in suis quibusvis libris reliquerint: cur enim ita se gesserint, argumentum haud contemnendum affert Fuggerus cit. loc. ex *Ponto Heu-tero*, asserens, Rudolphum Habsburgicum, cum filium Albertum Austriæ Dominum crearet, mandasse, ut ad declinandas æmulum ac invidorum Principum querelas tantisper abstineret ab Archi-Ducis glorio-

so quidem, sed etiam invidioso nomine. Unde affirmat idem, usurpasse tam Albertum, quam Successores ea moderatione hoc Archi Ducis nomen, ut ejusdem non amittendi animo aliquam suo tempore fecerint mentionem, raram tamen. Hoc ipsum verò confirmari existimo variis literis, quas Archivum *Equestris Statūs* in hac urbe nostra posteris servat: eas profectò literas Albertus Friderici IV. Cæsaris frater, Academiæ nostræ Mæcenæ, & Fundator Munificentissimus ita suomet calamo instruxit, ut modò *Archi-Ducis*, & modò *Ducis nomen* subscriperit. Atque ex his paucis Hippolytus & hujus qualescunque patroni, duo sibi colligant præcipuè capita necesse est; nimirum nemini, nisi imprudentissimo dubium superesse deinceps posse, quin longo ante Maximilianum I. tempore inter Austriacos viguerit gloriosum Archi-Ducis insigne & decus permagnum. Alterum Hippolytanis sociis inculcandum hoc unum superest, nempe; siqua arrogantia macula in isthoc nomine fuerit deprehensa, tunc macula hæc non Austriacorum magis, quam Imperatorum origine Suevorum, & Francorum fuit, qui gloriosis sanè nominibus, & raris etiam inter Principes privilegiis Austriacos quondam Marchiones mirè exornarunt, qualia profectò nomina, ac privilegia jam obstupuit ante sex annorum centurias Ratisbona, præsentibus cunctis Imperii Primoribus, Austriæ novissimos honores gratulantibus, aliis facie, aliis animo amicis. Cæterum cum Hippolyto tantopere displiceant Virorum Principum, maximè Austriacorum nomina, cur eidem quæso non maximopere displicuit nomen regium tanto strepitu in Bohemia à suo Principe quæsitum? Cur item ipse suo libello tantum insudavit, & eundem per Imperii fines sparsit, ac posteris commendavit, atque aded in perniciem & *extirpationem Austriacæ familiae* totis viribus laboravit? nonne princeps laboris scopus Hippolyto erat fortè præfixus, ut & ipse instaurator Romani Imperii diceretur, eum videlicet in modum, quo Dianæi templi instaurator dictus est ille, qui flammis idem subjecit templum, flammis ipse maturus longè magis?

RE-

REFLEXIO VII.

TAmetsi Seculum hoc XV. non absque tristissimis fatibus abierit, multis tamen abundabat etiam rebus secundissimis: inter quas jure numeratur vel primò locò Ecclesiæ lux fulgentissima, qua mirè illustrati omnes hujus seculi in Occidente Imperatores, quò eundem sit, exemplis suis præclare demonstrarunt: tam enim Rupertus, quam Sigismundus, Albertus II. Fridericus IV. & Maximilianus I. eum in modum in vita sua, & morte, Fide Romana, & virtutibus præluxerunt universo populo, ut factis suis plurimis dixerint post se euntibus: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Joan. 8. 12.* Cæsares hos ex asse Romano-Catholicos ponè secuti sunt Reges & Viri Principes per Europam universam non pauci, quorum synopsis brevissimam huc ex variis authoribus, præsertim Briethio, Bzovio, Forestio, quin & Hübnero transfero, & Lectori legendos offero, ut discat eos mirari, quid ni & imitari?

Viri Principes Seculo XV. Ecclesiæ in Europa potissimum testes.

ANno 1406. Henricus, Castellæ Rex, necessariis mediis nonnunquam egens, pecuniæ publicæ administratores severè coërcuit, cogens fisco reddere, quæcunque rapuerunt; Rex planè acceptissimus bonis, sanguisugis metuendus, & sancti Principis exemplar magnum, præsertim si Religionis præcepta lubeat considerare.

An. 1410. Uladislav Jagello, Polonorum Rex, Catholicis Regibus exemplar constanter futurus, cum patruæ suo Lithuanæ Duce insignem de Prussia obtinuit victoriam, vindicante Deo multorum in Prussia superbiam.

An. 1412. Cum floreret Vincentius Ferrerius regnante Henrico, Castellæ Rege, magnus Hebræorum numerus ad Christi transfuit castra: quo conversorum numero animati plurimalii, centum viginti duo millia agnoverunt Christum, Deum unum, applaudente in cœli nubibus sacratissimæ Crucis signo.

An. 1413.

- An. 1413. Samogitia afferta est Christo, Jagellonis Poloniae Regis verè Christiani operâ.
- Eodem tempore Witoldus, Lithuanorum Dux, Curione sacro Hieronymo Pragensi, alio longè, quàm notus ille transfuga fuit, usus, ad Christi signa permultos subditorum perduxit.
- An. 1416. Ferdinandus, Hispaniae Rex, authore Vincentio Ferrerio sui temporis schisma condemnavit, diu dubius antea, quem ex duobus Ecclesiae Romanae agnosceret Præsulem, alterutri certus constanter obedire.
- An. 1419. Jacobus, Neapolis Rex, relicto regno suo secessit in Galliam, ubi ex tædio vitae multis adversis casibus exercitæ, D. Franciscum pauperrimum pauper discipulus coepit insequi.
- An. 1420. Henricus, Dux Viscensis, militiae Jesu Christi Magister, filius Joannis Regis Lusit. inter fretum Gaditanum & Fortunatas insulas aperuit Materam insulam, magnò Ecclesiae & Reipublicae Lusitanae bonò.
- An. 1424. Jagello, Polonorum Rex, novis exemplis Ecclesiae Romanae haud simplicem suam fidem testaturus, Contributum à Bohemis novatoribus postulatam Regem validissimè oppugnavit.
- An. 1430. Philippus, Dux Burgundiae, fatò functis duabus uxoribus, in honorem S. Andreae instituit Ordinem Velleris aurei, qui praesertim in Hispania virtutis simul & nobilitatis Christianae campum aperuit amplissimum.
- Circa annum 1431. Joannes Castriotus pater, & hujus deinde filius Georgius, Scanderbegus cognominatus, coepere Asiae & Europae universae ostendere exempla Ducum verè Catholicorum, pro Ecclesia Romana ardentius longè, quàm pro re sua privata annos permultos certantes, & victoriis multis ovantes.
- An. 1433. Joannes Lusitaniae 40. annorum Rex ob res praecclare gestas Rex *bonae memoriae* cognominatus fuit.
- Eod. an. Philippus, Burgundorum Dux, accepit S. hostiam, ut vocamus, sanguine tinctam, & vulneribus apertam, quam miraculis clarissimam etiamnum veneratur Francia.

An. 1434.

- An. 1434. Ericus, Sueciae, Daniae, & Norvvegiae Rex de Regula & Revelationibus S. Brigittae epistolas dedit ad Concilium Basileense, quod Theologis, & maximè Blofio rem hanc examinandam commisit.
- Eod. an. Amadaeus, Sabaudiae primus Dux, alter sui temporis Salomon, cum vana omnia in hoc seculo deprehendisset, factus Eremita Ripalliae ad Lehmanni Lacus ripam juxta Thononium cum Proceribus sodalibus secessit, alterum toti orbi humilitatis exemplum, vix tamen non serò monstraturus, cum qualicumque Pontificis jure tum denique erat cessurus Nicolao V.
- An. 1437. Ferdinandus Lusitaniae Regis frater Avifii Ordinis Magister, in Africam transiit, cum sex tantum millibus armatorum, spe magis, quàm armis fretus, sed tamen ab ingenti hostium multitudine circumfusis cogente extrema necessitate se dedit eo pacto, ut suis abire liceret, non sibi: itaque in carcere multis opprobriis vexatus occubuit an. 1444. post mortem miraculis clarus. Ab hoc tempore Joannes Hunniades in Hungaria contra Turcas pugnare coepit verè Dux Catholicus, è cujus collo pendere semper solebat Christi in crucem acti imago aurea, omni auro Hunniadi pretiosior.
- An. 1445. Plerique Germaniae Principes, Duce & authore Friderico Imperatore, condemnato schismate subjecerunt se Eugenio Romano Pontifici, quorum exemplò permotus ipse Felix V. Pseudo-Pontifex honores Pontificios haud amplius ambivit, subesse tandem paratus.
- An. 1456. Joannes Hunniades post defensam egregiè Albam Graecam, & reportatam de Turcarum copiis victoriam prorsus insignem, dedit humanissimas ad Pontificem literas, & Deo animam multis meritis insignitam reddidit.
- An. 1458. Mathias Hunniadis filius superstes, ex carcere in Hungariae solium educus, per annos 32. laude maxima defendit Romanam Ecclesiam & Hungarorum Rempublicam; genitoris vestigia haud tardè secutus.
- An. 1460. A Constantinopolis prodicione superstes Viri Principes

R. P. Kolb Series Impp.

Fff

Catho.

- Catholici Pio II. Pontifici supplices partim literis, partim verbis facti, rogârunt in sui suorumque restitutionem auxiliares copias.
- An. 1465. Demetrius Orientis Princeps Thomæ Despotæ frater à Mahomete abductus, variamque fortunam expertus, Hadrianopoli factus Monachus perseveravit bene usque ad finem.
- An. 1467. Obiit Lissi ad Drillum fluvium Georgius Castriotus Scanderbegus, tantæ etiam apud Turcas suos hostes venerationis, ut hi capta Lisso ejus ossa diripuerint, & thecis aureis incluserint ad conciliandam sibi fortitudinem.
- Ab anno 1470. Stero, Suecorum Rex, totis 30. annis ingenti laude Sueciam rexit, ac Christiernum Danorum Regem vicit, adhibens adjutorem Jacobum Ulsonis Archiepiscopum Upsalensem, cujus pietate ac prudentia experti sunt Sueci, quid possit Princeps & Præsul, sacra inter se societate conjuncti.
- An. 1472. Fatis concessit Amadæus IX. Sabaudia Princeps, Dux Ill. miti admodum ingenio, & virtutibus omnibus illustris, sed maximè liberalitate in pauperes, unde & miracula post obitum patrare meruit.
- An. eod. Ludovicus XI. Gallorum Rex edictò præcepit, ut quotidie circa meridiem ad pulsam campanæ Deipara Virgo salutaretur, qui salutandi mos maximè salutaris fuit in Christiano orbe plurimis.
- An. 1475. Stephanus Vaivoda seu Palatinus Moldaviae, & Wallachia, insigni strage devicit Turcarum centum millia, Deo gratissimus adscribens hanc, & alias victorias, Princeps etiam in Fide ac Religione Mathia Hungarorum Regis æmulus & socius.
- An. 1480. Petrus Aluffonius Arvernus Equitum S. Joannis Hierosolymitani Magister, insulam Rhodum contra Mahometanos defendit insigni sua virtute & gloria, quam Superi claris ostentis illustrârunt.
- An. 1481. Diem obiit suum Alphonsus Lusitaniae Rex, qui saltem per annos aliquot audiit *Rex Magnus & Religiosus*, Religione clarissimus: dictus est etiam *captivorum Redemptor*.
- An. 1484. Aluffonius Equitum S. Joannis Magister à Bajazethe Turcarum Imperatore dono datam S. Joannis Baptistæ manum insigni religione coluit.

Eod.

- Eod. an. sancta morte defunctus est D. Casimirus Casimiri Poloniae Regis secundo genitus filius, miraculis, & Lithuanorum protectione gloriosus.
- An. 1489. Demoinus Jaloforum in Guinea Princeps, expulsus à fratribus confugit ad Lusitanos, inter quos, sacris intinctus aquis, cum viginti navium classe remissus est in patriam, ubi mortem oppetit more Martyrum.
- An. 1491. Rex Congi Patrum S. Dominici operâ persuasus, & cum filio sacris undis elutus, Emmanuel dici desideravit. In recens conversis conservare Fidem enixè studuit Alphonsus Emanuelis filius, qui Apostoli vices subire, & populum ad constantiam hortari non destitit.
- An. 1492. Ferdinandus, Hispaniarum Rex, adeptus est nomen *Catholici Regis*, facinoribus *Catholica Sacra* mirè promoventibus.
- An. eod. ad plures abiit Laurentius Medices, quo meliorem, prudentiorem & literarum amantiorem, teste Briethio, Principem ætas illa non tulit.
- Eod. an. sub auspiciis Ferdinandi Regis Catholici Christophorus Columbus quartam orbis partem Europæis detexit, aperiens campum amplissimum Christianis Doctoribus, ut quæ Huss cum asecclis destrueret in Europa, compensarent ipsi cum multo foenore in America.
- An. 1495. Alphonsus, Neapolis Rex, inconstantiam subditorum abunde expertus, Messanam pervenit, ubi votò deserendi seculi nuncupato, jejuniis & corporis afflictationibus sese excrucians, ac verè pœnitens in Olivetano cœnobio vitam absolvit.
- Eod. an. Bajazethis Turcarum Tyranni ex fratre nepos, Zemes nomine, Christum professus, sed in insula Rhodo captus, & à Solymano occisus est, cœlestis regni spe plenissimus.
- An. 1495. Joannes II. Lusitaniae Rex, Sacerdotum Catholicorum æstimator, & amator insignis, majorem ferè iisdem exhibuit honorem, quàm accepit. Secum constanter portari curabat libros duos, quorum altero eos notabat, qui optimè de Rege fuerant meriti: altero verò eos, qui ad servitiâ Regi præstanda peridonei fuerant visi. Post

Fff 2

hujus

hujus fata inventa fuere in scrinio flagella, quibus D. Pauli exemplum secutus castigabat corpus suum.

Dic jam, sodes, si Religiosissimos variorum Apostolicò zelò ardentissimorum Virorum Ordines partim antiquos, eosque cum fervore suo conservatos, partim recens exortos huc adponerem, ane hæc & illa omnia velut in fasciculum collecta sufficerent Lectori, ut fidem facerent de *Fidei lumine* etiam hoc seculo XV. *minimè latenti?* Sufficere isthæc omnia, haud vanè persuadeo mihi: si enim vel primis post nati Servatoris incunabula seculis tot Catholicorum Principum & virorum ardentissimorum exempla velut matutina sydera universum orbem illustrassent, quot exempla suspexerunt per hanc etiam annorum centuriam mortalium oculi, præcipuè per Europam, tunc nemo facillè dubitasset de jam exorto, & etiamnum fulgente Fidei sole. De Fidei etiam plantatoribus Pfaltes Regius haud ampliùs flebili voce cecinisset: *euntes ibant & flebant, mittentes semina sua*: sed potiùs inter lætissimos sonitus ipsimet messorum exultassent & cantirassent: qui seminârunt in lacrymis, in exultatione jam metunt: venientes jam veniunt cum exultatione portantes manipulos suos. *Psal. 125.*

Seculum Christi Nati XVI.

XLII. Carolus V.

Justo volumine opus foret Historico, si Caroli V. gesta exponere omnia animus foret. Paucis igitur dicantur multa de Cæsare illo, qui fecit & dixit plurima, factis & verbis laudandus maximè. Natus est Gandavi nobili Belgarum urbe Hercules hic Germanus, an. Christi 1500. sub noctem instar syderis illucescens orbi, ipso novi Seculi exordio maximi momenti res in nato sibi Carolo præfagiente; ut nimirum futura eaque inimica secula haberent, quod suspicerent & inviderent, amica verò tempora huic XVI. seculo gratularentur, & maximas tanti Principis virtutes imitarentur. Anno ætatis suæ sextò jam orbatus Philippo genitore, duobus tamen avis, Maximiliano Cæsare & Ferdinando Catholico Hispanorum Rege adhuc suffultus, vigili utrius-

que

que curâ duobus moderatoribus est commendatus, Hadriano nimirum Florentino, Theologiæ tum temporis Doctore, & Guilielmo Groyo, Aræschotti Marchioni. Pugnârunt inter sese præceptores ambo amæno certamine, hic ut Archiducem militaribus disciplinis apprimè excoleret, ille ut literis & virtutibus, quas omnium aliarum disciplinarum basin solidissimam esse perbene nôrat, ritè imbueret. Vicit denique Doctorem Marchio una minimùm in re; Carolus enim virtutibus aures & animum præbens benevolum, minùs tamen se promptum exhibuit ad perdiscendas literas quâ mansuetiores, quâ severiores, ut maximam sui partem Marti consecraret, jam tum documenta palàm ostendens, quantus sit in Martiis campis futurus heros. Præter patriam tamen linguâ Gallicâ, Italicâ & Hispanicâ instructus probè, studiis delectabatur Matheseos, cujus creberrimè junxit Historiæ lectionem; Thucydidis inter Græcos Historicos celebratissimi pene quotidianus Lector, id unum se dolere confessus, quòd Hadriani Magistri sui doctrinam in addiscenda eloquentia minoris, quàm par fuerit, æstimârit. Verùm Imperatore ea tempestate opus erat talis qualis armis & multorum simul regnorum tenendis fascibus primas tribueret, secundas verò literis; anno enim ætatis 15. Administrator, ut vocant, jam Belgio datus, elapsò post bienniò totius Hispaniæ sceptrum, & anno ab hoc altero Imperii coronam jure datam accepit, Francofurti an. 1519. electus Imperator contra æmulum suum perpetuum Franciscum I. Gallorum Regem. Nemo Virorum Principum Augusto solio idoneus magis tunc apparebat Imperii Septemviris, quàm Carolus juvenis, miris & naturæ, & gratiæ donis exornatus; quæ pepererunt eidem plurimorum & amorem & timorem: timor profectò eos etiam Viros Principes, qui elegerunt Imperatorem, usque ad eò impulit, ut Carolum suam ante electionem jurare coegerint in leges durissimas, quas *Capitulationes Caroli V.* dixere. Vix dum regendo Imperio initium fecerat, continuò ex cunctis pene universi orbis partibus hostes adversùs hunc Imperatorem eruperunt. In Germania enim Ecclesiæ & Imperio bellum indixerunt præter confederatos hostes sectarii multi, atque hos inter Lutheri asseclæ etiam Viri Principes potentissimi, quorum aliquot tandem acie victos in captivitatem jussit abstrahi. Joannes Fridericus, Saxonæ Elector, & Philippus Hassiæ

Dux erant, quos captivitate sua liberavit Mauritius Saxo, postquam desertor Religionis & Imperatoris in se summè benefici factus, foedus pepigit cum Galliae Rege Henrico II. atque Alberto Brandenburgico omni ex parte Cæsarem petiturus. Mauritius itaque & Albertus, subactâ quamprimum Augustâ Vindelicorum, Oenipontum usque Tyroleos urbem penetrârunt, Carolum subitò occupaturi, nisi relictis impedimentis fugâ dilapsus hostium manus effugisset. Passavii paulò post inter partes dissidentes tractum, multa refractariis permittente Carolo, quæ prohibere vi & armis jam non poterat: unde secuta est denique pax, Augustæ Vindel. stabilita, Ecclesiæ bono in primis noxia: Religionis quippe, ut vocamus, libertas grassari tunc apertissimè cœpit in Germania, quoniam libertas criminum dudum antè nimium prævaluit. Urbes geminæ ante alias cumulo malorum caput immisère, Constantia & Magdeburgum, quarum hæc Luthero adhæret hodie; illa verò ad Ecclesiæ labem nunc penitus delendam reversa, amissa tamen pristina urbis libertate, si qua fuit, quoniam abuti nimium cœperat.

Franciscus I. Galliarum Rex potentissimus, nunquam non infensus Carolo, Papiæ in Italia captus, atque in Hispaniam fuit perductus. Madridi ferè per biennium detentus, captivitate sua afflixit maximè Galliam; quam tamen lætitiâ summâ implevit reditus ejus, dictò priùs in Hispania sacramento, quo rediturum se in captivitatem receperat, promissis his suis nunquam par futurus, quoniam juramenti religione Regem suum solverant viri politici, aut veriùs pseudo-politici. Patris regii exemplum secutus est impigrè Henricus II. filius, viribus & animo pugnans cum Mauritio Saxoniae Electore adversus Imperatorem; vix namque in toto foedere cum Imperii hostibus, tentato in Lotharingiam impetu Tullum, Verodunum & Metas occupavit, quarum urbium ultimam constantissimè defendit, perducturus senem Carolum, ut aiebat, ad fortunæ & victoriarum metam. Europæis hostibus manus junxerunt Africæ atque Asiæ hostiles exercitus, quorum postremos adventu suo in Austriam, tantum terruit Cæsar, ut Viennæ obsidionem solverent duce Solymano, in Hungariam atque inde Constantinopolim reduce. Tunensi Africæ regno Regem dedit victor Carolus, daturus non minùs Mauritaniæ, nisi tempestas maris,
omni

omni classe potentior, præclaram spem elusisset. In Europa igitur, Africa & Asia jam clarissimus Cæsar & Rex, ut reliquis totius orbis partibus solis instar affulgeret, paucis ante Caroli natales aënis optatam occasionè omnium primus dedit Christophorus Columbus Genuensis, & mox Americus Vesputius Hetruscus, quorum hic occidentalem Americam, ille occidentalem Indiam Hispanis aperuisse fertur. Horum dein labores eximios suis haud minoribus confirmavit Ferdinandus Cortesius, qui ipso Imperii Carolini anno primo, Christi 1519. insigni victoria subjecit Regi suo Mexico totius occidentalis Americæ urbem principem. Demonstravit tum orbi universo Veteris & Novæ Hispaniæ Rex, quàm longæ sint Magnis Regibus manus & potens brachium, si modò malint extendere, quàm retrahere: dum enim hostes confertissimi vicina Imperatoris regna convellere, atque in partes sibi dividere summis viribus adnitebantur, Victor Augustus jam parta cominus conservabat, & partis regnis nova eminus adjiciebat, vel ideo felix perpetuò, quòd Regnum Dei constanter primis in votis & desideriiis habuerit, de Ecclesia militari conservanda & promovenda nunquam non sollicitus Imperator: ab idoneis certè testibus comprobatum legimus, in solo regno Peruano ædes sacras & monasteria tot fuisse erecta vel jubente, vel annuente Carolo, ut is numerus facilè par sit monasteriis & templis in Europa ab Heterodoxorum armata potentia vel destructis, vel Romanæ Ecclesiæ ereptis. Per placere sibi hæc regia vota, luculenter ostendit Supremus totius orbis Dominus; decem namque & quatuor præliis, Ducibus Ferdinando Cortesio & Francisco in America commissis, totidem nova regna Carolo adjecit idem Supremus hostium Victor Deus. Cæterum, quantum laboris ac sudoris plurimorum facinorum heroi subeundum fuerit, vel ex multitudine itinerum ac viarum, quas terrâ marique creberrimè superavit, æstimare licebit: bis enim pervenit in Angliam; bis item in Africam; quater in Galliam; sexies in Hispaniam; septies in Italiam; novies ex remotis regnis rediit in Germaniam; decies repetiit Belgium; crebriùs delatus est versus Hungariam & regiones Septentrioni proximiores, septuaginta præliorum Dux præsentissimus, Victor ferè perpetuus, rarò, aut nunquam plenè superatus. Tot itaque tantorumque laborum & hostium victor gloriosissimus, cum vix haberet,
quos

quos vinceret amplius, ad se conversus, vicit semet gloriosissimè, relin-
quens posteris rarum in Imperatore exemplum; salvus enim atque in-
columis Imperio & regnis suis valedixit amplissimis, in Hispania ad D.
Justi angustis cœnobii mœnibus concludendus; ubi per annos fere duos
plura cum Deo, quàm cum homine locutus, imminentem diem vitæ ultimam
constanter ob oculos posuit, ante mortem sibi & mundo mortuus. Ha-
tenus Carolum V. suis ex facinoribus obiter descriptis cognovimus; de-
inceps verò ex verborum sententiis, quibus, veluti certis virtutum testi-
moniis se crebrò nosceadum dedit, paucissimis cognoscemus. Genuæ
cùm audiret Imperator Oratorem Latino idiomate præclarè dicentem
multa, quæ tamen ipse haud satis assequeretur, ore subtristi viro eloquen-
tiæ perito dixit, *dare se nunc puerilis incuriæ pœnas, & præsagium Ha-*
drianum fuisse præceptorem, qui hanc ei pœnitentiam prædixisset. In Saxo-
nia cùm adversus Ss. Imaginum hostes dimicaret, & fortè imaginem Dei è
cruce pendentis militari globo trajectam intueretur, paulisper substitit, has-
que ingemiscens voces ingeminavit: *Si vis, Domine, injuriam hanc ulcisci*
potes: indica reum, en me tibi vindicem paratum! Bellò defunctus Saxoni-
cò, exultantibus aliis, Cæsar modestè reportatâ victoriâ gloriatus pronun-
tiavit: *veni, vidi, at vicit Deus.* In expeditione Africana cùm quæstio mo-
veretur, cuiusnam supremi Ducis munus credendum maximè, nemine ta-
men quidquam responsi dare auso, Carolus elatò in altum vexillò, quod
Servatoris nostri imaginem referebat, exclamavit: *hic erit Dux noster,*
Rex Regum & Dominus exercituum. Mirantibus multis, quòd etiam
plebejæ conditionis hominibus benignas præberet aures, respondit:
quò quisque est major, eò se gerat submissius.

Capto ad Ticinum Francisco Gallorum Rege, victoriâ usus modestè
vix ullum lætitiæ signum publicum prodidit: obstupescens verò eam
ob rem Hispanis reposuit, *non decere institui triumphum capto Rege Chri-*
stiano. Lapsò tempore cùm Rex Franciscus in custodia detentus attentius
intueretur Symbolū sui victoris, hoc gemino vocabulo parieti inscriptum:
plus ultra; eo autem non obscurè se captivum tangi ratus verbis hæc verba
adderet: *hodie mihi, cras tibi:* tum verò superveniens Carolus, dolorem
potius, quàm iram vultu præferens superaddidit manu regia has Cæsare
voces dignissimas: *homo sum, nihil humani alienum à me existimo.* Cùm
anno

anno 1540. per Franciam cunctis ferè dissuadentibus Belgium peteret, Lu-
retia oratione ex Imperatoris laudibus composita exceptus respondit:
pergratam sibi esse Regis in se benevolentiam; laudes verò sibi ea oratione at-
tributas, esse monita, ut talis esset, qualis esse deberet. Ibidem cùm non de-
essent, qui somnum capienti Cæsari sustinerent adducere fœminam natali-
bus & formâ equidem, at minùs pudicitia præstantem, cum indignatio-
ne Venerem respuit, testatus crebrò & seriò, *dolorem sibi maximum esse de*
juventutis suæ delictis; ceterùm mortua conjugè Augusta nunquam se admif-
surum amores etiam honestos. In consiliis dandis & petendis nemine in-
ferior, frequenter usurpare solebat hoc dictum, *cunctationem esse animam*
consilii, celeritatem executionis, utramque simul junctam, quintam esse ef-
sentiam boni Principis. Cùm invitaretur à nonnullis ad fallendam fidem
Luthero datam, tum verò datæ fidei tenacissimus Imperator dixit: *fidem*
rerum promissarum, etsi toto mundo exularer, apud Imperatorem tamen de-
bere consistere. Adversus pericula intrepidus Cæsar, cùm prope Ingolsta-
dium passim tormentorum majorum globis concussi caderent in conspe-
ctu Imperatoris, attonitis cæteris ac monentibus, ut in tuto se collocaret,
respondit: *neminem Imperatorum tormenti ictu prostratum perisse.*

Hortantibus Regem suum Hispanis consiliariis, ut Germanos aulâ Hi-
spanicâ procul exigeret, convocatis Germanis omnibus aperuit suppedita-
tum sibi consilium, & abiturum se simulans enuntiavit: *abeamus igitur om-*
nes; nam & ego Germanus sum. Ab Hispanis etiam commonitus, ut Ger-
manis vitium ebrietatis leverè interdiceret, reposuit, *frustrare magi; ide-*
nim perinde fore, ac si Hispanis furta Rex interdiceret. De bellis Germano-
rum eam protulisse fertur sententiam: *Germanorum robur tantum esse, ut*
non nisi contrario Germanorum robore possit frangi. Unde cùm haud pro-
cul Ingolstadio copiosissimas Protestantium copias adesse conspiceret,
quæsit, an omnes præsentessent Germani? acceptò responsò, esse Ger-
manos; hilari igitur vultu ac voce dedit responsum: *bene est, brevi Germa-*
nis his plurimis deerit consilium pecunia & concordia. Vatem fuisse Cæsa-
rem, eventus comprobavit. A teneris annis D. gentium Doctoris Pauli pro-
bè assuetus verbis crebrò repetendis, tum in castris, tum in aula auditus est
pronuntiare: *cupio dissolvi & esse cum Christo:* qualia dicta quàm sæpe sua
in solitudine usurpavit, tumulo & cœlo propinquissimus, vix quisquam au-

fit dicere, si Caroli V. soliloquia altiùs consideraverit. Exaudiri itaque desideria, & tempus dissolutionis instare sibi probè gnarus Imperator, paulò ante obitum funebria sibi sacra celebrari dum sedulò curavit, mortem piè procuravit, paulò post lethali morbo extinctus an. Christi 1557. æt. 57. Imp. 36. aut potius 37. & m. pluribus. Symb. *Plus ultra.* Vid. *Mas. sen. Forest. Brieth. & authores passim multos.*

XLIII. Ferdinandus. I.

Caroli V. felicissimi juxtà ac gloriosissimi Imperatoris frater nequamquam infelix aut inglorius fuit Ferdinandus I. Hispani certè hunc Principem suas delicias rati, Carolum licèt natu majorem fratrem, Germanis tamen magis, quàm Hispanis, ut ajebant, moribus parem è solio suo exclusuri, Ferdinandum sibi exoptârunt Regem. Nihilominus Hispaniarum Rex nunquam creatus Ferdinandus, regnâs aliis abundavit potius, quàm indigum se sensit: eodem enim anno, quo filium Maximilianum II. ex Anna Hungariæ Regis filia suscepit, coronâ geminâ ornatus est Rex Bohemiæ, atque Hungariæ, insignitus etiam, annitente plurimùm Imperatore Carolo, Imperii coronâ regiâ, futurus post annos primùm 24. Romanorum Imperator. Trium regnorum Rex cum hostibus aliis Solymannum pene perpetuum perpeffus est hostem, quem Joannes Scepusius, Transylvaniæ Princeps, evocârat, victi Ludovici Hungariæ Regis quondam amicus. Duxit Scepusius summa ætate vir Hæbellam Regis Polonorum filiam, quæ mortuo marito, soluta thori fide, fidem & Cæsari servare neglexerat, qua Scepusius paulò antè Ferdinandum Regem Transylvaniæ hæredem scripsit. Gladio igitur Ferdinando opus erat, ut foeminam vinceret, quæ vocato in suppetias Solymano, sed ab eodem licèt in Hungariam denuo ascendente destituta, Transylvaniam denique cessit Cæsari, forsan ut vitam conservaret ex bonis reliquam: vitam namque author tanti dissidii Georgius Cardinalis jam amiserat; sententiam ferente supremo copiarum duce Guastaldo pro invito Cæsare. Inita tandem pace, firmatisque pactis publicis per aliquot annos quievit Hungaria, multis favoribus à Ferdinando Rege pacifico donata. Interea per Germaniam longè latèque Mors omnia turbârat, Religionis libertate à Viris Principibus Luthero addictis, pro belli argumento in medium allata, quam
tamen

tamen pravissimorum libertas morum & privata plurimorum utilitas longè superabat, factis veriùs, quàm verbis prodita. Haud ignarus summæ rerum Ferdinandus, reluctante solo Electore Saxonico, in Regem Romanorum electus, Imperatori Carolo nunquam non fortissimè adstitit, strenuus maximè consiliis & auxiliis; præliis namque majoribus & minoribus sæpè præsens, heroës inter eos eminebat, qui Saxoniam Electorem & Hassiæ Ducem duxere captivos. Ulricum Würtembergicum etiam ipse fugavit & denuo in gratiam recepit, cedens temporum difficultati. Constantiam non minùs expugnavit, & privilegiis suis privavit, hujus ipsius urbis sorte beatiori. Civiles motus persæpè sine civium sanguine composuit; eam ob causam Transactioni Passavii nomen suum subscripsit, veriùs tamen lacrymâs, quàm literis; adèd parendum fuit necessitati! Hæc sunt, quæ gessit Ferdinandus Rex, digna Imperatore facinora, cui concessit denique Pius IV. Sum. Pont. Sacri Romani Imperii coronam supremam, quam negare antea non est veritus Paulus IV. solitudinem Caroli Fratris Ecclesiæ, & Imperio noxiam constanter dicens. Annis Imperio præfuit duntaxat 7. an. 1564. mortuus. Longissimo ut præfesset tempore, optavit persæpe Respublica præcipuè literaria, quam suomet exemplò illustravit literarum omnium Mæcenas literatissimus. Aula profectò Ferdinandi in scholam transisse persæpe videri poterat, adèd nulla re delectabatur magis, quàm eruditorum colloquiis: unde auditus fuit dicere, *malle se gemmarum ac similium opum, quàm eruditionis jacturam facere.* Item, venatorum Præfecto cuiquam, virorum doctorum osori respondit, *Imperatorem venatoribus benè, non verò viris doctis posse carere.* Incrementum daturus literis Academiam Pragensem pene collapsam restituit, Viennensem verò stipendiis & privilegiis meliorem reddidit, ad præceptorum mores, & doctrinas iis periculosis temporibus nunquam non ipse attentus, & attentos alios esse præcipiens. Unde Lutheranis didascalis procul abire jussis, Societatem Jesu in suppetias vocavit. Literis sociavit virtutes Imperatorias; temperantiam nimirum in conviviis, continentiam in conjugio, liberalitatem in egenos, clementiam in omnes, justitiam item tantam, ut eandem summi æstimârint etiam hostes, quorum arces à proditoribus oblatas magnò animò respuit, dicere non rarò auditus: Symb. *fiat justitia, pereat mundus:* die D. Jacobo sacra, quam ultimam sibi adfo-

re prædixerat vates, piissimè defunctum inter Coelites potiùs, quàm inter mortuos numerârunt continuò non modò boni aut optimi, sed & mali & pessimi, virtutibus ejusdem convicti plurimis & manifestis. Pius IV. Pont. intellecta hujus Cæsaris morte in frequenti Purpuratorum coetu fertur dixisse: *Ferdinandum omnibus Optimi Imperatoris signis editis, summa lenitate, nullo animi angore, Sacramentis, quæ morientibus præberi solent, munitum, quasi agnum innocentem in meliorem vitam demigrasse.* Vid. *Balthasar. Braun. Anton. Forest. Brieth. Lewenselsium &c.*

XLIV. Maximilianus II.

Virtutum & literarum æstimator fuit Maximilianus; quia utrasque à genitore didicit, & cum eodem æstimavit, par pene Ferdinando virtutibus, & literis, hujus siquidem aula eruditorum seminarium non minùs dici poterat, quàm dicebatur priùs; teste enim Lipsio tot Maximilianus solus doctos viros numerabat, & alebat, quot reliqui Reges eodem tempore universi. Literis conjunxit linguarum peritiam, quam suò etiam exemplò aliis pretiosam fecerat: septem enim linguas calluisse perhibetur. Hac discendi, ac docendi methodo facilè virtutes studiis peramicas didicit: procul enim missa morum asperitate, accessu facilis, comis, ac mansuetus, suæ majestatis reverentiâ ac metu perculsis, ipse animos addere solebat, atque, ut Cæsaris gratiam peterent, excitabat, ne quisquam tristis è Principis conspectu rediret. Ad pacis concordiam, quàm ad belli discordias pronior longè, non neglexit tamen, strenuè suis hostibus in Imperio occurrere & extra Imperium. Solymano enim Transylvaniae urbes per Duces suos Suendum & Salmium eripuit; victus est tamen etiam ab eodem, cum Segethinum Turcarum jugo succubuit. Pactus deinde cum extero hoste octo annorum inducias, in Imperio Wilhelmum Grumbachium, Franconiae Dynastam, & socios perduelles armis petiit, dignis afficiendos suppliciis; Fridericus namque Saxo-Gothus vitam in captivitate finiit; Grumbachii verò corpus in quatuor partes divisum, divisi ab Imperatore animi justissimas dedit poenas. Hæc facta virtutis erant. Vitio verò eidem Maximiliano

vertit

vertit Pius V. Pont. quòd remissiùs æquò contra Ecclesiae hostes pugnârit, Austriacis libertatem Religionis, ut vocant, non negandam ratus. Omnem nempe lapidem movit eo tempore Novatorum coluvies, ut Maximilianum coeno suo immergeret, quem idcirco eidem Ratisbonæ immortuum fuisse audent scribere, quia non timent fallere, ut fallacibus suis dogmatibus basin tandem substruant unum Austriacum Imperatorem. Adeò Romanam Ecclesiam continuò deseruisse ejusdem hostibus vel ipsimet videntur Cæsares, quòd eorum aliqui pacis, & amicitiae, atque moderatæ indulgentiae viribus tolli errores posse sperârint, quos priùs armorum potentiâ Imperatorum alii expugnare haud satis poterant. Imperavit Maximilianus an. 12. fatis concessit an. 1576. Symb. *Deus providebit.* Vid. *Reflexiones.*

XLV. Rudolphus II.

Rudolphus II. Maximiliani II. filius primogenitus, ab ineunte ætate præclaris artibus instructus, evasit demum in clarissimum Mæcenatem literarum, quos ipse docuit, & ab iisdem didicit, maximi æstimare literas; Astronomiæ namque & scientiarum aliarum peritissimus, Tychonem Brahe, Astronomum in Scandia natum, & Joannem Keplerum Suevum multo tempore sua in aula servavit, thesauris pluris Doctores æstimans. Author ipse Cæsar extitit Tabularum, quas Rudolphinas vocârunt. Calendarium etiam à Gregorio XIII. nomine dictum Gregorianum, Romano Imperio commendavit, remotus procul ab iis suspicionibus & curis, quas hac etiam in re Saxoniae Elector & Heterodoxi multi moverant, dum maluerunt, toto propemodum coelò aberrare, quàm Pontifici in syderum ac temporum observatione, licèt ad amissim facta & probata, cedere. Inter præstantissimos oratores meritò numerandus Orator Augustus, ad singula Legatorum capita absque mora, primis saltem Imperii annis, respondere solebat. Non rarò ad levandas animi curas arreptò penicillò cum pictoribus certabat; aliàs horologia affabrè formabat, aut in occultas naturæ & artis experientias, ut vocant, inquirebat. Verùm ob hoc ipsum reprehensus à multis Rudolphus, laudatus est ab aliis pluri-

bus.

bus, propositis Imperatorum ac Regum exemplis non paucis, quos antiquissima secula extulerunt multis encomiis, quod arte Martem distinguere, & seriis rebus tempestivè otia interponere didicissent. Doctus itaque Rudolphus certare literis & armis contra hostes Ecclesiæ & Imperii, haud unum duntaxat exemplum posteris reliquit constantissimi in Religione animi: testis est hodie urbs Sueviæ Donavverda Maximiliani I. Bojariæ Electoris maxima virtute à Rudolpho Cæsare in viam virtutis & veritatis reducta. Testimonium pariter dicunt Aquisgranum & Cremsum, quorum alterum ob seditionem Religioni adversam Imperii banno subjecit, alterum verò suis incolis parùm Catholicis purgavit. Olomuzii non minùs, Glatzii & Crumlovii alios è Senatu eliminavit, alios officiis diversis privandos judicavit, subrogatis Viris Orthodoxis, ut supponeret novas columnas Ecclesiæ etiam in profanis Magistratibus. Quin ipsum Electorem Coloniae Gebhardum, ad conubia Clericorum annuentem, & ob hoc Agnetem Mansfeldianam in thoro sacrilego jam sibi jungentem, dignitate Imperiali sua quamprimum privavit. Literas Majestatis, ut vocant, quibus Rudolphus denique Bohemis libertatem Religionis extorquere laborantibus indulgit multum, dum incusant multi, plures excusant, temporum difficultate & hostium multitudine permoti. Inter hostes erat Bathorius Transylvaniæ Dux & conjux Mariæ Christiernæ Caroli V. filiae, quam ille volentem repudiavit, parvi pendens pactam fidem rumpere uxori, & Imperatori, cui tandem tamen Transylvaniam cessit, ut Silesiæ partem impetraret, utramque amissurus facilè, quia nec amore, nec armis conservare noverat. Annos itaque supra decem in Bohemia privatam duxit vitam, Cæsari tandem obedientissimus, ex cujus summo beneficio partem Bohemiæ acceperat. Non parem eventum habuit bellum cum Turcis per annos quindecim gestum; post pugnas enim variâ fortunâ commissas, præter amissâ aliquot Hungariæ propugnacula, cladem viginti millium Christianus peressus est exercitus. Septuaginta tamen millibus Mahometanis sua stetit victoria, Germano militi ereptas, quoniam Germanus ab avaritia temperare sibi satis non noverat, oblitus victoriæ, spoliolum memor. Eminuit dein cæteris in pugnis virtus Comi-

Comi-

Comitis Schvvarzenbergici maximè, cujus multæ victoriæ & gloriosa tandem mors viginti annorum inducias cum Mahomete initas peperere. Pacis nimirum longè, quàm belli avidior, pacem domi forisque conservare studuit plus æquò fortassis Rudolphus, quod Alsatiæ præsertim, quin etiam Belgæ, Saxones, Dani, Bohemi atque Hungari testati sunt, ad ponenda arma suadente Rudolpho persuasi commodo suo majori, quàm Cæsaris. Cæterum meritis & ætate gravis Imperator coronas regias non tulit libentiùs, quàm tandem deposuit bellis externis, & quòd dolebat maximè, domesticis, haud parùm fatigatus. Ferdinandus ex patruo Carolo nepos, à Rudolpho supremus militiæ dux constitutus, & tractandis summi momenti negotiis crebrò adhibitus, suspiciones & bilem Mathiæ Cæsaris fratri movebat, ne omnino regnorum & Imperii obtinendi spe excideret, præventus à Ferdinando. Quare conducto raptim exercitu, Austriacos, Hungaros & Moravos suas in partes traxit adedò, ut tot stipatus copiis fratri Rudolpho Pragæ sedem figenti vim denique fecerit extremam, qua compulsus alteram, Bohemiæ nimirum coronam continuò transtulit in Mathiam, postquam annis prioribus Hungariæ sceptrum cum Austria & Moravia fratri jam cesserat. Ærumnas Imperatoris augebat Joannis Guilielmi Ducis Juliacensis mors, quam secutæ sunt mox lites & bella Imperatorem inter & Palatinum, nec non Saxonem, Brandeburgicum, Bipontinum & Niverniæ Duces. Tot simul pressus malis Imperator privatam maximè vixit vitam, mortis nunquam non memor, quam Pragæ optiit anno 1612. ætatis suæ 60. Imperii 36. inchoato, Cæsarum omnium primus, qui vitam duxit perpetuò cœlibem, imò si plerisque auctoribus (paucos negligimus) sit habenda fides, cœlestem, quoniam in carne corruptibili incorruptam. Symb. *Ex voluntate Dei omnia.* Post Rudolphi fata in ærario Imperatoris 17. milliones florenorum, aut veriùs aureorum invenit Successor Mathias, copiosis seriæ pœnitentiæ testimoniis fratrem prosecutus mortuum, quem vivum vix non morti destinârat: adedò sæpè seriò pœnitet fecisse, quod tamen seriò factum novimus.

Reflexio

Reflexiones supra Seculum XVI.

EX communi pene omnium Historicorum mente existimavi hactenus, inter universas Romanorum Imperatorum familias rectè factorum gloriâ constanter eminuisse Austriacorum familiam. Contra torrentem solus nititur Hippolytus, & nunquam facilè auditis reprehensionibus reprehendit Carolum V. Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. & sic deinceps. Procul proinde distant ab Hippolyto Hübnerus & Erdmannus hoc saltem seculo, quorum posteriorum uterque quemdam posuit modum vituperiis, ut videretur potius laudare, quam vituperare; quamquam tamen non omni ex parte eorundem ego laudes probabo. Cæterum pauca ex plurimis Hippolyti dictis sequenti ordine transfero, ut Lector ex ore Hippolyti judicet Hippolytum.

I. *Carolus V. Imp. contra Imperii jura retinuit sibi Ducatum Mediolanensem &c. fol. 545.*

II. *Carolus V. Florentinis, quos subegerat, Alexandrum Medices Principem constituit &c. fol. cit.*

III. *Carolus V. Senarum urbi contra datam fidem omne libertatis beneficium ademit, & totam Senensem ditionem jure Imperii ad se devolutam Philippo filio concessit &c. fol. cit.*

IV. *Urbes Parmam & Placentiam Romanæ Ecclesiæ, cum non teneretur, restituit &c. fol. cit.*

V. *Ducatum Würtembergicum Domus Austriacæ Feudum constituit &c. fol. cit.*

VI. *Constantiam quondam liberam Imperii urbem per nefas ditionibus Austriacis adjecit. fol. cit.*

VII. *Austriaca Familia à Caroli V. præsertim tempore, paulatim plus juris in administratione Imperii sibi vindicavit, donec nostra ætate ruptis pudoris repagulis in apertam planè prorupit tyrannidem &c. Hæc sunt denuo ferè verba formalia, ut vocamus, Hippolyti fol. 529. quæ hac clausit coronide: Quare cum Imperii res ita malè, & ad proprium solum commodum Austriaci gesserint, optandum foret, Electores stetisse pacto, quod tempore Ludovici Bavari inter se fecisse*

cisse nonnulli scribunt, quo cautum perhibetur, ne ullo unquam tempore quispiam è Demo Austriaca in Romanorum Imperatorem eligeretur &c. VIII. Carolus V. & Maximilianus II. morte defuncti sunt, quæ Lutheri principiis admodum fuit conformis. Hanc clausulam juvat addere ex Hübneri tom. I. fol. 1021. & Erdmanni lib. fol. 996. & 997.

Reflexio ac Responsio I. ad I.

INter Jurisprudentiæ principes Regulas non ultimum obtinuit locum illa, quam quotidie vel etiam inter privatas lites repetimus, nunc petentes & commonentes, nunc orantes, & obsecrantes, nunc exclamantes, & vociferantes: *audiatur & altera pars!* Si didicisset Hippolytus hanc etiam à lumine naturæ imbibitam cunctis agendi Regulam, procul dubio ad Cymmerias tenebras ipse dimisisset libellum suum, ne unquam prodiret in lucem. Defectum itaque Hippolyti fac suppleas, peramice Lector: percipe, obsecro, & obtestor te, allatas, & afferendas ab Hippolyto contra Austriacos Cæsares querelas! sed audi sis constanter partem etiam alteram, quam nunquam ferè non omisit Austriacæ Domus calumniator juratus. Brevi ut vidisti compendio comprehendit, & consarcinavit multos non uno duntaxat seculo inter Imperatores, & Reges agitas lites, quarum lis quæpiam inter Carolum V. Cæsarem, & Franciscum I. Galliæ Regem Mediolanensem Ducatum longis, iisque cruentis exposuit pugnis & præliis, in quibus Franciscus victus, & captus; Carolus victor vicisse sibi, non Imperio scribitur, & idcirco liberalissimè traducitur ab Hippolyto. Gravissimorum inter hos duos pugiles potentissimos origo bellorum erat duplex sponsa; altera Maria Blanca Galeacii Sfortiæ filia, Maximiliano I. Cæsari data conjux secunda. Altera Valentina Ludovico Aurelianensi seculo XIV. jam desponsata. Hanc posteriorem dudum antè Mediolani Status ab omni hæreditatis jure exclusam dicebant; unde *Vice-Comitum* pene extinctum inter Mediolanenses nomen, Sfortiarum nomini cessit locum, ex quorum stemmate Blanca Maria Maximiliano Sponso Imperatori præter gravem auri summam spem Ducatus sui in dotem attulit. Utrum jam Caroli V. an Francisci I. æquior fuerit causa, ferat per me sententiam Jupiter, æquus arbiter; haud ego hoc loco pro Cæsare contra Gal-

lorum Regem pugno, sed Hippolytum Austriacorum hostem telis peto. Duo in Ducatu Mediolanensi postulabat sibi Carolus, Imperii nempe Feudum, & avi Maximiliani, aut patris Philippi I. hæreditatem, hæreditatis jam partem suæ. Illud prius vincente Carolo Imperatori in bonis Imperii permanebat, posterius verò ad Imperium nunquam pertinebat. Quid igitur à Carolo V. fuerit *ademptum Imperio* in Ducatu Mediolanensi, haud invenio. Sed nec inveniet Hippolytus, postquam semet perdidit; dum partem pugnantium alteram præclarus iudex omisit, aut amisit.

Reflexio ac Responsio II. ad II.

Audiamus nunc Hippolytum de Florentiæ causa differentem. Is ita refert: *Florentinos, quos subegerat Carolus V. ex officii sui ac Capitulationis præscripto, Imperio unire debuerat &c.* Obtestor te, Hippolyte, audiatur & altera pars! Non ego ex studiosis Austriacarum partium Historicis responsum reddo, verùm Historici Galli, Itali & Germani Lutherani responsum ferant. Briethius fol. 812. ex Gallis potissimum Historicis de Carolo V. & Florentinis ita habet: *paulò post appulit Genuam Carolus V. cum 10. millibus armatorum, aliunde Witembergicus cum octo millibus Germanorum. Italis omnibus terris metum absternit Caroli & Clementis Bononiæ congressus, quo turbæ omnes Italiæ compositæ sunt: redditus Principatus Sfortiæ, sed certis conditionibus: à Venetis emuncta pecunia: Florentinis sua NB. in Mediceos contumaciæ magni stetit.* Hæc Briethius. Anton. Forestius ex Italis Historicis de Carolo V. inter alia hæc recenset: *Clemens Pontifex post urbes Mutinam, & Regium Alphonso Ferrariæ Duci restitutas, grave à Carolo V. accepit vulnus: sed mox etiam vulneri peridonea est data medela: cum Caroli auctoritate Mediceis restitutus fuit Florentinorum Principatus, creato eorundem primo Duce Alexandro de gente Mediceorum.* Hucusque Forestius. Hübnerus ex Germanis Historicis tom. III. fol. 522. post Clementis VII. calumnias hunc in modum scripsit: *postquam Clemens VII. Pont. an. 1530. cum Cesare in amicitiam rediit, sic inter eos conventum fuit, ut Carolus V. Pontificis nepoti Alexandro Mediceo restitueret Florentinorum Principatum, redacta in ordinem Florentiæ obedientiam prius negante.* Con-

Coniunctis itaque an. 1531. Cesareis & Pontificiis copiis per anni spatium obsidione fuit urbs cincta, & initis pactis tandem dedita, pristina tamen libertate privata; Viris Patritiis nonnullis, & civibus pœna capitis inflicta. Tum verò Alexander Mediceus primus Hetruriæ Dux constitutus. Hætenus Hübner.

Perpicuum jam est ex his partium Austriacarum nequaquam studiosis Historicis, Hetruriæ ditiones in Mediceorum bonis pridem numeratas fuisse; cum eas tamen rebelles Hetruriæ populi suis dominis eripere alloborarent, vim vi repulit jure meritissimo & Pontifex & Cæsar, quorum conjunctâ operâ libertas pristina Florentiæ in pœnam seditionis adempta, res verò sua Mediceis restituta, & pax Italiæ reddita.

Quis verò Historicorum aut Politicorum jure criminetur factum hoc peregrinum? An relinquenda erat aura libertatis civibus in exilium abiigentibus dominos suos, quibus paulò antè sua servitia sacramentò receperant? an adimendus erat Principatus Mediceis Principibus, qui dudum antè, & eò usque possederant possessores à lege probati? an Imperio cedendum erat victoriæ præmium, quod Carolus non Imperii magis, quam suis privatis copiis ex hoste reportaverat? an in Clementis VII. gratiam, aut grati animi testimonium nihil præstandum fuit, cujus tamen miles in militia socius, laboris maximi participes fuerat! adeò beneficus est Hippolytus in Imperium! adeò avarus est in Clementem VII. in Carolum V. in Austriacos, in Mediceos. Adeò abundans est Hippolytus in suo sensu! Vid. *Reflex. sequent.*

Reflexio ac Responsio III. ad III.

Civium Senensium & Hetruscorum cum penè par fuerit causa ac culpa; hinc iisdem responsis Lector respondeat Hippolyto, Patrono Senensium & Hetruscorum, olim Carolo rebellantium. Victor Carolus namque haud Imperii, sed suis regiis maximè copiis subegerat utrosque: utrique nimirum utrinque rupere fidem Cæsari, qui etsi destitutus fuisset argumentis aliis potentissimis; hoc uno tutus triumphasset securissimè de perfidia, & ovantium more exclamasset meritò: *frangenti fidem fides frangatur eidem.* Libertas Imperii non nisi ritè utentibus

est relinquenda: & privilegiò indignis absque mora adimenda sunt privilegia. Cæterùm miror ego supra modum Hippolyti in Romanum Imperium affectus tenerrimos, quibus, quidquid lucrantur Cæsares stemmate Austriaci, inter Imperii bona cupit numerari adeò, ut eidem restituatur sine mora, si quando aut urbs, aut regio inter bona Imperii fuerit numerata; Imperio etiam contiuò cedatur, si qua cum Austriaco milite junctis Imperii copiis occupata fuerit regio, aut regnum hætenus nunquam possessum.

Si Hippolytus Imperii Romani annales vel perfunctoriè tantùm voluisset, nullo negotio intellexisset, Cæsare minores honorum ac dignitatum in Imperio gradus primò nequaquam fuisse tantæ altitudinis, quantæ nunc esse intuemur. Minimè etiam eadem dignitates jure hæreditario à genitore ad filios ac nepotes descenderunt, veluti nostro descendunt tempore. Ditiones insuper tam amplæ nondum paruerunt Cæsare minoribus in Imperio Viris Principibus, veluti nunc parent; ut verò hi ita creverint, & altiùs identidem ascenderint, vel effecere faustæ nuptiæ, vel in præliis fortuna prospera, vel certò, & crebrò gratia Cæsaris in bene meritos singularis. Quod si igitur restitui oportet Imperio, quidquid unquam in bonis Imperii propriis censebatur, incrementum sument jam Cæsares Austriaci, futuri denuò divitiis pares Constantino, Carolo & Ottoni, Magnis Imperatoribus. Opto hîc ego enixissimè, ut Hippolytus, aut hujus patroni non obliviscantur *edicti restitutorii*, quod an. 1629. Imperii Statibus non paucis legendum misit Ferdinandus II. Imperator. Meminerint haud dubiè rerum harum periti omnes, quantus mox in Imperio tumultus fuerit excitatus ab iis viris, qui vel Ecclesiæ, vel Imperii bona, præsertim post Transactionem Passaviensem involârunt nullo legitimo titulo. Utinam syncerè animò volverent, & ritè penetrarent, quàm multi Seculo XVI. & XVII. Protestantium, ut vocant, qualescunque socii fuerint aucti iis divitiis, quas quondam Imperium Romanum suas jure dixit, & jure suas etiamnum dicit Romana Ecclesia. Hos igitur tu viros, Hippolyte, tuis calamis pete; fac restituant Ecclesiæ & Imperio, quod in Ecclesia Dei est, in Imperio Cæsaris. Hæc si effeceris, Vienne proficiscere, & sui officii commune Cæsares Austriacos, quos tu
toties

toties vocâsti *tyrannos*, quoties ore & calamo in eos sæviisti, an non *tyrannus*? Verùm incassum laboro; perrexit enim contra torrentem Scriptorum plurimorum pergere in suo, ut videtur mihi, furore, & si viveret, pergeret etiamnum favore prosequi eos Viros Principes, quos olim favore prosecutus est Cæsaris hostes: exclamaret oppidò: nihil Ecclesiæ, aut Imperio restituat Suecorum Rex; nihil Electores Imperii Saxo & Brandenburgicus; nihil Principes horum socii; Bohemorum Rex restituatur Fridericus Palatinus, Imperio ablata restituat Imperio Austriacus, & Elector Bavarus. Ita Hippolytus fert sententiam, ita jubet, imperat, stat pro ratione voluntas.

Reflexio ac Responso IV. ad IV.

Quamvis mihi nec de tempore, nec de jure liqueat, quibus Parma, & Placentia urbes ad Ecclesiæ Statum transfierint primò; liquet tamen Historicis abundè multis, longo ante Carolum V. tempore inter urbes Ecclesiæ numeratas fuisse easdem urbes, ea Francorum æmulatione, ut horum Reges ardentè easdem desideraverint semper, & armis expugnârunt etiam tum, cùm Pontifex sederet Leo X. Inter hunc igitur & Carolum Cæsarem ita conventum est, ut devictis Gallis Ducatus Insu-brum cum ditionibus aliis redderetur Cæsari, Parma verò & Placentia denuò Pontifici. Pactis & votis respondit eventus an. 1521. vincente Franciscum Regem Cæsare, & fidem Pontifici constanter servante. Qua igitur ratione Carolus V. an. 1526. de *Parma & Placentia Ecclesiæ Cardinalibus confessus fuerit, easdem urbes nuper ab Imperio avulsas NB. restituisse se Ecclesiæ, cùm tamen jure non teneretur?* Quis, obsecro, possit adeò sibi ritè combinare, aut componere? De foedere enim Pontificem inter ac Cæsarem inito nemini non constabat; nihilominus Carolus adeò foederis hujus immemor de jure mutuo nihil ampliùs meminisse potuerit, curtissimæ memoriæ Imperator? Quis verò author talium de Cæsare? Accipe responsum: Hippolytus taliū monstrorum est author; quin erravi, Sleidanum is sequitur solum authorem, dignissimum scilicet fide Historicum, de quo Briethius fol. 831. his refert verbis: obiit hoc anno 1556. *Joannes à Sleida Ubiorum oppido dictus Sleidanus, sine cognomine, quia spu-*

rius; altero captus oculo, apud Bellajum Cardinalem enutritus, factus Lutheranus, vel Calvinianus, fugit Argentoratum, ubi suam scripsit historiam; sed ea Fide NB. humana, quam exspectare debes ab eo, qui Divinam ejurârat. Si Hippolyto ad manus fuisset Hübneri tomulus III. certiora procul dubio colligere licuisset, & quidem methodo authoribus probatis satis rara: Hübnerus enim eodem tomulo fol. 466. talia refert: anno 1514. Cum Galli bello Italico fessi quiescerent, Julius II. Pontifex Parmam & Placentiam sibi vindicavit invito Cæsare Carolo. Obstupesce, Lector amice, accuratam Hübneri Chronologiam: Carolus V. anno 1516. Hispaniæ Rex, anno autem 1519. Imperator creatus, fortè jam repugnabat Julio II. an. 1514. annorum quatuordecim adolescens! Parmam ac Placentiam vindicandi sibi Pontifici fortè jam fortissimè obsistebat nondum belli aut militum Dux, nondum Rex, nondum Cæsar! Verùm his miris longè magis admiratione est digna Julii II. Pont. urbes vindicandi industria: anno enim 1513. ex communi Historicorum calculo jam satis concesserat Julius 9. Kal. Martii: nihilominus teste Hübnero anno 1514. Parmam & Placentiam sibi invito Cæsare Carolo vindicavit. Res sanè prodigio major! Verùm ne de injuria hinc sibi irrogata habeat, quod queratur Hübnerus, aut hæredes Hübneriani, examinare ne tædeat eodem tomulo III. fol. 163. quo folio Hübnerus ipse Julium II. Pont. an. 1513. extinctum perhibet testis contra se omni exceptione major. En! Lector amantissime, quàm cautò oculò legere oporteat Scriptores Lutheri pedisse quos!

Reflexio ac Responso V. ad V.

DUm de Ducatu Würtembergico orditur dicere Hippolytus, continuò vociferari, & exclamare me cogit æquitas: *audiatur & altera Pars*: si enim Hippolytus Ducum Würtembergicorum gesta legisset cautius, non incautè sustinuisset scribere. Rem igitur Würtembergici Ducis Ulrici sic habeto:

An. 1495. à Cæsare Maximiliano I. Eberhardus I. ob egregiam fidem, & præclara facinora in numerum Imperii Ducum insertus, vitam mox finit, relinquens toti Imperio ardens sui desiderium. Successère genitori Eberhardus II. & mox hujus frater Henricus, parenti haud pares filii.

fili. In horum locum venit Ulricus I. qui tenera ab ætate avum jam æmulari visus, ab eodem Maximiliano Cæsare, majorennium, ut vocant, privilegiò an. æt. 16. donatus, venientibus annis adeò se probavit Imperatori, ut anno 1510. inter Archi-Duces Austriæ, & Duces Würtembergiæ rarum amicitiae fædus coaluerit, quo sese mutuo fratres salutare statuerunt. Verùm brevi temporis intervallo tantam sui metamorphosin ostendit Ulricus, ut Sabinæ Alberti IV. Ducis Bavari filiae missò repudii libellò, & nimis triburis, ac numerosis venatorum copiis, nec non Ducis sui vitiis aliis fatigati subditi, eidem bellum indixerint, freti maximè auxiliis ex fœdere Suevorum jam ad pugnam paratis. Animos, & calcar addidit sua sponte ad seditionem pronis Reutlinga urbs Suevica ab Ulrico irritata. A tot hostibus itaque victus, ac fugatus relicto Ducatu suo in montem Bellicardum, & inde in Galliam aufugit, locum, non mores mutans: à Francisco enim Rege clam acceptis pecuniis conduxit milites Imperii hostes. Interea urbes Sueviæ fœderis nexu colligatæ, ut damna hoc bello data resarcirent, Ducatum Würtembergicum jure belli sibi comparatum vendidère an. 1520. Cæsari Carolo, nemine Electorum in Imperio reluctante.

Eundem hunc Würtembergiæ Ducatum à Carolo Ferdinando fratri concessum lapsis annis recuperavit Ulricus, Francisci Regis & Philippi Hassiæ Ducis adjutus copiis. Quare ut armis poneretur modus, confines maximè in Imperio Principes Præsede Ferdinando ita cum Ulrico consensère, ut is Ducatum suum equidem reciperet, deinceps tamen non Imperii, sed Austriæ Archi-Ducis Feudum diceret eo pacto, ut si hæredes Ulricum, aut hujus posteros deficerent, Austria sibi Würtembergiam jungeret. Ita ipsimet ferme Hübnerus, & Erdmannus suis perhibent libellis, nunquam nimium Austriæ tribuentibus. Laudo igitur hinc multis laudibus Hübneri & Erdmanni fidem, qua utriusque partis argumenta palàm fecère, diversi rursus ab Hippolyto, qui nec syllabam de Ulrici vitiis, nec verbum de Reutlinga, nec literam de subditorum jugo, nec literulam de amissa victoria, nec apicem de fuga fugientis ad Galliæ Regem, & Hassiæ Ducem, Cæsaris hostes, nec pilum de fœdere Smalcaldico, cujus pars etiam fuit Ulricus, nec hilum de Sueviæ urbibus

bibus Würtembergiam Austriæ vendentibus, nec jota unicum de Austria-
corum beneficiis in Würtembergiæ Duces collatis, nec denique signum
modicissimum nobis in suo libello reliquit de pactis ultimis partes inter
utrasque stabilitis. Profectò Cambyfes Persarum Rex vivo Hippolyto
detraxisset pellem tribunali judicis superimponendam, si sic Persicarum
partium causas judicasset.

Reflexio ac Responsio VI. ad VI.

Hippolytus ne quidpiam omitteret, quod Austriacis vel eminus in-
vidiam posset conciliare, uberem fecit mentionem civium etiam
Constantiensium, quorum sortes miseratus dolet oppidò, quòd
Ferdinando Romanorum Regi à Carolo fratre fuerint subjecti, nunquam
deinceps libertate Imperii aurea fruituri. At Hippolyti querelas simpli-
ces, vicini Constantiæ Suevi, quin ipsi Constantiæ cives non modò risi-
bus, sed etiam cachinnis excipiunt hac nostra ætate, qua ex asse omnes
Romano-Catholici, & Austriæ addictissimi admirantur suorum ma-
jorum quondam inconstantiam, & proptervam ad novas Zvvinglii, aut
Lutheri doctrinas propensionem, ac pronas in scædus Schmalcaldicum
animorum impetus, nec non surdissimas denique aures ad quævis salu-
berrima documenta & hortamenta. E contrario admirantur & demis-
sissimè venerantur longissimam viginti, aut pluribus annis Austriacorum
Cæsarum in civitatem hanc indulgentiam, mansuetudinem, clementiam
&c. quibus omnibus spretis tandem an. 1548. reluctanter tanto tempore
urbem haud Imperii copiæ, sed *Hispanæ suppetiæ* subdidere Ferdinando I.
Constantiam more reliquarum Austriacarum ditionum deinceps constan-
ter parituram. O! felicem te igitur modò Constantiam, quæ a pertis
nunc oculis intueris crebrò priorum seculorum caliginem, commiseratione
potiùs, quàm iracundiâ dignam! Zvvinglium tuum quondam in-
digenam condemnas non minùs, quàm Hussium, Constantiæ quondam
inconstantis testes longè pertinacissimos. Vicinas Helvetiæ partes pariter
doles, quæ dum liberum optavere sibi ab Ecclesia Romana & Imperio
frænum, incidere earundem nonnullæ in Zvvinglii servitutem, servituræ
deinceps multis tum domesticis, tum externis, utinam Dominis non ri-
gidiori-

gidioribus, quàm quondam Austriacis! Vide *Chronicon Basileense & So-
lodorense an. 1548. Item Annal. Constant. eod. anno.* Vide etiam *Reflexio-
nes priores.*

Reflexio ac Responsio VII. ad VII.

EVincat jam Hippolytus, aut hujus sectator Erdmannus, quo nefario
ausu jurata Capitulationis suæ capita Cæsar perjurus infregerit, dum
vel Italiæ, vel Germaniæ urbes libertatis Imperialis beneficio in
scelerum poenam privavit. Jusjurandum, teste vel ipsa Jurisprudencia,
est illius virtutis, ac indolis, ut inter duos vel plures mutuò compromit-
tentes nunquam unus ligetur non ligatis cæteris. Notissimum verò eti-
amnum hodie in vulgus est, qua eleganti concordia Imperii Proceres,
præsertim Boreales Cæsari Carolo in propugnandis Imperii bonis & ju-
ribus adstiterint; quo robore jurata mutuò Capitulationis capita ipsi cu-
stodièrint; qua item constantia Bullam Auream, Imperii Regulam, nec
latum unguem transgressi fuerint per annos imperantis Caroli uni-
versos. Anno quippe Imperatoris jam I. Christi 1519. Fridericus Sa-
xonix Elector Lutherum, turbarum in Imperio authorem, sibi prote-
gendum servavit, contraveniens inter 34. Capitulationis Carolinæ capita
capiti omnium primo, quo Carolus præsentibus Electoribus sacramentum
dixerat, *se Christianum populum, Sedem Romanam, & Pontificiam dignita-
tem, atque Ecclesiam Romanam universam tanquam Ecclesie Advocatum
constantissimè defensurum &c.* At quàm fidelem tunc Sedi Rom. Aposto-
licæ, Romano Pontifici, & universæ Ecclesie se ipsum probavit Lutherus, tam
fidus, ac fidelis extitit ipse Elector Fridericus, & hujus Successor Joannes
Fridericus, trahens in suas suarumque partium partes nunc Saxonix Du-
ces, nunc Brandeburgicos Principes, nunc Hassiæ Marchiones, nunc Gal-
lorum Reges, nunc liberas Imperii urbes, nunc demum etiam haud ob-
scure Solymannum Turcarum tyrannum. Omnem equidem movit, &
removit lapidem, laboribus, quin & doloribus perpetuis assuetissimus
Cæsar, ut quod in præsentia Imperii Procerum, obedientiam sponden-
tium, & ipse vicissim illis sponderat, opere ipso posset perficere: ve-
rùm moventi omnem lapidem opposuerunt perpetuos obices cum Sa-
xonix Ducibus hostes etiam in Imperio permulti, quos calamus refugit

pluribus perstringere. Ut quispiam saltem Imperatoris labor ac dolor pateat, ex Historicis non tam Catholicis, quam Lutheranis pono ob oculos Imperii Comitia continua sequenti serie, ita tamen, ut simul in oculos incurrat *Principum multorum* in Imperio labor, fides & constantia: hac enim ratione similia inter se comparata, aut potius contraria juxta se posita magis elucescent.

An. 1519. mortuô Maximilianô I. Francofurti, in odium potius, quam in favorem Caroli in Cæsarem mox eligendi, *Capitulationis* vel nunquam hætenus usitatae, vel suis è cineribus antiquissimis resuscitatae, multa capita, scilicet num. 34. Carolinis Legatis fuerunt præscripta, Cæsari dictô sacramentô servanda, quæ legi possunt apud Masenium in Anima Histor. fol. 33. Goldast. part. 2. pag. 181. Limnæum lib. Capitulat. Imper. fol. 38. Vide etiam Münchmayr Jus public. fol. 76.

An. 1521. Conventus Imperii est celebratus, in quo de Regimento (ita vocabant) Germanico agitata fuere consilia in odium Caroli Imperatoris, ne scilicet tantus jam Imperator, & tantus Rex, potentiâ suâ minores potentias terrere, aut absterere in re quavis deinceps valeret. Vid. Erdman. fol. 922.

An. 1522. Norimbergæ confessus Imperii Principum statuit, primò contra turbatores Imperii omnes X. Circulos severissimè animadvertere. Secundò promissa Cæsari contra Turcas auxilia non negare. Tertio Controversias Dogmatum futuro Concilio examinandas servare. Verùm promissis non steterunt *multi* in Imperio Status.

An. 1524. Spiræ convenere Imperii supremi Consules, qui ediderunt auctore Cæsare edictum Luthero contrarium, unde motus Joannis Electoris & sociorum.

An. 1526. Spiræ Imperii Conventus fuit habitus, in quo de Religionis concordia frustra consultum.

An. 1527. Eslingam Virorum in Imperio Principum pervenere Legati, Comitiorum deinceps multorum duntaxat futuri prodromi.

An. 1528. Ratisbonam vocati, haud tamen comparuere Imperii Proceres multi, suomet arbitrio, aut suarum partium studiis multa turbantes.

An. 1529. Spiræ congregati Viri Principes concordans animos Ecclesiæ red-
dere

dere laborabant; sed ob Protestantium conatus optatus non respondit eventus.

An. 1530. Augustæ Vindellicorum congregatos adesse sibi jussit Carolus Imperii Primores, ubi tamen inter continuas Protestantium turbas nec paci, nec Ecclesiasticæ concordia supererat locus. Atque ne superesset deinceps, cudi coepit foedus Schmalcaldicum.

An. 1531. Petente magis, quam postulante Cæsare Coloniae convenere Sex Imperii Electores, ut Ferdinandum Caroli Cæsaris fratrem, Romanorum Regem eligerent, quæ tamen electio cum variis summi momenti negotiis vix non recidit in vanum.

Eodem anno Spiræ Imperii Conventus fuit inchoatus, sed

An. 1532. Ratisbonam translatus, in quo de expeditione contra Turcarum impetus suscipienda vix non frustra quæstiones fuerunt motæ, ut maturis consiliis occluderetur via.

An. 1541. Ratisbonæ Conventum egere Supremi in Imperio Arbitri, de Ecclesiæ damnis deinceps evitandis consulturi; sed & hic incassum.

An. 1542. Spiræ præsentis Imperii Septemviros erat videre; verùm & hoc loco de suppetiis contra Solymannum mittendis haud seria insonuere promissa.

An. 1543. Spiræ denuò Cæsari à præsentibus totius Imperii membris contra Gallos & Turcas foedere conjunctos promissa fuere auxilia, animò differendi magis, quam citò ferendi.

An. 1545. Spiram convocans Imperii Principes Carolus, votis suis haud fuit damnatus, pluribus eorundem Principum ad arma Cæsari inferenda, quàm ad dandam Pacem pronioribus: unde prope Ingolstadium comparuere Protestantium facillè 100000.

An. 1548. & 1550. Augustæ Vind. Comitia Imperii fuerunt coacta, in quibus nulli pepercit labori Imperator, ut Ecclesiæ Romanæ succurreret; sed à partibus pertinaciter contrariis plurimum fuit impeditus.

An. 1552. Protestantes Transactionem Passaviensem extorserunt, Mauritio Saxonæ Electore Cæsarem deserente, quin etiam animo maximè hostili agente: unde relictis impedimentis vix Oenipontò auffugere licuit Cæsari incolumi.

An. 1553. Augustam vocati haud comparuerunt Imperii Status multi, ad mandata Cæsaris partim intenti amplius.

An. demum 1556. Ratisbonæ, Carolo adhuc imperante, Imperii negotia præsentibus Arbitris fuerunt ventilata; verum nunquam impetrare li-
uit optatam Ecclesiæ pacem.

Hanc ipsam Comitiorum publicorum seriem NB. (liceat denuò in-
finuare) ex Lutheranis potissimum Scriptoribus (vid. Erdmannum fol.
922. & seq.) colligere placuit, ut ex ipsorum confessione publica haud
obscurum fieret, quantâ operâ Imperii universi emolumento studuerit
Quintus Carolus, quibus maximè salutaribus mediis ejusdem univer-
sam salutem procurare enixissimè desiderabat: Ecclesiæ namque pacem
reddere, Concilium Oecumenicum ex Pontificis nutu cogere, & Turca-
rum tyrannos procul armis pellere &c. desideriiis summis, & molimi-
ne suo validissimo annitebatur. Quis verò tanto Cæsaris labori respondit
fructus? Quibus animis & viribus Cæsaris cœpta secundabant *Imperii co-
lumnae, Patriæ Patres, sacrum Imperii ædificium circumspectâ prudentiâ, so-
lerti pietate sustentantes*, quales passim etiam in Bulla Aurea, & aliis vocitan-
tur libris? Obstupescite constantes variorum Principum in Cæsarem ani-
mos, ingentes labores, & pares labori fructus! in Comitibus vel non com-
paruere, vel Cæsari apertissimè contradixere; *Electores Cæsari addictos* ar-
tibus variis sibi attraxere; rei privatæ rempublicam postposuere; supre-
mos rerum etiam Ecclesiasticarum arbitros semet constituere; Romano-
rum Pontifices, & Cæsares conjunctis animis, odiis, & armis impetiere;
cum vicinis, & remotis regibus inimica Pontifici ac Cæsari foedera pepi-
gere; Imperii urbes, scilicet Metam, Tullum, Verodunum, Argentora-
rum Gallorum Regi Henrico II. ex pacto Cæsari summè acerbo tradidè-
re; promissa auxilia negavere; cum ipsis Christi, ac Christianorum jura-
tis hostibus nunc occultas, nunc apertas amicitias coluere, Mahometanis,
quàm Christianis sæpe æquiores. Ita medius fidius ipsissima Seculi XVI.
acta publica non Pontificiorum modò, sed & *Heterodoxorum Scriptorum*
haud inficiantur, eo tamen discrimine, quòd hi fateantur obscure, & sub
nequam pallii tegmine, quæ illi testantur super tecta, & in lumine. An
nihilominus his omnibus insuper habitis *Carolus V. audiat privati commo-
di*

*di procurator studiosissimus? honoris, ac gloriæ Austriacæ amator arden-
tissimus? turbator Imperii maximus? pactorum juramentò firmatorum
transgressor perjurus? humani ac divini juris violator apertissimus? ty-
rannus Imperii inter tyrannos Austriacos aut primus, aut nulli secundus?*
Obstupescis, ni fallor, Lector attonite, Caroli V. & Austriacorum Cæsa-
rum hæc nova nomina! Verum desine mirari: antiqua enim sunt in Hip-
polyto, & hujus amicis Scriptoribus hæc vocabula, & hæc Austriacorum
encomia, quæ si ad æquitatis trutinam appenderis solerter, sententiam fe-
res virò dignam. Si Caroli V. hostes multos condemnabis, te mihi
amicum amicissimum dabis; nec enim ego ab illis stabo, quorum fre-
quenti impetu validè concussa est Ecclesia, & Imperium. Concussa est,
inquam, Ecclesia, & Imperium, sed ita, ut firmarentur magis ex infirmitate,
& ex rimis novas acciperent rupes, vel etiam ex Saxonia nobilissimas.

Reflexio ac Responso VIII. ad VIII.

OTer beatum terque felicem Lutherum, qui non solum Saxonix,
Brandenburgix, Hassix, Württembergix, &c. Duces, sed tandem
etiam Suecix & Daniæ Reges, &c. quin & Carolum V. cum ne-
pote suo Maximiliano II. ad redivivæ Ecclesiæ lucem ac lumen perduxit,
in mortis denique articulo, summò Superum beneficio aperiens Cæsarum
horum oculos, ut deinceps minimùm *lux essent in Domino, & fulgerent
quasi stella in perpetuas æternitates. Daniel. 12.* Hunc ferme in modum de
commemoratis Ducibus & Regibus, atque etiam de Carolo V. & Maximi-
liano II. Imperatoribus testari non dubitavit Hübnerus & Erdmannus, te-
stes utique omni denuo exceptione majores. Verum enimverò audire ne
pigeat tantorum testium testimonia & argumenta Romanis Petris longè
solidiora. Erdmanni testimonium ita habet: *Constantius Carolo V. opta-
tus conscientie arbiter docuit hunc Principem NB. in sola Jesu Christi con-
fidere merita: quod dogma fidei tantum solatii attulit Carolo, ut Lutheri do-
ctrinam de justificatione peccatoris suam faceret; allatis ex sacro Codice vo-
cibus se confirmaret, & D. Bernardi verbis usus in Salvatorem suum solum
confideret.* Folio autem 1023. de Maximiliano II. isthoc testimonium af-
fert: *Cum Dom. Lambertus Gruterus egrotantem Imperatorem accedere
pararet, in conspectum haud admisit prius, quàm Cæsari spontè disset, se de*

aliare, quàm de pretiosis JEsu Christi meritis & passione non prolaturum verba. Gruterus igitur cum data fide de re alia non locutus fuisset, quaerebat abs Cesare, an ita statuisset mori? Respondit Maximilianus: non aliter faciam. Haecenus Erdmann.

Hübnerus verò ab Erdmanno multum diversus allatis suis testimoniis ait: Quòd Carolus V. suo testamento nullam de Monachis mentionem inserueri, motam Hispanis fuisse suspicionem, fortè à Carolo Lutheri dogmata in fatis ultimis fuisse probata. Argumento autem esse etiam hodie, quod conscientiae ejus arbiter Constantius Pontius S. Inquisitioni suspectus in carcere mortem obièrit, cujus proin jam mortui imago flammis absorpta Constantii vices suppleverit. Haec de Carolo V. Hübner; de Maximiliano asserit: Quòd agoni proximus Episcopo Neostadii omni aditu interdixerit, donec de re alia, quàm Christi meritis se non dicturum recepit. Magnum chaos jam inter me meosque adversarios positum intueor; ego enim utrumque hunc Caesarem Romanae Ecclesiae addictissimum inter Coelites colloco: Hübnerus & Erdmannus è diametris mihi oppositi, Lutheri imitatore utrumque dicunt Caesarem, & caelo inserunt sine fine beatum. Quænam pars fide dignior, dispiciendum modò.

Si eò devenère jamjam morituri Imperatores Carolus & Maximilianus, ut de re alia suggeri sibi verbum, quàm de solis Christi meritis abnuerint, in fine profectò corruerunt opus suum prius tam præclare ceptum: qui enim de re alia, quàm de solis Servatoris nostri meritis abnuit audire verbum, nec Divini Patris, nec Spiritus altissimi curam amplius admittit ullam, Orationis Dominicæ oblitus totus. An tu verò, Hübner, aut tu Erdmann, eos Lutheri imitatores audes appellare, qui Deum trinum & unum nec inter mortis angustias in suppetias vocant, solius Christi memores? Oblivisci etiam non potestis, in Confessione vestra Augusta proposita comprehendi 28. articulos Lutheranae Religionis compendium: an nec horum meminisse juverit eum, qui Lutherum moriens doctorem sequitur? An nec de extremo judicio, nec de damnatione aeterna, quæ etiam sunt vestra dogmata, verbum proferat ille, qui pia suggerit morienti? Hercle qui talia affirmat, toto ore Lutherum negat, & se prorsus novæ auctorem probat sectæ. Adverte, Lector amice, quàm imbecille sit princeps

ceps Hübneri & Erdmanni testimonium, quo Carolum V. & Maximilianum II. Lutherò asserunt. Verùm audiamus argumenta reliqua.

Carolus V. sub speciebus geminis Dominicam sumpsit Cœnam. Erdmann. fol. 997. Itane Erdmannus de Carolo V. & fortè solus? Ita profectò Erdmannus solus; nam nec Hübnerus refert talia, nec ipse Erdmannus Authores affert: minùs ego præter unum hunc inveni ullum alium. Verùm quid, si à vero non ablueret Erdmannus solus? Quid si vel Carolus, vel ullus Austriacorum Caesarum alius cibum Dominicum sub panis ac vini specie occultum porrigi imperâset sibi? an hac ex causa Lutheri placita probâset uspiam? Minimè gentium: vel hodie enim Sacerdotes quivis in Romana Ecclesia sub specie gemina latens Servatoris Dei corpus in cibum sumunt; & Gelasius Romanorum Pontifex eam sumendi copiam cunctis præscripsit fidelibus, atque hodieum præscriberet Benedictus XIV. si hunc sumendi modum suaderet necessitas, aut gravior ratio; sine quibus Tridentinum Concilium, & ejus Theologi cum Philosophis pronuntiant: entia sine necessitate non sunt multiplicanda.

Cornua erigit jam aries fortior ab Erdmanno simul & Hübnero adductus: Carolus V. (ut ajunt) mori didicit ex Luthero, quoniam conscientiae ejus arbiter de hæresi suspectus in carcerem missus occubuit. Hic nodus Gordius, quem, qui solverit, sequetur grande præmium. Verùm edicite, quale nomen huic arcano conscientiae arbitro? quæ patria? unde domo? De domo & de patria Hübnerus & Erdmannus meminere nihil. Nomen Constantii affingit uterque, Hübnerus addit Pontii cognomen. Rem tamen acu tanget uterque: quàm bellè enim in re & nomine tum inter sese, tum inter authores à se diversos conveniant, jam solerter attendendum. Erdmannus ait, Constantii jam in carcere extincti effigiem flammis fuisse absorptam: Hübnerus cadaver Constantii è sepulchro erutum ignibus fuisse datum. Erdmannus de testamento Caesaris altum silens, Constantii conversionem Caroli gratus adscribit: Hübnerus Monachos testamento Caesaris non insertos ansam suspicandi præbuisse, ait, Carolum Lutherò addixisse animum &c. Profectò æquè concordant bene Hübneri & Erdmanni testimonia, quàm duorum libidine accensorum senum argumenta, quorum alter sub prino, alter sub scbino Susannam in scele-

scelere deprehensam coram Daniele per summam injuriam criminabantur. En igitur Hübneri & Erdmanni inter sese concordiam prorsus raram! *Jacobus Masenius Germanus, Philippus Briethius Gallus, & Antonius Forestius Italus* paululàm ampliùs concordant quàm duo Saxones. Masenius fol. 204. his verbis refert: *Carolus, postquam in Hieronymiana sua eremo inter Religiosos Viros, anniversaria Matri funebria persolvisset, cupiditate easdem quoque funeris exequias sibi appositè ad animæ suæ expiationem persolvendi captus, postquam illius loci Religiosum Joannem Regulam, quo ad conscientia moderationem utebatur, consulisset, neque is, licet insolitum pietatis opus, affectanti Carolo prohiberet: apparatus sibi funebrem, tumulumque ceu jam mortuo media jubet æde exequialem surrigi &c.* Notandum probè, Conscientiæ Carolinæ arbitrum, non Constantii, sed Joannis Regulæ fuisse nuncupatum nomine. Folio 205. ita prosequitur rem Masenius: *supervenit adhuc spiranti, præsentique (Imperatori) Archiepiscopus Toletanus Bartholomæus Caranza ex Ordine Dominicano Presbyter, qui ut Carolo in vita æstimatus, ita in morte gratus solatio ad bene sanctèque moriendum fuit &c.* Masenio concordet Briethius & Forestius pluribus pergunt rem prosequi: prior enim an. 1559. fol. 834. ita recenset: *Philippus II. (Hispaniæ Rex) severè animadverti jussit adversus sese insinuantes in Hispaniam hæreticos, exemplò Francorum doctus, initius potissimùm ejusmodi hominum insanie esse providendum. Quando & Bartholomæus Caranza Archiepiscopus Toletanus suspectus duntaxat hæreseos in carcerem datus est; sed hunc defendit Martinus Navarrus Aspilcue-ta, qui eum nunquam deseruit. Catechismus ejus inter libros prohibitos adhuc numeraretur; unde minimùm suspectus esset, nisi tantum ad stipulatorem habuisset.* Hæc Briethius. Forestius in Serie Roman. Pont. inter gesta Pauli IV. fol. 434. ita refert: *eadem tempestate Toleti Archi-Episcopus, & Hispaniæ Primas erat Bartholomæus Caranza, quem Mirandam etiam nuncupârunt de patria sua Navarræ urbe. Vir hic erat apprimè doctus, probus & prudens; unde tam Philippo Regi, quàm Carolo Cæsari pretiosum se fecerat, quorum posteriori solator adstiterat morienti. Nihilominus tanta viri auctoritas non securum servavit ipsum à tonitruis severissimæ Inquisitionis; ad Pontificem enim de hæresi delatus, & eodem jubente in custodiam datus, ac, quòd ad Romanum Præsulem appellasset, Romam translatus, sub*

Pon-

Pontificibus Paulo IV. Pio IV. & V. multa dura perpeffus fuit. Tandem mandante Gregorio XIII. condemnatis suis publicè erroribus, commorantibus ad S. Minervam Patribus traditus vitam finiit an. 1576. vir inter adversitates perpetuas constans sibi, & ex Dei arbitrio unicè pendens. Hucusque Forestius. Atque ex hac Forestii, Briethii & Masenii concordia liquet, quàm parùm Hübnerus & Erdmannus convenerint in re & nomine tum conscientia Carolinæ, arbitri Sacerdotis, tum etiam illius Præsulis, qui Carolo V. agenti animam tulit opem. Verùm fingamus licet, Caranzam Toleti Præsulem non modò de hæresi suspectum, sed verè in errores incidisse Romæ adversos; an hanc ipsam continuò ob causam suas in casses traxerit Carolum V. paulò antè inter turmas Heterodoxorum sibi constantissimum? an, quia Carolinæ conscientia arbiter à doctrina Romana fuit diversus, igitur & Carolus? facessite procul hinc Philosophorum probra! sequelas certè istis pares nec docuère Peripatetici, nec Stoici, nec alii qualescunque suo nomine digni Philosophi. Aut si hæc philosophandi aridet methodus, in rem meam serviet magis: formo hinc & ego sequelam non absimilem. Caranza Caroli V. in agone solator etiam in carcere & morte aberrare à doctrina Romana nunquam fuit notatus: igitur à doctrina Romana non aberravit Carolus V. Verùm non solabor ego me his rimosis mænibus: firmiora conscendo propugnacula, robustiora asfero argumenta. Hinc solerter notabo indicia reliqua, quibus brevè moriturus Carolus suam Ecclesiæ probavit in Fide Romana constantiam.

- I. Die ante Cæsaris obitum non diu præterito theatrum funebre ipse Carolus sibi erexit, & sacra fieri curavit à Monachis more Romano, ubi Sacerdoti ad aram facienti propius appropinquavit, & ardentem cereum in manus consignavit his verbis: *Domine Deus, in cujus manu sunt vita & mors, oro te enixissimè, ut quemadmodum accipit à me Sacerdos hunc ardentem cereum, ita tu recipias in manus tuas spiritum meum.* Tum verò humi prostratus mortem provocavit, & invalescente magis morbo dierum paucorum compendiò vitam absolvit. Hæc sunt ipsissima ferè Erdmanni verba ex Germano in idioma Latinum translata. Vid. fol. 996.
- II. D. Bernardi verbis semet excitans ad ritè moriendum Carolus, repetebat has crebrò voces: *in me mane, dulcissime Jesu, ut ego in te maneam!* Hübner. tom. I. fol. 1021. Erdman. 997.

R. P. Kolb series Impp.

K k k

III. Ac-

III. *Acceptam in manus suas Crucifixi Dei imaginem crebris basibus honorabat, & pectori admovebat, &c.* Erdman. fol. 997.

Omissis jam centum aliis argumentis tria hæc nobis sufficiant signa, quibus demonstratur Quinti Caroli in Romano dogmate perseverantia: quæ enim manifesta magis indicia à mox morituro Cæsare possit sperare Romana Ecclesia, quàm talia, qualibus Carolus V. studuit æmulari verba & exempla D. Bernardi Doctoris ex asse Romani? Malim hinc ego pronuntiare de hoc Imperatore, quòd nunquam Lutheri, sed D. Bernardi amplexus sit dogmata in vita & morte factus *Bernardinus, nunquam Lutheranus*. Æmulari probè didicit etiam Carolus V. exempla Cæsarum Caroli M. & Lotharii II. quorum prior D. Augustini, posterior verò D. Bernardi haud pauca apophthegmata sibi familiaria fecerant, ut discerent cum Deo in crucem acto loqui, vivere & mori.

Quæstioni ampliùs subjicio Erdmannum. Respondeat, obsecro, an posset desiderantibus desiderari genuinum magis Romanæ Fidei argumentum à moribundo Imperatore, quàm in Augustis manibus arctissimè constricta Christi Patientis Imago, frequentibus osculis salutata, pectori admota, & mentis imagini mille affectibus impressa? An, obtestor vos omnes in Romano Imperio urbes, & oppida Luthero devota, an vidistis uspiam ex vestro gremio in Servatoris nostri effigiem adeò raptum hominem suæ in mortis articulo? Planè non existimo: novit enim verò non nisi perbene vicina nobis Wüitenbergia, & vicinior Duracensis Ditio cum non adeò remotis Imperii urbibus multis, ita remotas esse Christi è cruce pendentis effigies à defungentibus morte Lutheranis, ut longè propior sit crebrò ipsis effigies vana & profana, imò frequenter Veneri, quàm Virgini imago similior. Quid quæso vos, oggeritis vehementiùs Romano-Catholicis, quàm sacrarum Imaginum religiosum cultum, quem vos malè usurpato nomine, & pejùs quæsitâ interpretatione *adorationem, seu Latviæ cultum* dicitis? persuasissimum verò sit cunctis vestrum, neminem Romano-Catholicum in Dei pro mortalibus passi effigiem rapi affectu alio, quàm qualem ab Erdmanno vivis quasi coloribus depictum, reliquit nobis Carolus sanctè mortuus; qui cum Gentium Doctore Paulo procul dubio crebriùs pronuntiaverit: *Nos*
autem

autem prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. I. Cor. I. v. 23.

Nondum sit finis quæstionum, quibus in angustias redigatur Erdmannus; graphicè is describit, uti patet legentibus, Caroli vivi, velut jam mortui pompam funebrem. Affirmat pariter, emortualem missam fuisse celebratam; ceremonias item & orationes pro mortuis dici solitas à conductis Sacerdotibus concentu musico fuisse cantatas; auditas adhæc has voces crebriùs: *Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei, &c.*

Si ita res habet, jam non in sola Patientis Christi merita spem omnem deposuit suam Imperator Carolus, sed valorem haud infimum tribuere docuit orationi, aliisque functionibus sacris, more Romano offerri solitis in expiationem animarum. Iisdem animarum sacris muniis Christi Dei merita nullo numero terminata tum vivis, tum mortuis ritè applicari firmiter credunt Romani, pertinaciter negant Lutherani. Quidni autem impetrari à Servatore hominum Christo simili orandi, aut offerendi methodo queant auxilia fortissima, si teste Hübnero fol. 995. tom. I. Lutherus non rarò est ausus asserere, *se sua orandi methodo tantum opis atque auxilii à Deo impetraturum, ut, quamdiu inter vivos superstes foret, nullum ob Religionum diversitatem oriretur bellum mortiferum.*

His multis adde, sodes, in magno pretio fuisse Carolo V. missas, ut vocamus, funebres, quarum tamen authorem Gregorium M. fuisse, Lutheranorum plurimi non verentur scribere, & hanc ob causam erroris gravissimi reum condemnare. Purgandarum etiam post fata ultima animarum poenas sibi in animo versari, haud obscurè significavit Imperator, tam bellè componens cum vitæ exitu mortis exordium: quem enim alium in finem hæc cuncta fieri tam anxie desideravit? aut cur non eo ex tempore Lutherizantis, ut ita dicam, Caroli, Lutheranorum more mortui exempla secuti, ipsi etiam sibi curârunt celebrari sacra funebria, accendi cereos, æternam exoptari quietem? Patet nimirum inde discrimen oculatissimum Imperatoris Caroli inter, & Principum Luthero faventium dies funebres, quales si Lector fixis conspiceret oculis, & limato inter sese compararet iudicio, haud gravatè pronuntiaret, Im-

peratorem Carolum, & viros Principes illos in vita, & morte, toto coelo fuisse diversos, atque divisos. Fac, fingas tamen, Hübner, aut tu Erdmanne tibi, hæcenus à me nihil datum, nihilque dictum pro Caroli V. fatis dogmati Romano maximè consonis; nunquam tamen persuadebitis viro prudenti, jamjam morientem hunc Cæsarem in Lutheri viam spatiosam abiisse, nisi argumentis quovis pondere gravioribus intellectum humanum superare amplius longè laboretis: noverunt namque vel hodie Antipodes etiam, quàm probè perspectas sibi habuerit is ipse Imperator Lutheri, Melanchtonis & sociorum theses novas, nova dogmata. Ipsemet nempe Augustus Imperator inspexit crebrò novam credendi normam, Confessionem Augusto nomine appellatam. Auduit de eadem Confessione verborum quotidiana commercia; intellexit trivialia jurgia, lites, disputationes; præsens aderat conventibus publicis, Imperii Comitibus super causa Lutheri, & sequacium institutis. Supremus ipse Dux eos duxit in apertos campos commilitones, qui Lutheri affectas sclopis & gladiis, tormentis & machinis, ferro & igne ad veritatis tramitem reducere contendebant, ut vim vi repellerent, arma armis opponerent. In tanto tamen ordine, vel potius turbine rerum perrexit (testor etiam vestram fidem, Hübner & Erdmanne) Romano Præsuli constanter in Dogmate Fidei assentiri, cum eodem de Concilio Tridentum convocando consilia inire; ex ejusdem Romani Præsulis sententia Concilii Patribus adjutoriò suò potentissimo opitulari ac tueri, & demum deposito diademate in regnum re & nomine Catholicum secedere; cum viris religiosissimis usque ad fata ultima conversari, ritu Romano primùm genitrici regis, & tum vivus nondum mortuo sibi parentare &c. nihilominus adeò à se repente desciverit, & colorem mutarit, ut mortis proximus Romana Dogmata ejuravit? ad Lutheri placita transierit? unius viri in morte solatoris sui, fortè in Fide dubii, autoritate se mutatum totum ostenderit tam subito corvum, qui modò cygnus erat? Si talia sibi persuadeat cum Hübnero aut Erdmanno Lutherana cohors, tunc enim verò fas sit æquissimum exclamare: ô Superum hominumque fidem! quàm citò credunt Hübnerus & Erdmannus aliàs increduli! quàm leves sunt corde Lutherani! sanè non crederet ita leviter Judæus Anella

Maxi-

Maximilianum II. jam pluribus non moror; tam absona enim & infirma sunt, quæ de morte hujus Cæsaris confinxere Ratisbonæ fabulatores, ut argumentis pro Carolo V. & simul Maximiliano superiùs allatis satis superque noverit eosdem Lector confundere, & confutare. Id unum pro coronide responsi hujus ne detur oblivioni: idque perfecturi imitemur Philosophos; dabimus minimè concedendi, sed transmittenduntaxat animò, unum alterumve ex Austriacorum Cæsarum aut Archiducum stemmate eò denique Seculo XVI. perductum fuisse in lucta & angustiis vitæ ultimis, ut planè *aliquot Lutheri dogmata* probari sibi prodiderit palam; quid tum consequitur in rem Lutheri &c.? Hoc unum profectò consequitur momenti non exigui caput: nimirum in caliginosa tum Germania à Doctoribus Lutheri affectis sua suadendi, fallendi & fingendi methodo in errores adeò inductum fuisse Austriacum quoque Cæsarem, ut persuaderi permiserit sibi, revera absconditum per aliquot secula, sed nunc denuo accensum publicæ Lumen Fidei etiam affulgere sibi, quale seculis primis Romanæ Ecclesiæ affulsit universæ, in cujus gremio vivere & mori oporteat etiam Cæsarem, stare paratissimum. Tales verè illis temporibus teste Friderico Staphylo, (de quo inferiùs) extiterunt plurimi: Quin persuasissimum mihi habeo, multos hodie in Germania nomine tenus Lutheranos viros & foeminas probatis moribus vivere, quibus de dogmatum suorum veritate vix scrupulus, aut formido ulla fatigavit animum; aut si pulset atque fatiget, sinu excutiant quamprimum, pravaram tentationum more, in errorem inducti, uti dicimus, materialem, non formalem. Hos verò & his æquales nequaquam suos dicat Lutherus. Suos hosce omnes Roma constanter dixit, & dicet deinceps, tametsi verbò tenus negaverint Ecclesiam, quam confessi sunt tacito cordis affectu.

REFLEXIO IX.

Victoria! victoria! exclamarunt hoc XVI. seculo Lutheri- & Calvinianorum serè innumeri, dum Ducum in Imperio aliquot, & post Duces etiam Reges post vestigia Lutheri, aut Calvinii abiierunt, ejuratâ Romanæ Ecclesiæ penitus doctrinâ tanquam Pseudo-vel Anti-

Kkk 3

Chri-

Christianæ. Fridericus cognomentô Sapiens, Joannes Fridericus, & Mauritius omnes successu temporis Saxonix Electores, nec non Philippus Hassiæ Marchio multorum Virorum Principum coriphæi privato spiritu miris modis illustrati, armis genuinum Ecclesiæ lumen propugnârunt, licet aliquoties victi, ipsi tamen etiam victores, agere, & pati fortia didicere, redivivæ Ecclesiæ nova fulcra, columnæ fortissimæ, angulares lapides, Petris Romanis solidiores; quales nimirum solet conservare Saxonia Saxorum dives. Hunc ferme in modum ipse jam Lutherus diversas in plagas mittens epistolas gloriatus est, canenstriumphos, an Superis, an inferis gratos, didicerit ipse jam abhinc sesqui seculo & compluribus annis. Ita ex Virorum Principum factis metiuntur ante me multi etiam Ecclesiæ vices, præsertim illi, qui tantas in Ecclesia vicissitudines admiserunt, ut per secula etiam integra abscondi omnino Ecclesiæ lumen potuisse non tergiversentur dicere & mordicus defendere. Quare quemadmodum Lutherus sub Joannis Friderici & reliquorum Smalcaldico fœdere colligatorum Principum scuto sibi securitatem promisit securissimam; ita vel hodie cernimus, Lutheranos sub suorum Principum præsidio pugnare, & ad pugnas ab iis provocari Duces Catholicos. Dumque pugnant illi gladiis, *Erdmannus, Hübnerus* & commilitones multi certant calamis, ad pugnam provocant Scriptores Pontificios, posita ingenti spe ac fiducia in prædictis Saxonix, & aliis hoc seculo Lutherum secutis Ducibus. Non recuso certamen ego: certabimus aperta manu, Marte legitimo. Qui nostrum evaserit numerô Imperatorum, Regum ac Ducum &c. superior, eum sequatur victoria, & post victoriam triumphus.

*Viri Principes in Ecclesia Romano-Catholica Seculo XVI.
constantissimi, & ad eam reducti.*

An. 1505. diem obiit Alburquertius, ob assertam Lusitanis Indiam dictus cognomento Magnus, in quo rara fortitudo, & supra fortitudinem pietas, ac animarum zelus eminuit.

An. 1506. Christophorus Columbus Hispali piè defunctus est, vir terrarum marique celeberrimus, bene meritus etiam in Hispaniæ Reges, & in rem Catholicam clarissimus.

An.

An. 1507. D. Franciscus de Paula, *Thaumaturgus* vocatus, post multa miracula etiam Heterodoxis haud ignota, ad Superos evolavit, cujus corpus nulla sui parte corruptum, & post annos 55. inventum, ab hæreticis Turonibus fuit combustum.

An. 1515. Mortuus est Ferdinandus Gonsalvus à Corduba, vulgò dictus *Capitaneus Magnus*, ab omnibus expetitus & æstimatus, nimirum à Romano Pontifice, Veneris & Belgis, ad quorum ultimos invitante Carolo V. cum inclinaret, per vim, & invidiam retentus est Granadæ, vir quo majorem hæc ætas vix viderat.

An. 1521. D. Ignatius illustris Cantaber, dum Pompejopolis arcem fortiter defendit, tormenti bellici globò graviter vulneratus in pede, coepit esse antesignanus plurimis etiam ex viris illustrissimis ad Romana Sacra vel retinenda, vel amplectenda.

Eod. an. Emanuel Lusitanorum Rex diem extremum clausit, clarissimus bellis in Africa & Asia tam gloriose, quam religiosè gestis.

An. 1524. Petrus Caraffa, Nobilis Neapolitanus, & Marcellus Cajetanus, Vicentinus illustris, instituerunt Clericorum Ordinem, adscituri ex juvenibus, & viris stemmate clarissimis plurimos ad sui imitationem.

Eod. an. Joannes Verazzanus, Florentinus celeberrimus, sub auspiciis Francisci I. Galliarum Regis regionem Canadam invenit, quam novam Franciam appellavit, plantandæ ibidem Ecclesiæ Romanæ amplissimum campum aperiens. Anno sequenti cum alias ex aliis regiones lustraret, à Barbaris captus, & devoratus fuit.

An. 1529. Fridericus II. cognomine Sapiens, Palatinus Elector, cum Philippo Duce itidem Palatino, fortissimè propugnavit contra Solymani ingentes copias urbem Viennam, constantissimè servans cum fratre fidem Ecclesiæ Romanæ & Imperatori Carolo contra perfidos ejus temporis hostes; unde concedente Cæsare Fridericus pomum aureum reliquis suis insignibus inseruit.

An. eod. Reginaldus Polus S. R. E. Cardinalis, Henrico VIII. Angliæ Regi sanguinis propinquitate junctus, & Thomas Morus inter adversitates extremas defenderunt Ecclesiæ Romanæ & Catharinæ Reginæ causam usque ad annum 1535. quo plexus est capite Thomas.

An.

An. 1539. Georgius, Saxoniae Dux, ex linea Albertina mortuus, ob infirmitatem in Romanum Pontificem & Ecclesiam Romanam constantiam à *Luthero diaboli Apostolus* est vocatus. Is duobus filiis, Joanne & Frederico, præmaturè mortuis, ita suum instruxit testamentum, ut Henricum fratrem bonorum suorum hæredem scriberet, eo tamen pacto, ut si Romanæ Ecclesiæ adversaretur deinceps, hæres succederet Ferdinandus, NB. Archi-Dux Austriae, Caroli V. frater.

Circa hæc tempora Wilhelmus IV. & Ludovicus Bojariæ Duces Lutheranis omni Bavariæ aditu interdixerunt: Norimbergæ etiam contra eosdem foedus initum strenuè promoverunt, crebrò auditi dicere: *malle se millies mori, quàm latum unguem discedere ab Ecclesia Romana.*

An. 1540. Sub auspiciis Joannis, Lusitanorum Regis, D. Xaverius, Nobilis Navarræus, ad Indos navigavit totidem cum sociis in Asia conversurus facillè, quot Lutherus cum aëclis seduxit in Europa.

An. 1544. Regis Ceylani filius, ad Christi Aras conversus, sed cum subditorum suorum multis ab ipso parente tyranno pro Religione occisus, Martyrum auxit numerum, quorum mortem Superis placuisse, crux ignea in cælo cunctis attonitis ejus regionis populis ostendit.

An. 1548. Paris concessit Sigismundus, Poloniae Rex, anno ætatis suæ 82. Regni 42. heros omninò *Fortis ac Sapiens* meritò dictus; siquidem de Polonorum regno, & Ecclesia optimè meritus; quem ad se venientem Viennæ Maximilianus I. an. 1515. his salutavit verbis: *Hæc est dies, quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Respondit mox Sigismundus: *Serenissime Cæsar, utinam hic conventus noster sit felix ac faustus nobis, subditis nostris, & toti Reipublicæ Christianæ.*

An. 1557. Joannes III. Lusitaniæ quibusvis regiis virtutibus insignitus Rex, perpetua fruens pace, Orthodoxa Sacra non in Lusitania solùm, verùm etiam in Asia propagare conatus est conatu admodum felici.

An. 1559. Cosmus I. Hetruriæ Dux Magnus instituit Ordinem Equitum in honorem S. Stephani Pont. & Mart. studuit idem per annos 37. constanter esse addictissimus Romanis Pontificibus, & liberalissimus in pauperes, atque munificentissimus in doctos viros.

An. 1561. In Francia Mommorantius, vir per antiquæ profapiæ, & mul-

tæ

tæ probitatis, perspectis Hæreticorum moribus & doctrina, cum Guisii Principibus ex aëse constanter Catholicis sentire ex animo cœpit, Pontifici obedientissimus.

An. 1562. Antonius, Navarræ Rex, in oppugnatione Rothomagi contra Hugonotas suscepta, victoriam retulit, accepto simul lethali vulnere: unde ab Helvetiis triumphantium more in humeros susceptus exultavit, & gloriosam mortem invitavit.

An. 1563. Franciscus Guisius, regii exercitus ductor princeps, in obfidione urbis Aurelianensis in odium Fidei Romanæ à Poltrocio Mereo, conducto sicario, ex infidiis fuit occisus, ita subornato ab Archithalasso & Theodoro Beza.

An. 1564. Vitam absolvit Ingolstadii Fridericus Staphylus, Vir Græcæ ac Latinæ linguæ peritissimus, ac demum Ferdinando Cæsari à consiliis; fuit hic Lutheri Achates per annos 10. quibus elapsis ad Catholicos reversus docuit permultos sapere.

An. 1572. Philibertus Emanuel in Sabaudia Ordinem sacrae militiæ sub S. Mauriti patrociniò annuente Gregorio XIII. inchoavit, cujus Ordinis adminiculò multùm conservata, & aucta est res Catholica.

An. 1578. Joannes Austriacus 32. an. juvenis intempesta morte extinctus est eodem anni die, quo priùs Naupactinam obtinuerat victoriam. Hujus mortem luxit pars Ecclesiæ maxima, quam fortissimè ac prudentissimè defendit in Europa, & in finibus Asiæ.

Eod. an. Joanni Austriaco successit in Administratione Belgica Alexander Farnesius, Caroli V. ex Margaretha filia nepos, teste Brientio, & multis authoribus aliis, inter bonos Principes facillè Princeps, & Imperatoribus antiquioribus sine adulationis nota comparandus.

An. 1579. Vitam alteram auspicatus est Albertus V. cognomentò Magnanimus, Wilhelmi Bojariæ Ducis Dux filius, cujus laudes in universa Ecclesia & Imperiò fuere, & sunt vel hodie eximiæ. Ab anno 1550. usque ad annum hunc 79. tribus Imperatoribus, Carolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. fortiter sapienterque in ordinandis Imperii rebus adstitit. Ipsum Tridenti Concilium non dubitavit hunc Albertum dicere *firmissimum Apostolicæ Ecclesiæ propugnaculum.*

An. 1583. Henricus III. Franciæ Rex, Parisiis egregia virtutis exempla

in Ecclesia Romana duntaxat usitata commonstravit, cum poenitentibus publicis publicam & ipse peragens poenitentiam, praesens etiam Supplicationibus, addens nobilium sese flagellis caedentium seriem, & sacras peregrinationes cum Regina obiens. Author is fuit Equitum S. Spiritus; quod tam in Polonia, quam in Gallia die Pentecostes sacratissima fuisset Rex creatus, & tam inter Polonos, quam Gallos Catholicis plurimum probatus.

Hoc XVI. Seculo Christophorus I. Marchio Badensis defunctus est, genitor multorum filiorum, quorum tres, nimirum Jacobus, Carolus & Rudolphus in statu Clericorum Ecclesiam ornabant. Is Maximiliani & Caroli V. signa sequi, aut ducere nunquam destitit victor crebro gloriosus; unde in praemium relatæ victoriæ accepit Neoburgum in Helvetia, Comitatum Sauffenberg, &c. Variis quoque ditionibus, in Ducatu Luxemburgico fitis, donatus fuit; his & pluribus dignissimus, utpote domi forisque maximè strenuus, & bellorum tempore *Princeps Pacis* crebro nominatus.

An. 1586. Morte sua afflixit summè Stephanus Bathorius Transylvaniæ Dux & Polonorum Rex Rempublicam Christianam, utpote de Ecclesia Romana & regno suo meritis optimè.

Ejus Epitaphium hac methodo compositum esse fertur:

Stephanus Bathorius Polonorum Rex,

In templo plus quam Sacerdos,

In republica plus quam Rex,

In sententia dicenda plus quam Senator,

In iudicio plus quam Jureconsultus,

In exercitu plus quam Imperator,

In acie plus quam miles,

In adversis perferendis, injuriisque condonandis plus quam vir,

In publica libertate tuenda plus quam civis,

In amicitia tuenda plus quam amicus,

In convivio plus quam familiaris,

In venationibus ferisque domandis plus quam leo,

In tota reliqua vita plus quam Philosophus.

Eod. an. successit Sephano Sigismundus III. ex Joanne Suecorum Rege,

Rege, jam Lutheri partibus favente, & Matre Catholica Catharina natus, à teneris annis Romanis assuevit Aris, haud invito patre, ut hac ratione tam Suecorum, quam Polonorum sceptris liceret potiri. Verùm dum extincto patre inter Suecos Orthodoxæ Ecclesiæ locum pristinum ardentissimè postulavit, Suecorum regnò pulsus, amisit terrestre, non caeleste regnum.

Hoc Seculo Comites, Ducibus pares, Fürstenbergici in Suevia, togâ, & sagô spectatissimi, in medio nationis pravæ, circumcincti nimirum undique crebro hostibus, & à Romana Ecclesia transfugis, ea constantia pro Pontifice & Cæsare dimicârunt, ut à Romanis Præsulibus laudati, & Moderatoribus Imperii Supremis visi fuerint dignissimi, qui Principum Imperantium catalogo insererentur.

An. 1593. Henricus IV. Rex Franciæ, ex stemmate Borbonico primus, post varias belli aleas, post tumultus eodem in regno prorsus insolitos, post mille obices ab Heterodoxis oppositos, à se verò suisque partibus strenuè superatos, ab Episcopis suis Romana Sacra ritè edoctus, ejuravit quosvis Hugonotarum errores, Rex verè deinceps Christianissimus, *Magni* nomine dignissimus, ac hoc seculo quorumvis hæreticorum in suo regno terror maximus.

An. eod. Muleius Xequus, Mahometis Fessæ & Marocci Regis filius in Hispania cum aulicis suis fuit baptizatus, dictò Ecclesiæ Romanæ sacramentò.

An. 1596. Wilhelmus V. vulgò *Bellicosus* dictus, Bojariæ Dux, Alberti Magnanimi filius par patri, aut tanto patre major, in primis curis, & amoribus habuit Romanam Ecclesiam, & quasvis virtutes Christiano Principe dignas. Post Rempublicam annis 17. ex amissi ordinatam, filio Maximiliano Bavariæ totius fasces commisit; ipse verò per 30. annorum seriem sacris peregrinationibus, aliisque permultis in Ecclesia Romana laudatis muniis se totum consecravit. Ferdinandus & Ernestus, Wilhelmum fratrem sedulo æmulati, diversas tamen virtutis ac fortitudinis inière vias: hic enim tandem Coloniae Elector electus pedò, ille verò Belli-Dux fortissimus nunc Cæsaris, nunc fratris Wilhelmi copias dirigens, hostes Ecclesiæ gladiò strenuè superavit.

An. 1598. Inter ingentes corporis dolores ex mortali vita discessit etiam tum sibi constantissimus Hispaniæ Rex Philippus II. Caroli V. filius, tantus quorumvis hæreticorum osor, ut dicere fuerit auditus: si intelligeret, quemquam suorum liberorum in hæresin incidisse, se mox manu regia collecturum ligna, ut incendiò tolleretur quamprimum hic regius apostata.

Denique hoc seculo Joannes Constans, Elector Saxoniae, Lutheri æstimator præcipuus, & Augustanæ Confessionis propugnator, ac Protestantium Princeps fertur agoni proximus, conscientiae ac extremi iudicii terrore stimulante, ad Romanam rediisse Ecclesiam, damnatis Lutheri cunctis erroribus; postulasse adhæc seridò à Joanne Friderico filio ditionibus suis restitui Romana Sacra: ita constat ex authenticis literis, à Joanne Friderico mox post obitum patris ad Duces Bavariæ Wilhelmum, & Ludovicum datis, quæ legi poterunt in libro Viennæ edito, an. 1681. libri titulus est *Confessio, & Anti-Confessio Augustana*. Vid. Vit. Pichler.

Novi equidem, risu effusissimo excipiet hanc ultimam minimum Relationem meam de Joanne Saxoniae Electore datam Erdmannus, & quivis Luthero addictissimi; hinc videor mihi audire vociferantes! papæ quid risu & sibilis dignum magis? quid fabulis conformius? Verùm repono ego, & mecum mei: *risum teneatis amici!* an enim stringunt nos arctius illa, quæ Erdmannus & Hübnerus de Caroli V. & Maximiliani II. mortuali metamorphosi, aut sacrorum mutatione subitanea citatis foliis asseruere? Unde rursus moneo, *risum teneatis amici!*

Omitto hoc loco complures magni nominis Viros Principes, Romanæ Ecclesiæ assertores fortissimos, quos numeravit præter jam enumeratos per hanc annorum centuriam Italia, Germania, Hispania, Gallia, Anglia, Suecia, & Polonia, &c. quin & Asia, America & Africa. Omitto etiam Romanos Pontifices, S. R. E. Cardinales, Romani Imperii Electores Ecclesiasticos, Archiepiscopos & Episcopos, qui vel regio, vel alio Principali Stemmate ortum duxere, & in Republica Christiana documenta dedere, *qua sint origine nati*. Legat, qui volet, *Briethium, Masenium, Bzovium, Forestium*, quin *Hübne-*

rum

rum ipsum, vel potius quorumvis in Europa regnorum, & regionum monumenta, ac gesta librâs consignata; tunc procul dubio patebit rem æquò oculò consideranti, quantis passibus in comparatione Heroum, qui pro quavis à nobis diversa Religione steterunt, quantis, inquam, passibus Romana Ecclesia cunctis aliis à se alienis Ecclesiis antesteterit. Profectò si teste Luthero vel maximè hoc XVI. seculo Ecclesiæ lumen supra candelabrum rursus fuit positum, ut lucret omnibus, qui sunt in amplissima orbis domo; minimè ausim ego dicere, *candelabrum* illud aut *lumen* inveniri in Ecclesia Lutheri nova, utpote ex qua, præsertim his nostris in partibus, remota & abstracta sunt candelabra, & extincta luminaria cuncta, haud obscuro omine, remotissimum semper fore Ecclesiæ Christianæ lumen ab iis populis, qui sponte sua removerunt procul è suis templis, & oculis tam majora, quàm minora luminaria; tametsi in Veteri jam Testamento, ac in vetusta Romæ Ecclesia usitatissima.

Seculum Nati Christi XVII.

XLVI. Mathias I.

Mathias, Rudolphi II. frater, Maximiliani II. filius secundò genitus, juvenilibus annis in virtutum, literarum, nec non variarum artium disciplina positus, circa annum ætatis suæ 20. à Statibus Belgii tam Orthodoxis, quàm Heterodoxis multis, jam tum dissidentibus gubernator, ut vocant, electus, in scio fratre Imperatore, & invito Hispanorum Rege itineri sese accinxit, suscepturus in se munus arduum, in quo eidem assistere jussus est Wilhelmus Uraniensis, haud unius tantum regni ac regionis potens turbator & Orthodoxæ Ecclesiæ perpetuus hostis, nec non seditionum in Belgio adversus Regem suum maximus author. Paulò antè Rex Philippus II. Joannem, cognomentò Austriacum, Belgis supremum misit præfectum; unde inter cognati sanguinis Duces nata sunt bella gravissima, in quibus Joannes prope Gemblacum Belgarum seditionum victor Mathiam Bruxellis fugavit, inter victoriæ præmia numerans Lovanium, Aræschottum & Tienas urbes, quas deditio- ne acceperat. Non pluribus, quàm quatuor annis in Belgio inter

LII 3

adversitates

adversitates transactis, succedente in locum Joannis Austrii ibidem mortui Alexandro Farnesio laudatissimo, Mathias in Germaniam redire compulsus, haud una duntaxat in re ab Uranio deceptum se sensit. Præterlapsis dein aliquot annis à fratre Rudolpho Cæsareis copiis præesse jussus, contra hostes varios fortunâ variâ pugnavit longè pluries victor, quàm victus. In Comitibus Hungaricis an. 1597. & 99. Posonii celebratis, Rudolphi Regis locò supremus Præses ea dexteritate munus suum gessit, ut Hungaris sese perpetuò acceptum præstiterit. Annis quinque supra decem nunc cum Stephano Botscakio Transylvaniae Duce, nunc cum Turcarum copiis decertavit, quo temporis intervallo Novigradum, Petrinam, Strigonium, Jaurinum, Vice-gradum & Pestum expugnavit, Papam Wallonibus eam prodere tentantibus eripuit, Comorram obsessores liberavit, Budam verò bis obsidione incassum tentavit, Canisia & Alba Regali interea in hostium potestate relictis. Anno 1606. pactis cum Sultano induciis, Viennam rediit, Austriae, Hungariae & vicinarum Provinciarum Regis & Archiducis loco constitutus Supremus Præses. Annis proximis Bohemorum, & paulò post Hungarorum Rex creatus, Rudolpho Imperatori mortuo successit in Imperii solio an. 1612. Francofurti Electorum omnium consensu, si Brandenburgicum exceperis, Imperator electus, nulla non virtute, Cæsari desideranda, claruit, doctrinâ, prudentiâ, justitiâ, clementiâ, munificentiâ, & præstans Religione, quarum tamen virtutum ultimam à nimia in A catholicos indulgentia accepisse labem, illi ausi fuerunt affirmare, qui plus Marti, quàm arti in Heterodoxos ad Aras Romanas reducendos tribuerunt. Mathias certè arbitrium Religionis Austriacis suis adimere, & pacem Catholicos inter atque A catholicos conciliare, multùm laboravit, incassum tamen; nam Protestantes ea ferè tempestate Norimbergæ & Heilbrunnæ in ita fœdera confirmârunt, extorquentes simul confirmationem privilegii, quod *Literas Majestatis* à Rudolpho II. datas appellârunt. In Bohemia præsertim quorumvis licentiosorum hominum colluvies jam non sensim sine sensu, sed brutorum furentium more suis ex latibus erupit, primo impetu prostratura Catholicorum cohortes;

Mathias

Mathias itaque Imperator Bohemos diversissimis mixtos populis, refractarios expertus est tum primùm apertissimè, cum Ministros suos de fenestris ejectos intellexit, nobiles triumviros Slavatam, Martinizium & Fabritium. Annis omnino triginta pertinax hoc belli incendium tenuit, à sectariis excitatum, non nisi ab Orthodoxo Principe, Maximiliano Bavaro maximè extinctum. Multis igitur malis pressus Imperator, coronas regias non tardiùs deposuit, quàm antea postulavit; cessit enim haud invitus denique Ferdinando Successori geminam simul, Bohemorum nimirum, atque Hungarorum, relinquens documentum posteris, regna per sæpe à Regibus non avidiùs possideri, quàm nondum possessa desiderari, onerariis maxima futura, qui futuri essent Reges aut Imperatores. Imperavit annis non pluribus 7, quorum ultimo Viennæ, quò Pragâ sedem principem transfulerat, apoplexiæ malò oppressus vivere desistit ætatis an. 62. Christi 1619. Brevi morituro præluxit per 30. dies cometes hujus mortis, & multarum in Imperio turbarum tristis prodromus. Symb. *Concordi lumine major.* Vid. *Auth. citt.*

XLVII. Ferdinandus II.

U Ndequaque perfecti Principis ideam intueri & imitari cupientibus, ostenderunt eam Superi in Ferdinando II. Archiduce, Rege & Cæsare per omnem ætatem suam constanter optimo. Natus est Græcii Styriorum urbe principe an. 1578. genitore Carolo Archiduce Austrio, genitrice Maria Bavara, dignissimis tanta prole parentibus. Aliquot adolescentiæ suæ annis in aula Wilhelmi Bojariæ Ducis optimè collocatis, an. 1590. Monachio Ingolstadium transiit in Academia eo præsertim tempore per Germaniam universam florentissima, monstraturus specimina per omnem retrò ætatem commemoranda. Annis quinque Ferdinandum veluti Solem suum venerata est juvenus Academica, cujus Rectorem egit, ut minore scepro præluderet futuris sceptris majoribus. Profectum Archiducis maximum testantur anathemata multa Ingolstadii relicta, inter quæ venit ara in templo Societatis Jesu summa, quam è Cruce pendenti Christo hominum Servatori dedicavit iis impensis, quas Saturnalitiis diebus animi recreandi causâ ex Austria

Austria missas acceperat, & mox expenderat, rarò admodum inter juventutem literariam piæ liberalitatis exemplo. Vitâ functo parente Carolo eodem an. 1590. provinciarum Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ pro Ferdinando in se suscepit curam Imperator Rudolphus, ad quem elapsò septenniò gratitudinis causâ Pragam pervenit, deinceps ipse curaturus ex asse Rempublicam. Anno sequenti Romam profectus, documenta simul dedit & accepit, quibus maximè Romanæ Ecclesiæ & Imperio prodesset, Clementi VIII. Pontifici exactam spondens fidem & obedientiam, quam fixam ratam habuit, votis per basilicas Romæ universas factis, & denuò in Lauretana æde confirmatis, quò religionis causâ venerat, difficultatibus viarum præcipuis eundò superatis. Ex Italia redux Canisiam à Turcis sua in absentia occupatam, quamvis recuperare incassum laborârît, nihilominus strenuè impedivit conatus Mahometanos, quibus hæreditarias Austriacorum provincias identidem tentârunt. An. 1608. Ratisbonam à Rudolpho Cæsare missus in Comitibus Imperii Præses Supremus sententiam dixit, mox inde profecturus in Bohemiam, ut seditiones in dies amplius ingravescentes sua autoritate compesceret. Augusti fratres Rudolphus & Mathias eadem tempestate dissidebant maximopere, hoc avidissimè coronas ambiente, illo tardissimè concedente. Uterque Ferdinandum nepotem non nisi maximi æstimandum norât; unde Rudolphus ardentissimè eundem amabat, Mathias verò plus æquò metuebat, ne sibi præriperet regios honores, certissimus, neminem iis digniorem esse Ferdinando: namque copiosis convictus meritis an. 1612. Imperii sui primo Mathias Imperator nepotem hunc suum dilectissimum omnium ditionum Austriacarum constituit Præsidem, elapsò paucorum annorum spatio creans Regem Bohemiæ & mox etiam Hungariæ. Biennio tantum imperare Mathiæ dehinc datum est, cujus mors universam Ecclesiam & Imperium expectatione suspensam tenebat, quem præ cæteris in Cæsarem electuri forent Electores Imperii, Religionis & privatæ utilitatis causâ summopere diversi. Congregatis Francofurti Proceribus præsens aderat ipse Ferdinandus, in quem consensere tandem universi, solo Friderico Electore Palatino & Bohemiæ Statibus

invitis;

invitis; Fridericus enim Maximilianum Ducem Bavarum sibi Cæsarem designavit haud vano omine, dignitatis suæ in Bojariæ Ducem paulò post transferendæ. Bohemi verò jam non amplius clanculum & obscure Regi suo ex asse Catholico bellum iniquissimum indicabant, in sectæ suæ partes & scelerum socios pertrahentes Moravos, Silesios, Lusatios, quin & Austriacos, qui omnes, ductore Turriano Comite, Viennam vi summa adorti sunt, Ferdinandum talia minimè suspicantem subitò occupaturi; is verò hominum oculis sese providè eripiens, divinam, quam imploravit, sensit opem præsentissimam. Bohemi aliique fœdere conjuncti hostes plurimi sese probârunt prodromos plurimorum in Ecclesia & Imperio malorum, quæ per annos omnino 30. Germaniam depopulabantur, libertate Religionis rebus omnibus, maximè verò Aris, noxia. Testatus est tum orbi universo Ferdinandus, etiam inter strages & clades suum esse locum amplissimum invicto Cæsaris animo: dederunt nempe stragem maximam Germano militi in Belgio pestis, & morbi alii funestissimi; clades verò intulerunt in Bohemia Fridericus Palatinus regiæ coronæ avidus; in Austria agrestium cohors copiosissima; in Pannonia & Transylvania Bethlem Gabor; in Silesia Danorum Rex nomine Christianus IV. & Comes Mansfeldius cum conjunctis Ducibus aliis, scilicet Christiano, Duce Brunsvicensi, Friderico Durlacensi & Wilhelmo Brandenburgico Marchionibus, nec non Mauritio, Hassiæ Landgravio & innumeris minoris notæ hostibus; rursus in Saxonia Elector Georgius; in universa verò propemodum Germania Gustavus, Suevorum Rex, qui cum orbatum suo milite probè nosset Imperium, collecto quamprimum exercitu validissimo venit, torrentis vehementissimi instar rapiens Pomeraniam, Franconiam, Sueviam, partem Bavariæ majorem, Palatinatum Superiorem & Inferiorem, Alsatiam, aliasque complures his finitimas regiones ac Principatus. Verùm Ferdinandus tot hostibus numerò militum longè minor, major verò virtute & animo, Acatholicorum insultibus se petram opposuit eò usque invictam, deinceps insuperabilem, doctus clades accipere, ut pares aut majores inferret: intulit namque clades, & vicit denique Bohemos maximè per Maximilianum I. Bavarum & hujus Ducem socium Egonem Fürstenbergicum; Palatinos &c. per Ambrosium Spinolam: Christianum

R. P. Kolb Series Imp. p.

M m m

num

num Danorum Regem & Mansfeldium, nec non altera vice Bohemos &c. per Joannem Tillium & Wallensteinium; agrestes Austriacos, & inde Gustavum hætenus ferè semper victorem, per Pappenhemium, eadem tamen ex pugna vulnere accepto mortuum, facile centum vulneribus, longè verò pluribus laudum titulis probè notatum; hostes alios per Buquojum, Tampierium, Joannem Werthium &c. recuperavit tandem ferè omnia, quæ tot hostium manus rapuère, per Ferdinandum filium juvenem inter mortales jam immortalis laude dignissimum. Vix aliàs certavit elegantius cum genitore filius; hic enim pugnavit in campis Martii gladiò, Augustus verò Genitor domi pietatis in Deum studiò, uterque virtute maxima, dubio ad posteros relicto, nec ab alio, quàm Superis solvendo, an plus effecerit armis Romanorum Rex filius, an verò orationis & vigilantiae studiò Romanorum Imperator Pater uterque Ferdinandus Victor. Victum à Parente Filium, & hostes plurimum superatos fuisse, procul injuria refert Historia; cælum nimirum diremit litem, atque sententiam tulit ultimam, dum in cruce invictissimus hominum Servator hæc dedit verba Imperatori supplici suavissima: *Ferdinande, te non deseram.*

Deseruit autem Ferdinandus suum in terris Imperium post aënos 17. aëtat. 59. Christ. 1637. pluribus longè coronis dignissimus, quas Remunerator Deus optimè merito non denegabit. Symb. *Legitimè certantibus.* Profectò de Ecclesia & Imperio optimè meritum jure pronuntiant Ferdinandum II. Historici; Episcopatus enim varios sua potestate maxima ampliavit, & regiã munificentia ditavit privati & profani commodi post sacrum memor: parœcias etiam, templa, Monasteria & Collegia erexit plurima, inter quæ soli Societatis Jesu Patres novem numerant domicilia. Urbem equidem nullam, perpetuis nimirum belli tumultibus & damnis impeditus erexit, tot tamen aëdificia tum Ecclesiæ, tum Imperio peridonea extruxit, ut eadem simul sumptæ ingentem civitatem efficerent, haud immeritò *Civitatem Dei* dicendam. Secutum exinde fructum ajunt, sanè plusquam centuplicem, nam centies centena hominum millia ad Ecclesiam Romanam reduxisse scribitur Imperator verè Romanus. Qualis quantusque fuerit Imperator Ferdinandus, non ex amicorum magis, quàm hostium de eodem latis sententiis licebit paucis colligere, Bethlem Gabor non

non dubitavit dicere: *periculosum esse, pugnare contra Ferdinandum, ut quem nec adversa dejicerent, nec prospera extollerent.* Mustazanus, Turcarum Dux, pronuntiavit: *Ferdinandus Sanctus est; Deus cum illo est, & pro illo pugnat.* Gustavus, Suecorum Rex, dicere est solitus *sibi solam Ferdinandi virtutem formidabilem esse.* Unde mirum non est, Ferdinandum Coloniae Electorem audita Ferdinandi Cæsaris morte hunc in modum exclamasse: *Ferdinando II. Imperatori nunquam deinceps parem habebimus.* Vid. Reflex. Balthasar. Braun, Briethium, Forestium &c.

XLVIII. Ferdinandus III.

Ferdinandus III. non magis paternorum regnorum, quàm virtutum aemulator & hæres, primam aëtatem suam consecravit literarum disciplinis, alteram necessariis bellis, tertiam optatissimæ pacis studio, aëtatem verò universam pietati & justitiæ: mansuetioribus namque & severioribus literis apprimè excultus, anno aëtatis suæ 17. ex Jurisprudencia publicas propugnavit Theses, spectatorum & eruditorum nobilissimorum approbatione & applausu maximo. Armis geminis, *librò nimirum & gladiò* sibi maximè opus fore, teneros per annos jam didicit Ferdinandus, ut Imperator venientibus annis vinceret, & inter clades etiam staret invictus Cæsaris animus; unde jucundissimum Archiduci fuit certare cum Oratoribus, Philosophis, Jurisperitis, quin & Theologis, in quorum favorem Gymnasia, Lycea & Academies variis privilegiis & donis constanter est profecutus, à Majoribus suis accipiens, posteris verò præbens documenta aemulatione dignissima. Nec satis erat juveni florentissimo tantas didicisse artes duntaxat & scientias: vaginam sine gladio, loricam virò vacuum dixisset illas, nisi virtus multiplex literis dux & comes proximè accessisset. Hinc brevissimo geminarum vocum compendiò plurimarum virtutum comprehendit catalogum, *Pietate & Justitia,* suo Symbolo suum reddens Deo Servus Cæsar, & suum subditis Imperator, etiam in hostes æquisimus, quos superari à suis optavit sæpè, ut victis æquè ac victoribus prodesset victoria, futuræ pacis fructibus abundans. Emolumento certè suò permagno Ferdinandi eximias dotes didicere hostiles eò tempore in Imperio urbes haud paucæ, expugnata nimirum eodem auspice Ratisbona, devicta Nördlinga, debellata Augusta, recepta Norimberga, subacta Ulma, Mem-

minga, Campidunum, restituta Wormatia, devicta Argentina, & liberatae hostibus Franconia, Suevia, Bojaria, & fere Germania universa. Interea tamen in regionibus ad Rhenum sitis longè diversâ pugnârunt fortunâ Cæsarei: paulò antè enim victores gloriosissimi, mox cladem perpeffi sunt prope Rheinfeldam vincentibus Suecis & Gallis Duce Weinmario; capti Joannes de Werth, Sabellus, Enckenfortius & Speereutherus, clarissimi in Cæsaris exercitu heroës; expugnatum inde Neoburgum, Friburgum, Brisacum; spoliata tota Brisgoja & Alsatia, Suecis hostium methodò, Durlacensibus verò succedentibus tyrannorum more præsertim Friburgi grassantibus. At Ferdinandus à tyrannide, quin & se veriore vindicta remotissimus, commilitonibus tunc simul, & hostibus maximè Heterodoxis exempla monstravit ad imitationem efficacissima: morbis enim, aut aliis multis bellorum malis afflictos milites solatus est in castris; crebrò Sacerdotibus ad Aram facientibus adesse studuit: Deum Eucharisticum festa ejusdem luce in castris prope Ratisbonam positis circumferri mandavit, rebus cunctis in triumphi modum præparatis, ut suus non deesset Regum Regi etiam in campis & castris honor maximus. Honorem alterum haud negavit Magnæ pugnantium Patronæ, eandem & ipse nuncupans crebrò *Castroꝝ aciem ordinatam*, cujus ab omni macula purissimæ diem universæ Austriæ solennem dixit. Ejusdem Virginis honoribus consecrandum erexit triumphalem colossum Viennæ in foro aulico, verè monumentum perenne pietatis Augustæ in Matrem Augustissimam, quam sibi auxiliis præsentissimam constanter fuisse asseruit fide dignissimus testis ipse Ferdinandus. Tanto in Superos ardori junxit moderatum justitiæ rigorem, quo malos & pessimos sustulit, ut bonos & optimos fervaret Reipublicæ: hinc dixisse haud semel tantùm asserunt: nihil omnino esse, quod in æquitatis negotiis pœnitendum se commisisse existimaret. Inter bonos numeravit procul dubio copiosas indigentium catervas, qua de causa *Pater pauperum, Curator pupillorum, & viduarum Tutor* dictus haudquaquam libentiùs accepit, quàm dedit, manu liberalissima præveniens crebrò subsidia rogantium voces. Tanta Imperatoris decora veluti perpetuò munimentò circumsepfit & custodivit invictissima in rebus adversis patientia, quam orbi patefecit non solum auditis crebrò

crebrò tristissimis nuntiis, sed etiam in imaturis Augustæ familiæ funeribus. Annis non nisi 48. vivendò superavit Ferdinandus III. an. ætatis 23. primò connubii vinculo ligatus: hocce temporis intervallo mortis falci succubuerunt Augustæ conjuges duæ & Ferdinandus filius jam coronatus Ratisbonæ Romanorum Rex, quem Caroli V. æmulum strenuissimum futurum fuisse, si per fata licuisset, prædicere passim multi. Verùm haud pluribus prosequor numeratas ab hoc Cæsare virtutes, pugnas & victorias: gesta enim priorum reputeret Cæsarem Historicus, si Ferdinandi III. memoraret facta, pugnas, aut palmas, quas modò Suecis, modò Gallis eripuit, vel sibi ereptas tulit animò æquissimò, invictus semper heros, tum maximè, cum suos milites sciret cladem perpeti. Post varios itaque belli eventus in pacem Westphalicam consensit denique, permittens minora Reipublicæ mala, ut vitaret majora Imperator providentissimus. Alsatiam obtinuit Gallus, Pomeraniam, Wismariam & regiones alias rapuit Suecus. Servavit Cæsar fidem Deo & Ecclesiæ, quàm constantissimè annis 20. defendit Imperator scutò geminò, nimirum Symb. *Pietate & Justitiâ*. mort. 1654. Vid. *Auth. cit.*

XLIX. Leopoldus Magnus.

Non minùs verè quàm ingeniosè dixit de Austriacorum Imperatorum stemate, quicumque hunc in modum pronuntiavit: *cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer*. Postquam nempe mors falce nimium immatura Ferdinandum Romanorum Regem hujus nominis IV. & Carolum Josephum fratrem, electum Passaviensium Episcopum in florentissima ætate, hunc quippe an. ætat. 15. alterum 21. demessuit, jam ferè consumptam se existimavit infelix Austria. Verùm abstergi luctum suum toties sensit, quoties suos oculos in Leopoldum, duos inter fratres medium, eumque solum sibi superstitem fixit. Natus est hic an. 1640. horâ orientis lucis quarta, ortus cum Lucifero Sydere auspiciatissimo. Virtutibus & literis variisque artibus à teneris annis solertissimè imbutus Leopoldus, dum vixit frater Ferdinandus, non coronis magis, quàm infulis se maximè idoneum reddere allaboravit, ut duo fratres duas imitarentur columnas, alter in Romana Ecclesia, alter in Romano Imperio futurus Atlas. Ita futurum optabant & sperabant boni omnes. Verùm an. 1654.

venenasset pustulis summo omnium luctu extincto fratre Ferdinando, eodem fato Statui Ecclesiastico ereptus Leopoldus, Austriacas ditio- nes omnes in fidem accepit, mox anno altero electus Hungarorum, & anno tertio Bohemorum Rex, ac demum an. 1658. Romanorum Imperator Francofurti coronatus 5. Augusti, coronis his, imò pluri- bus dignissimus & Rex & Cæsar ob exquisitissimas virtutes. Inter vir- tutes hercle vix ulla poterit inveniri, quæ hac in columna Ecclesiæ simul & Imperii non splenduerit clarissime; fatentibus enim ipsis au- thoribus Heterodoxis, Leopoldus ad DEum fiduciâ suâ maximâ nun- quam non pertingens proximè, inter adversitates summas sibi erat præsentissimus, inter dolores patientissimus, inter feroces mansuetif- simus, inter proditores à fraude remotissimus, inter arrogantes de- missionis studiosissimus, inter aulæ delicias sui moderator vigilantif- simus, inter carnis illecebras integerrimus, inter perpetua bella pacis avidissimus, inter inimicos amicissimus, Sacerdotibus, Episcopis, Su- premo omnium Præsuli, Aris Romanis constanter addictissimus, Orationi per complures diei cujusvis horas intentissimus, *cum Deo plura, quàm cum homine locutus*, Imperator multis nominibus verè Ma- gnus. Artes & scientias cui lubet intueri multas, in eadem columna Augustissima intuebitur Musas omnes; dicere enim, disputare, can- tare, scribere, pingere, sculperè, aurum purum à spurio per artem separare, saltare, equitare, venari, ædificare &c. apprimè doctus, haud recusavit certare cum artium quibusvis Magistris, qui Leopoldo, suo Mæcenati maximo debere se confitentur Viennæ bibliothecam plu- rimis librâs & artefactis adauctam; *Collegium* item, quod *Naturæ cu- riosorum* vocant, nec non duo alia, alterum *Collegium Imperiale Histo- ricum*, alterum *Artis Consultorum* dictum, quæ omnia vel primò in- troduxit, vel multis privilegiis auxit & ornavit. Oeniponti etiam an. 1669. in Tyroli, & an. 1702. in Silesia Academiis novis fundum & fundamentum dedit. Adhæc varias Hungariæ urbes Mahometanis ereptas novis munimentis & monumentis, aliisque tum sacris tum profanis ædificiis instruxit; Leopoldi stadium erexit, Viennam ipsam ejusque suburbia firmiora reddidit; Pyramidem ex pario lapi- de 66. pedibus altam in honorem SS. Trinitatis posuit: Judi- cium etiam Camerae dictum, Spirâ flammis combustâ Wezlariam transtulit.

transtulit. Paucis multa: vix ulla est artium aut facultatum, cui non reliquerit Leopoldus Augustæ peritiæ insigne monumentum.

Haecenus mansuetiora intelleximus, severiora nunc intelligemus, quæ ut omnia non nisi laudatissime perfecta daret Imperator, in hunc ferme modum sibi dixit, & dictum sibi existimavit: *Agere & pati fortiter discat oportet, quem imperare delectat, aut, ut im- peret, necesse est.* Egit profectò, & tulit plurima Leopoldus bel- lis gravissimis tentatus undique; quatuor namque fuere Turcarum suprema capita, Mahometes IV. Solymanus III. Achmetes, & Mu- stapha II. quos omnes superavit annis, armis, & victoriis gloriosif- simus. Viderunt quippe victores Germani tum aliàs sæpe, tum ve- rò cladibus affligi maximis Turcarum exercitus copiosissimos in Hungaria ad S. Gothardum, inde Viennæ in Austria, rursus in Hun- garia juxta Mohatium & Salankemum, post aliquot verò annorum spatium prope Zentham urbem; aliàs ad Tibiscum fluvium, nec non prius in Bosnia & Servia vincentibus & triumphantibus Ducibus maximis, nunc Joanne III. Polonorum Rege, nunc Maximiliano II. Bavaro, nunc Joanne Georgio, Saxone, Electoribus, nunc Carolo Lotharingo, Ernesto Starnbergico, Ludovico Badensi, Eugenio Sa- baudo &c.; quibus aliisque in præliis tantum barbari sanguinis fu- sum est, ut pacem flagitare crebrius coacta fuerit toties victa Asia. Unde annorum 25. induciæ an. 1699. Carlowizii in Sclavonia sunt initæ. Difficilior res fuit cum Ludovico XIV. Francorum Rege; tribus enim difficillimis bellis per plures annos continuis Germani cum Gallis acerrimè certarunt, variam belli experti aleam, nunc vi- cti, nunc victores fortissimi, adèd, ut victores & victi ipsimet crebrò dubitarent, ecqua ex parte fuerit major clades, aut victoria. Hæc, & plura alia foris egit, etsi longè abesset corpore Magnus animò Leopoldus. Non minora sunt, quæ annis etiam ultimis domi ges- sit, ubi primas sibi constanter tribuit virtus verè Imperatoria, quia omni ex parte adèd magna & copiosa, ut hostes virtutum æstima- tores sæpe optimi palàm fateri sint compulsi, non minùs vereri se M. Leopoldi virtutem domi pugnantem, quàm ejusdem armatum exercitum in campis Martiis dimicantem. Sumpsit virtus hæc in M. Cæsare incrementum semper maximum, tametsi vires corporis decre-

decreverent, & vita, quam annorum omnino quadraginta & septem Imperator gloriosissimus finiit, perpaucis Imperatoribus minor annis Imperii, omnibus ferè meritorum copiâ major; ex Dei nutu constantissimè pendens, vincere & vinci, vivere & mori paratissimus, modò vita & mors, clades & victoriæ, cum ejusdem supremi Numinis voluntate essent perquam conjunctæ. Vixit verè & vicit cum Servatore suo Divinissimo Leopoldus; ejusdem enim in crucem acti Servatoris effigie nunquam non armatus, crebrò volvit, & repetiit verba Ferdinando II. notissima: *Ferdinande, te non deseram!* Vetuit adhæc diebus vitæ ultimis Imperatorem se dici, *Leopoldus Dei Servus* deinceps solùm vocandus. Lectulo igitur corpore, animò cruci affixus cum Deo crucifixo locutus est verba hæc ultima: *consummatum est!* mort. ejusdem nati Dei an. 1705. Symb. *Consilio & prudentia.*

Sanctissimè mortuo Leopoldo pluribus ante alios laudibus parentârunt ab eodem Imperii Principum Matriculæ, ut vocant, recens inserti, nimirum Hieronymus, Comes quondam de Portia. an. 1662.

Hermannus Egon, Comes Fürstenbergicus	1664.
Joannes Adolphus, Comes Schwarzenbergicus	1671.
Albertus Ernestus, Comes Oettinganus	1674.
Eugenius Alexius, Comes de Taxis	1681.
Georgius Augustus, Comes Nassoviensis	1688.
Philippus Reinhardus, Comes de Hanau	1696.

His majores Cæsari debent honores Fridericus Brandenburgicus & Ernestus Augustus Hannoveranus, quorum hunc Electorem Imperii, illum Borussia Regem creavit. Vid. *Auth. cit.*

Reflexiones supra Seculum XVII.

Nisi mors imposuisset hoc seculo finem Hippolyto & Hippolytanis calumniis, quibus laceravit Austriacorum Imperatorum gloriam, nondum sanè finiisset Hippolytus, sed grassatus jam retro Rudolphum Habsburgicum, in hujus majores, sævire pergeret etiam in Leopoldum, Josephum & Carolum VI. Verùm metam morte statutam jamjam instare sibi probè advertens, ut temporum suorum perbreves reliquias calumnia-

lumniarum densitate suppleret, virus omne suum reliquum in Ferdinandos II. & III. evomuit, hoc egregiò factò moriturus lætissimus. vid. *Hippolyt. fol. 575.* Prorsus proinde se gessit providum Hippolytus, tam gnaviter antevertens annorum suorum paucitatem: quamvis enim desperare eum non oportuerit de successoribus in traducenda Austriacorum fama, futuris suis æmulis; parem tamen audaciâ sibi sperare non licuit, utpote progresso jam ultra omnes modestiæ limites. Erdmannus hercle, & Hübnerus non absque moderamine Hippolytum secuturi, multa Imperatorum Austriacorum gesta Heterodoxis neutiquam grata, ita verbis expressere, ut culpam Imperatoribus minimam, maximam verò Pontifici Romano, & minoribus Sacerdotibus adscriperint; unde *Jesuitarum* etiam nomen ab Hippolyto rariùs usurpatum, in Hübnero, & Erdmanno passim est invenire miris & diris modis laceratum.

Ne verò non minori à me calumnia Hippolytum lædi, quam ipse læsit Austriam, fortè conqueratur quispiam, ipsissima ejusdem verba multa ex multis excerpta foliis huc rursus transfero, nihil eorum omisurus, quæ purum sanctum Hippolytum à quovis crimine servare possent. En Synopsis!

- I. *Ferdinandus II. unà cum Austriacis Imperatoribus reliquis viam interceptit omni electioni Imperatoris deinceps libera &c.*
- II. *Legibus solutum esse, & leges ferre, atque imperare subditis pro lubitu &c. Ferdinandus II. nefario ausu sibi asseruit. Exemplum est in causa Donawerdica, in qua executionis ordo fuit neglectus &c.*
- III. *Bullam Auream, pacem Religiosam & profanam, leges & Constitutiones Imperii, ac antiquam observantiam pro suo libitu & privata utilitate interpretatus est. Imperii totius, & omnium Ordinum jura invasit, irruit, irrupit; quin Ordines tanquam mancipia habuit, quasi nullis amplius fundamentalium legum, & Capitulationis repagulis constringeretur.*
- IV. *Hinc non consultis Imperii Ordinibus, aut saltem Electoribus, Fridericum Palatinum Electorem solus proscripsit, ac proscriptum solus restituere penitus renuit. Quin ipsum hunc Imperatoris Judicem suum, & præcipuum legum Custodem removit.*
- V. *Hinc etiam Tractatus Pragenses cum solo Electore Saxone sine ullo Ordinum*

dinum Electorumve consensu pertesere non est veritus, quæ pacis compositio fuit bellis longè nocentior, quin proditoria.

- VI. *Non minùs in numerum Imperii Ducum ac Comitum suã duntaxat sententiã probatos recepit plures, uti apparet in exemplis Comitum quondam de Arnberg & Transylvania Principis, nec non Fuggerorum Augustanorum, quorum priores creavit Imperii Duces, posteriores verò Comites &c. E contrario alios exclusos voluit, quales sunt ii Heterodoxi Viri, qui bona Ecclesiæ possederunt inter suos Ecclesiastici.*
- VII. *Tandem Ferdinandus II. quemadmodum in aliis omnibus, ita etiam in hoc capite contra datam fidem Imperii jura uno velut impetu perurmpens, motu proprio supremum exercituum in Imperio Ducem Wallensteinium creavit &c.*
- VIII. *Ex tot argumentis tyrannidem prodentibus apparet, Ferdinandum II. fuisse Imperii tyrannum, non Cæsarem. Hujus item Successores fore tyrannos, utpote soli familiæ Austriacæ Imperii coronam asserturos perpetuè.*
- IX. *Unde universis totius Imperii Statibus in id unum totis viribus incumbendum est, ut hanc Austriacorum tyrannorum familiam radicitus extirpent. Lege Hippol. fol. 404. 407. 408. 457. 459. 535.*

Reflexio ac Responsio I. ad I.

EVidentia quandoque nominis, vel certè facti est optima rei probatio in rebus vel verè vel apparenter ambiguis. Ambigere nunc cuivis vel per me sit integrum, an etiamnum nostra ætate Romanorum Imperatorum electio optatæ libertatis fruatur aurâ. Ipsum electionis nomen magnam ambiguitati partem fortassis absterget, si id penitiùs inspiciamus: cessat enim continuò *electionis nomen, si electio cesset esse libera.* Neutiquam verò cessat esse libera, esto inter Electores vis aut metus is interveniat, quem vel reverentia imperat, vel spes lucri, aut timor damni, aut alia qualiscunque hominum sibi minùs constantium incutit valens causa. Simili causa Imperatoriæ *electionis* sublatam fuisse libertatem per Cæsares Austriacos, si Hippolytus contenderet, actum jam ageret; aut enim *electionis nomen* ritè institutum tolleret, aut nullam in toto terrarum orbe ullius Regis, vel alterius momenti gravis electionem superesse evinceret: inter mortales namque constitutum jam esse novimus, ut
vel

vel rarò admodum, vel omnino nunquam momentosa electio omni careat metu, aut quavis remora alia, quæ moras non nectat. Superfuit verò hætenus suum Imperio electionis nomen & aliàs semper, & toties, in plebe etiam promulgatissimum, quoties per quatuor Austriacorum Imperatorum Secula vel Francofurti, vel aliis in Imperii urbibus convenère Proceres, Reipublicæ supremo moderatore viduæ, de digno Capite collatis suffragiis denuo prospecturi. Veligitur tunc semper electio non fuit ulla, vel libertate sua non caruit. Verùm non immorabimur nominibus, inspiciamus rerum facta. Quotiescunque his etiam nostris ultimis seculis mors immortales abstulit Cæsares, statutis mox sibi temporibus Viri Principes Vicaria Imperii potestate fungentes, officio suo non defuère, ut *Electiois Imperatorie* diem cunctis significarent Imperii membris principibus, ne quisquam horum suo non fungeretur munere in deligendo Supremo Imperii Principe. Ad præstitutam diem vel ipsi convenère semper per sese Imperii Septemviri, vel missis legatis eminus eventum rei exspectârunt. Bulla Aurea Imperii Regula ob oculos constanter fuit posita; omnia fuère suo ordine peracta. Successit semper vel unanimi, vel partium majorum saltem consensui solennis promulgatio, & excepit promulgationem publicam publica acclamatio mille gaudiis refertissima. Nemo Electorum conqueri auditus fuit de vi illata; nemo lamentari de metu incusso; nemo vociferari de libertate præpedita; nulli tumultus diuturni minimùm moti; nulla secuta bella, qualia prioribus seculis cruentata vidit crebrò Germania & Italia. Audio, quid reponant hic mihi Hippolytani affeclæ; nimirum quò minùs hæc aliàs gravissima in Imperio mala fuerint secuta post Imperatorum Austriacorum electiones in Cæsarem publicas, obices posuit Austriaca nullis limitibus circumscripta potentia, exercituum Austriacorum non procul distantium vis & terror, & immensæ divitiæ Romanorum Imperatori in variis usus jam necessariæ, quas vix ullus in Imperio Elector, aut etiam Rex poterit, aut si possit, volet insumere. Hæc ipsissima autem sumptuum copia, hæc militum vis, hæc Austriacorum potestas, arcano quodam mysterio abstulit Electoribus, facie tenus liberis, omnem libertatem. Ita planè
Hippolytus fol. 330. & aliis multis. Siccine tandem Austriacorum ho-

stes jurati, ex parte fatentur, quod res est? an capiunt demum servando Imperio perneccessarios esse ingentes divitiarum sumptus? an notant denique hanc immodicorum sumptuum colluviem à nulla Imperii parte, nisi ab hæreditariis Austriacorum regnis & regionibus posse sperari aut expectari? an fateri tandem non tædet, Austriacis Imperatoribus constanter ad nutus paratos stare exercitus integros? Hæc sunt, cur hæremus? hæc sunt tria firmissima fulcra, quibus jam tribus & amplius seculis innixa est Imperii machina, mox ruitura, si horum subtractum fuerit minimum. In Austriacis nimirum regnis Electorum concors prudentia, quod quærere necesse erat, invenit ea sæpe mutatione animi, ut dum ratum fixum jam habuit, eligere ex familia Principum Imperatorem denique non Austriacum, ponderatis tamen dein, & inter se comparatis rerum omnium momentis æquissimum censuerit ab Austria nunquam recedere. Austriacorum videlicet potentia, divitiæ, vires, & virtutes amicam vim intulere cunctis Imperii arbitris, ut ab iis diversum Cæsarem tanto tempore in solium non evexerint, eò quòd digniorem nunquam invenirent. Non latuit mysterium hoc Hippolyti invidiam: unde fol. eodem 330. perrexit ita furere: *si Imperator propriis sumptibus Majestatem Imperii tueri debet, jam actum est de libertate: habet enim Imperator, quod Imperio imputet: ac ratione impensorum sumptuum plus juris sibi in Imperio arrogare potest, quam ex prima electione ipsi competit. Prudentius Electores fecissent, si majorum exemplo insignem virtute virum, licet mediocriter potentem, aut divitem, summe rei præfecissent, neve necessaria ad dignitatem Imperii conservandam illi deessent, ordinario aliquo tributo, Ordinum concessu quotannis indicto, certam summam ad Imperatoris sumptus deputassent, reliqua pecunia in communes usus asservata.* Hactenus Hippolytus.

Vah hebetudinem ingenii! optat Hippolytus, ut Electores Imperii ex mediocri statu Principem in Cæsarem eligant, sed dein talem suis quisque divitiis faciant, quales ferè jam sunt Austriaci Imperatores. Cupit is eligi Virum mediocriter potentem, mediocriter divitem, ut potentior fieret, & augmentum sumeret ex ordinariis Imperii tributis, futurus sic potentissimus, ac ditissimus. Amens sim ego, si Hippolytus sapiat: novit namque teste ipso Hippolyto Ratis-

bona,

bona, novit totus Rheni, Moeni, Danubii & reliquorum in Germania nobilissimorum fluviorum tractus per multa secula, quam tardo pollice soluta fuerint multoties petita, rogata, postulata multorum, aut aliquorum saltem Ordinum in Imperio tributa &c. Mille gravaminum tituli, excusationes mille, prætensiones innumeræ fuerunt creberrimè oppositæ, ut nihil expectaretur ab iis, qui non modò non suum dare, sed nec alienum reddere afluunt in extremis etiam Imperii angustiis, in quibus sæpe deprehensus Cæsareus miles cum extrema paupertate & nuditate luctatus, vitam amisit non ab hoste ereptam, nisi hostem dicere ausis nonnullos in Imperio Imperii hostes, qui Cæsari non reddunt, quod est Cæsaris.

Quàm tardus est aliàs Hippolytus ad ferendum honestati ac veritati suffragium, tam promptè non negavit hanc ipsam multorum (ut ait ipse pluribus foliis) Ordinum in solvendis tributis tarditatem. Eam ob rem per modica intervalla parcens Austriacis, in cunctos Imperii Electores suis calumniis invehitur, & his scèdum in modum denigratis, vapulant ipsi Imperii membra Electoribus posteriora, à quibus universis eam postulat in rem Imperii vigilantiam ac curam, quantam optare, expectare nunquam possumus. Eum denique rerum omnium ordinem per universum Imperium desiderat, quem si Imperii Principes nanciscerentur, jam non amplius homines, sed dii forent, aut solus foret Deus Hippolytus, cui non satis probatur in Austriacis conservandis *Dei rara providentia.*

Reflexio ac Responsio II. ad II.

REpeto verba contra Hippolytum perpetuò repetenda: *audiatur & altera pars.* Prodigio sanè res est simillima, quam ipse expetit ab Austriacis Imperatoribus, & nonnullis Imperii Electoribus: conqueritur quippe contra hos solos, quòd inter omnes ex leges ipsi quoque, soluti legibus in subditos etiam non suos sævierint, affueti jam leges ferre, & superbè imperare, facta sibi potestate per ausus etiam nefarios: in exemplo Donawerdæ urbis Suevicæ tristissimâ scenâ patuisse testatur. Spectabimus itaque rem hanc pergravem, tragædiam. Cives Donawerdani vel sua sponte, vel exemplò aliarum urbium in Imperio sua libertate vix bene utentium pellecti, quanta licentia in Præsulem hujusque subditos D. Benedicti fi-

Nnn 3

lios

lios ad S. Crucem animadverterint, novit abundè nostris diebus tota Suevia, & vicina Bavaria jam Donawerdæ Domina. Severitate opus erat, ut morum licentiæ & temeritati inter cives maximè civili, poneretur modus ac meta, ne ultra grassaretur longissimè, superatis jam pridem limitibus honestatis. In mora erat periculum maximum; fuit enim tum temporis jam Protestantium solers, & quotidiana adhortatio, *fac citò, quod vis facere*; occasio in occipite calva, sæpe non porrigit frontem capillitiò tectam. Suis hinc malis docti Catholici, ne cum Phrygibus deinceps etiam cogerentur sapere, prævenire tandem & ipsi didicerunt magis, quàm præveniri. Vicinissimus Bojariæ Dux Maximilianus I. Germaniæ Salomon cognominatus, Heros illis temporibus peridoneus à Rudolpho II. rogatus & postulatus, cum expedita militum manu verè citiùs vicit, quàm venit, devictam civitatem annuente Cæsare sibi retinens, ut sumptus ea expeditione absumptos reciperet, & cives, vicino custode opus habentes, sedulò custodiret. Affirmat equidem Hübnerus & Erdmannus cum Hippolyto, hac expeditione læsum maximopere, indoluisse injuriæ suæ Circulum Imperii Suevicum, cujus in jure & officio esse oporteret, vel reos multare cives, vel innoxios absolvere. Miror ego hunc trium virorum candorem; suspicor tamen, ne corvus sub cygni plumis lateat. Erant, si ritè meminit etiam Hübnerus, ea jam ætate Suevorum suo in Circulo Supremi Principes Constantiæ Episcopus, Jacobus Fuggerus, & Fridericus Mümpelgardensis, Würtembergiæ Dux hæres, quorum hic ab Ulrico, suo patruo cum hæreditate odium in Ecclesiam Romanam & Domum Austriacam pro patrimonio acceperat: ille verò, scilicet Jacobus Constantiæ Episcopus necdum à suis civibus bene securus, & hostibus undique circumcinctus, nec sibi, nec suis par erat custodiendis, diminutus jam parte suæ Diocesis maxima. An nihilominus his in Circulo Suevorum Supremis Principibus demandanda à Cæsare adversus Donawerdanos erat sententia ultima, & hujus, ut ajunt, executio delicti mensuræ commensuranda? an horum Principum alter Pontificius, alter Lutheri Novitius, exercitûs alas in refractariam urbem educere jure debuerant? Enimverò seditioforum civium causa non potuisset esse melior, quàm isthoc inter hos duos diversissimos Principes loco. Quare parcemia Latinis

nis haud ignota suum etiam hîc locum impetrâisset, cum omnes uno ore clamâssent, inter duos litigantes gaudet tertius, nimirum Senatus Donawerdanus. Verùm non multis hîc opus est verbis, ubi res à tanto tempore vulgatissima in plano est. Inter arma, præsertim ubi pro Aris certatum est totis viribus, ita filebant leges, ut injuria Ecclesiæ Romanæ, Romanorum Imperatori inferenda legis locò placuerit. Frangenti fidem fides frangatur eidem, vel bipalmes in Grammatica tyrones pronuntiabant sæpe. Perpendant igitur Protestantium patroni, num magis horum ipsorum caterva datam Cæsari fidem ruperit, an *ruptis legum repagulis* fidem violârît Cæsar. Si vel hodie ipsos Donawerdæ cives consulerem, dolerent ipsi suorum majorum commiseratione potiùs, quàm irâ dignas vices, & accusarent exertas in suum Donawerdæ Præsulem vires. Expeditam sanè hætenus ipsi servârunt fidem victori suo Maximiliano I. Bojariæ Electori, & servant hodie Maximiliano II. nunquam deinceps non servaturi. Vid. *Reflexion. III. IV. V. &c. Seculo priori.*

Reflexio ac Responsio III. ad III.

Inculco hic denuò verba jam inculcata, & ampliùs inculcanda, ut nunquam non ob oculos animi versentur verba notatu dignissima: *Inter arma, quibus pro Aris certatur totis viribus, vix locus est legibus. Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Summum jus, summa injuria. Ubi incipit grassari vis, desinit jus imperare.* Quantis viribus priori jam seculo certatum fuerit pro aris, altari Romano extremè contrariis, peregrinus in Israël est, qui hæc ignorat. Vim vi repellere solus bene cum sociis noverat Carolus V. multis par vincendis hostibus. Lenioribus remediis utebantur Successores Caroli: maximè Maximilianus, & Rudolphus uterque secūdus, nec nō Rudolphi frater Mathias. Fœdus Smalcaldicum jam instar nodi Gordii implicatum novis involvebatur nodis, ut ampliùs coarctaretur potestas Romani Pontificis & Cæsaris. Majestatis literas Rudolpho II. à Bohemiæ Statibus extortas pro suo libitu, ac libertate interpretati sunt non solum Bohemi, sed & Hungari, Silesii, Moravi, & ô quàm multi in toto Imperio populi! Ecclesiæ bona identidem ampliùs cedebant in prædam rapacibus Harpyjarum manibus; Lutheri placita pluribus placebant

bant in dies, quia Ecclesiæ spolia non displicebant. Arridebat in vetitum nitentibus, protritit jamjam Ecclesiæ statutis, divinarum etiam Scripturarum interpretatio laxissima, libertas religionis & morum licentia summa. Quisquis vel parùm obloqui audebat, *libertatis religioſæ hostis, antiquæ observantiæ inimicus, Pacis Smalcaldicæ contemptor, transactionis Passaviensis transgressor* audiebat; & illi quidem maxime ferebantur rei, qui Religionem Romæ veterem deserere, observantiam antiquissimam temerari, Pacis Smalcaldicæ limites nimium excedi, Transactionem Passaviensem negligi, præsertim in abripiendis amplius Ecclesiæ bonis, justissime querebantur, & suos accusatores accusabant. An non enim ingentes in Imperio motus excitabat *Edictum Restitutorium*, quo Ferdinandus II. bona, ultra *Transactionem Passaviensem* Ecclesiæ abrepta, Ecclesiæ restitui imperabat? An isthoc in Edicto quidquam fuerat, quod æquitati repugnabat? Et tamen quis Protestantium imperanti Ferdinando obsecundabat? An non extrema omnia licere sibi Bohemorum pars potior contendebat adeò, ut cum Viri æquitatis studiosissimi pectus & frontem opponerent, Bohemi sine fronte, sine lege, sine ullo justitiæ ordine, *veterum tyrannorum satellites imitaturi* de admodum præcipiti & excelso loco in profundum dederint; & cum præter spem omnem incolumes post tantos lapsus starent, igne & ferro eminus in eosdem sæviêrent? Haud præteribo silens hoc loco, quæ Hübnerus & Erdmannus de horum virorum incolumitate post tantum vitæ periculum integra, narrant & extenuant. *Papistæ*, inquit, NB. *miraculo Wilhelmo Slavatum, Jarislaum Martinizium & Philippum Fabritium ab interitu servatos asserunt, quasi nescirent, præcipitatos fuisse equidem de loco 27. cubitis* (Erdmannus 40. habet) *alto, eam tamen in profunditatem, quæ oppleta erat multo stramine*: Erdmannus *copiosis fragmentis papyraceis* constatam fuisse narrat: adeò tam Hübnerus, quam Erdmannus toti sunt in extenuandis Pontificiorum *miraculis*, qui tamen ipsi sat multis in foliis tam Lutherum, quam hujus doctrinam *miraculis* exornare & roborare satagunt; fol. enim 951. tom. I. ab Hussio Lutheri natiuitatem annis centum Constantiæ præcognitam fuisse affirmat Hübnerus. Idem fol. 1343. tom. II. Zwinglii inter Helvetios occisi, & concremati cor *miraculo servatum* asserit. Non minus

Hübne-

Hübnerus fol. 1096. tom. I. certum sibi dicit, Joannem Tillium à Magdeburgensium expugnatione destitutum fuisse omni benedictione cœlesti. Erdmannus cum Hübnero *novorum miraculorum* asserit, aliud ipse addidit, Friderici Saxonie Electoris *prodigiosum*, par somniis in S. Codice legendis, *somnium*, quo Lutheri Apostolatam à Divino Numine significatum fuisse gloriatur. En lector benevole, quàm prompto sensu & animo vocent sua miracula, quæ in nobis vocitent vana deliria, crepundia, aniles fabulas! Verùm ad propositum.

An non Bohemi ac Hungari ulterius grassati excussere jugum adeò, ut hi Bethlemum Gaborem, illi Fridericum Palatinum sibi legerint Reges, exauthorato Ferdinando? An non Friderici hujus conjugem Anglorum Regis filiam, grandi supercilio fæminam, sua dignitate nequaquam contentam, Bohemice sceptrum sibi optasse semper, & desiderijs maximis desiderasse fassi sunt ipsimet Ferdinandi hostes? An non cum Bohemis refractariis nefario ausu pugnârunt contra Cæsarem Angli, Batavi, Dani, Moravi, Silesii, Lusatii, Anhaltini, Brunsvicensis, Durlacenses, Badenses, aliique minoris in Imperio nominis hostes? An non Ferdinando, & cunctis Austriis ruinam ultimam intentârunt, penetraturi etiam, si per vires & victorias liceret, in Italiam, & tum præcipitaturi post præcipitatum jam Romanorum Imperatorem, Romanorum etiam Antistitem, ut necdum satiatis Ecclesiæ spoliis in Germania, saturaret tandem opulentior Italia? An non Joannes Georgius, Saxonie Elector, à Lutheranò populo diis par æstimatus, multos in annos probavit Ferdinandi contra Bohemos & confœderatos hostes causam æquissimam? An non idem Elector Georgius I. contra *Edictum restitutorium* tandem insurgebat ardentissime, renuens restituere ablata Ecclesiæ? vindicans sibi Lusatiam utramque? vindicans filio suo Augusto Magdeburgensium Archiepiscopatum? An non potiundi pluribus desiderio, jam multas possidens Ecclesiæ ditiones, accensus Elector hic Gustavum Adolphum Suecorum Regem contra Ferdinandum animavit, prius tam fidus Cæsari Achatas? An non idem Saxonie Dux, nescio quibus artibus, post impetrata à Cæsare, quæ petiit, jura & bona, relicto quamprimum Suecorum foedere ad Ferdinandum II. rediit, hujus amicus non magis ad Aras, quàm usque ad focos?

R. P. Kolb Series Impp.

O o o

Hæc

Hæc bellorum capita ex Hübnero & Erdmanno adnotare lubuit, ut contra Hippolytum pugnarem armis non meis, sed ab hoste porrectis. Ex his igitur aliisque in Reflexionum serie dictis statuere haud difficulter licebit Lectori, num Ferdinandus II. prior, an hujus hostes *Bullam auream, Pacem Religiosam & profanam, Leges, Constitutiones Imperii &c. pro suo libitu & privata utilitate fuerit interpretatus.* Intelligere simul vacat, an Cæsar potius, an Cæsari *subjecti Principes Ordinum omnium jura invaserint, irruerint, irruperint, & multa sibi mancipia Imperii Principes fecerint, quasi nullis amplius fundamentalium legum & Capitulationis* (non minus Cæsarem, quàm Status Imperii reliquos obligantis) *constringerentur repagulis.* Colligere non minus pronum ac promptum est, an Ferdinandus II. an hujus & Ecclesiæ Romanæ hostes exempla posteris reliquerint præteritæ tyrannidis futura monumenta. *Vide Reflexiones seqq.*

Reflexio ac Responsio IV. ad IV. & V.

Dixi & dicam amplius, quàm fallax Propheta, tam fallax est Historicus Hippolytus, nec fidem servans futuris, nec seculis præteritis: adeone enim *solus Ferdinandus II. Fridericum Palatinum proscripserit, ac proscriptum solus restituere nunquam voluerit?* Non ego Pontificiorum authorum implorabo hic fidem, ponderosior sit mihi Hübneri & ipsius Hippolyti fides contra Hippolytum; Hübnerus enim veritati suffragium non solet sæpe negare, si suis partibus contrariam non patiatur veritatem. Is itaque suis in tomulis affirmat, inter Ferdinandum Cæsarem & Electores, præsertim Moguntiaë atque Coloniaë intercessisse amicitiam singularem. Et quid ni singularis hæc fuerit amicitia? Elector enim Moguntiaë Joannes Schweighardus autoritate sua maxima Rudolphum & Mathiam Augustos Fratres mutuò dissidentes paulò antè composuit. Subinde verò totus pro Ferdinando Cæsare contra Bohemos pugnante, à Duce Brunsvicensi, post amissam Pragæ victoriam, armis vexatus; sed mox etiam à Tillio liberatus, magnas liberatori suo, majores grates Ferdinando habuit Cæsari, cui & ipse unà cum Imperii Statibus aliis suasit ac persuasit, ut Electoratûs jura Friderico Palatino adempta, Maximiliano Bavariaë Duci optimè merito cederentur. Hæc Hübnerus

nerus tom. VII. fol. 101. & 102. Coloniaë Elector ea ætate fuit Ferdinandus, Bojariaë Dux, Maximiliani I. frater germanus, quem post cladem Friderici Palatini hujus amicus Christianus Brunsvicensis duris habebat modis. Brunsvicensem secutæ Suecorum, & Hassorum copiæ in multos annos fecêre angustias Ferdinando Coloniensi, vel ideo solùm, quòd pro Ferdinando Ferdinandus pugnaret, Bavarus pro Austriaco, cujus *Pacem* cognomento *Pragensem* probari sibi suisque etiam Elector Coloniensis Cæsari significârat. Hæc denuo etiam *Hübnerus tom. VII. fol. 845. & seq.*

Jam verò de Georgio, Saxoniae Electore, conqueritur ipse Hippolytus, quàm multîs pro Ferdinando Cæsare steterit annis, cùmque eodem *Pacem Pragensem, omni bello nocentiorum & proditoriam* cuderit, reliquis etiam Statibus ut amplecterentur, proponendam. Erat jam eo quoque tempore inter Imperii membra ipsis Septemviris dignitate proximus Maximilianus, Bojariaë Dux, qui Cæsaris nutum, suum imperium, Austriacorum fortunam, suam dixit salutem. Si Leo Status Imperii, ut vocamus sæpe, permultos alios, non modò Ecclesiæ Romanæ addictos, sed ab eadem alienos, quibus omnibus libuit eam abire in sententiam, ut in Maximilianum Bavarum de Domino Palatina Electoralis transferretur dignitas, exauthoratò penitus Friderico, ea etiam de causa, quòd hostes identidem novi occurrerent, qui pulsum Fridericum pristinae dignitati non armatis precibus, sed robustis viribus restituere incassum laborârunt. Improbârunt interea cum Cæsare Friderici causam omnes reliqui Duces Palatini, vel saltem ii præsertim, qui ex Linea Bipontina proximum accepere sanguinem. Certè Wolfgangus Wilhelmus laudatissima famæ Princeps circa idem temporis spatium ejuratò Lutherò, aut Calvinò sacramentum dixit Romanæ Ecclesiæ, simulque condemnavit Friderici, propinquitate sanguinis sibi conjuncti, adversus Cæsarem perfidiam; id unum desiderans, & optans maximè, ut sibi & hæredibus suis liceret per Cæsaris & totius Imperii veniam succedere in Electoralem dignitatem, pulsò in exilium Fridericò.

Hæc pleraque haurire licuit ex Heterodoxis etiam Historicis. Igitur nunc, Hippolyte, & posteris refer, fallacissime fabulator, à Ferdinando II. sua unius autoritate proscriptum fuisse Fridericum, Im-

perii Vicarium, Imperatoris judicem. (O præclarum Imperatoris judicem, tam tumultuarium Bohemiæ Regem!) contra te & Fridericum tuum stabunt pro Ferdinando Cæsare Moguntinus & Coloniensis, nec non Palatinus Dux ipse cum Bojariæ & Saxoniam Electoribus. I nunc, & Pragensem Pacem quovis bello nocentior, quin proditoriam appella, si tamen pudorem & verecundiam adeo exuisti omnem, ut Imperatorem, & Electores cum multis Imperii membris Principibus non vereris dicere proditores. Profecto ad tantas contumelias pronior non memini me legisse scriptorem.

Reflexio ac Responsio ad VI.

GRande piaculum! quod commiserunt Imperatores Austriaci, excludendo ex Imperii Senatu eos Heterodoxos Principes, qui quemadmodum eorum bona fuerunt quondam Ecclesiastica, ita ipsi cum bonis retentis retento Ecclesiasticorum nomine, non minus Ecclesiasticorum Virorum sedes in Comitibus publicis vindicare sibi præsumebant, eum ferme in modum, quo hætenus Archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, aut alii saltem his minores Ecclesiæ Antistites inter Imperii gradus eminebant. Grande piaculum alterum! quo se contaminarunt iidem Imperatores Austriaci, inferentes in Imperii Catalogum Principes vel Comites hætenus minori nobilitatis nota insignitos, quales ex Hippolyti testimonio fuerunt Comes Arnbergius, Dux item Transylvaniae Bethlem Gabor, uterque in classem Imperii Ducum; Fuggeri verò Augustani in Comitum seriem admissi.

Nimirum, ita existimo, avarus est Hippolytus, qui data manu haud illiberali non contentus, brachium, ut ajunt, quin corpus integrum sibi porrigi postulat. Bona nimirum Ecclesiæ violentis lacertis erepta in hostium manibus relinquere vis & temporum iniquitas jubebat: En manum Heterodoxis datam! hi verò hac liberali manu sibi porrecta necdum satiati, locum sibi arripere in Imperii Comitibus etiam conabantur, ut ipsi quoque forent Imperii brachia, aut *Augusti Corporis* pars maxima. Sed Superum gratia, & donum singulare hoc fuit, Catholicis

licis servatum, ne ita contingeret: dedecebat etenim Imperii Corpus quondam venustissimum, tum verò frequentibus de Religione bellis deformatum, deformare amplius. Soli Status in Imperio Seculares in tres diversas Religionum jam classes divisi, quanto magis Imperium distinguebant, tanto amplius turbabant. O! si inter Romanos in Imperii Conventu publico Præsules, tempore & jure firmissimos, sedere datum fuisset quibuscunque aliis inter suos dictis Viris Ecclesiasticis; quantum augmentum sumpissent turbæ, ac discordiæ eo ipso in loco, ac tempore, quibus concordia sibi omnem locum ac tempus jure vendicaret! Cæterum isti Ecclesiasticorum bonorum possessores, ut procul abessent ab Imperii Comitibus, non solum cautum voluere Imperatores Austriaci: citius consensere, aut omnino Cæsaris assensum expressere Viri Principes in Imperio Orthodoxi non pauci, qui procul dubio pondere & numero reliquis cunctis prævalebant. Quin Elector Saxoniam Georgius retentis Ecclesiæ bonis satur, nec sibi nec aliis Ecclesiasticorum bonorum novis possessoribus locum reliquum in Imperii Conventibus postulabat, pactis in annos 40. induciis. Vide *Pacem Pragensem* an. 1635. *intam.* item *Brieth. 3. fol. 901. & 902. Forest. 48.*

Restat jam Austriacorum Cæsarium piaculum alterum, quod merito Austriacæ prudentiæ ac clementiæ luculentum vocamus argumentum, Imperatoribus antiquioribus etiam commune: si enim à Carolo M. usque ad Carolum VI. per Historiæ periodos descendere, & relatos in Imperii *Matriculam* vel Viros Principes, vel his minores attendere grave non fuerit, convicti fatebimur, non modò de Baronum, aut Comitum stirpe prognatos, sed ipsos etiam Supremos post Cæsarem Imperii Moderatores non nisi summorum Principum auctoritate fuisse in Imperii Ordinem cooptatos. Carolus M. velut meminimus, varios Germaniæ viros præclaros sibi in Comites Palatinos (itatum vocare cœperant) Marchiones, Landgravios, Burggravios &c. assumpsit, ut eorum auxiliis suffultum Imperium staret firminus.

Henricus I. in Borealibus provinciis Marchionum auxit numerum. Otto II. Lotharingiæ Duces Imperii feudis honoravit.

Otto III. Pontificis Gregorii V. auctoritate commotus, Imperii Ele-

- stores deligendo deinceps Cæsari ex multorum Principum numero selectos constituit.
- S. Henricus Herbipoli dedit Ducem, Bambergæ verò Episcopum soli Romano Pontifici subditum.
- Conradus II. Burgundis Præfectos regio nomine ornatos misit; quin Marchionatum Sleswicensem Canuto Daniæ Regi in dotem suæ filiæ concessit.
- Henricus III. exauthorato Gonzelone Ignavo, Ducatum Lotharingiæ Friderico Luxenburgico, & hoc defuncto, Gebhardo Alsatia Comiti commisit.
- Henricus IV. Fridericum, cognomento Antiquum, Comitem in Hohenstauffen inter Imperii Duces collocavit.
- Henricus V. restituit Ecclesiæ sua jura, & Mathildis in Italia Principis foeminæ hæreditatem.
- Lotharius II. rata habuit quævis jura Ecclesiæ: Herbipolis Præsulibus Ducis etiam honorem confirmavit.
- Conradus III. proscripsit Henricum, cognomento Superbum, Bavarie Ducem, divisit hujus bonis amplissimis inter Saxonie Ducem & Austriæ Marchionem.
- Fridericus I. Henricum Leonis Saxonie Principem Imperii Ducem dixit, concessit eidem privilegiis amplissimis. Bohemis primum dedit Regem. Multis in varia regione urbibus Imperii jura indulgit.
- Fridericus II. Viris inter Brunsvicensis & Anhaltinos Principibus Ducum insignia misit; quin & Duces Austriæ Electoribus Imperii penè æquales constituit, concessit iisdem glorioso Archiducis, aut omnino Regis nomine.
- Henricus VII. Eberhardum, Württembergiæ Comitem, ex Imperii gremio eiecit.
- Ludovicus Bavarus suummet fratrem Rudolphum, Palatinum Electorem, in exilium expulit, vendicatis sibi ejusdem bonis.
- Carolus IV. Marchiones Juliensem & Megapolitanum inter Imperii Duces numeravit.
- Wenceslaus Joannem Galeacium, Mediolani Comitem, Imperii Ducibus annumeravit.

Ruper-

Rupertus Palatinus inter quatuor suos filios hæreditatem distribuens, varia iisdem concessit Imperii jura.

Sigismundus denique Fridericum Hohenzolleranum, Norimbergæ Burggravium, uti vocabant, Brandenburgicis dedit Ducem, Imperio Electorem.

Ex his, permultisque aliis exemplis perspicuum fit, quanta fuerit omnium ab Austriadum serie diversorum Cæsarum cum auctoritate conjuncta potestas, tum in creandis novis, tum in rescandis noxiis Imperii membris. Quodsi verò Hippolytani sectatores malint defendere, tot in utramvis partem exempla robur accepisse ab Imperii quoque minoribus Imperatore Statibus; tum enim verò invertunt Historiam Imperatorum bene multam, & imponunt suis humeris onus probandi multis centipondiis longè gravius. Si animus foret, supra Carolum M. ad Imperatores ascendere, quamprimum invitis etiam appareret, quanta cum potestate commixta Majestas fuerit Cæsarum, E. gr. non unius tantum *Constantini*, aut *Theodosii*, aut *Justiniani &c.* in promovendis, aut removendis quibusvis Viris vel meritorum gloriâ exornatis, aut vitiorum dedecore notatis. Fallunt igitur & falluntur planissimè tot, quotquot cum Hippolyto criminantur Austriacorum Cæsarum potestatem, ac Majestatem, quasi Imperio gravem, & nimiam, & onerosam, & exitiosam. Quotquot Austriaci Imperatores quemquam altiùs evexerunt, vel profundius deprefferunt absque omnium in Imperio Principum consensu, nunquam argumentis destituti, proborum virtutes eximias fuerunt remunerati, improborum verò insignia vitia fuerunt detestati. Et quidni, ut in allatis Hippolyti exemplis tandem finiam, quidni Rudolphus II. Arnbergios Comites in Virorum Principum, Augustæ Fuggeros verò in Imperii Comitum inseruerit catalogum? namque utriusque familiæ per complura jam secula tantis suis meritis tum in campis Martiis, tum in Imperatorum, aut his minorum Principum aulis illustrarunt Imperium, ut meritò de eorundem promotione in altiorum Statum factâ, Imperatores Austriaci sibi gaudeant.

Nec hætenus fors fuerit præter Hippolytum quispiam, qui criminatus sit Ferdinandi II. factum, quo Bethlemum Gaborem inter Imperii

perii

perii Ducēs exaltavit: paulò antè enim Friderici refractarii in Bohemia socius iis erat stipatus copiis, ut Hungariæ coronam sibi promittere firmam non vanè licuerit. Cæso autem ipsò Fridericò seditionis sociò, mox Cæsari factus aut supplex, aut subditus pacem obtulit, & oblatam accepit, Reipublicæ Christianæ & Imperio deinceps data fide non obfuturus ampliùs. Cum itaque tempestate illa ad seditiones & bella tum domestica, tum externa spectarent omnia; è consilio fuerat, Bethlemum Gaborem se dedentem recipere in fidem, & communi Principum in Imperio honore placare ampliùs, quàm exasperandum denuo repetitæ rebellionis vel authorem, vel adiutorem facere. An verò ad id rite agendum consilia in Imperio Principum adhibuerit Ferdinandus, pernegat solus Hippolytus. An opus fuerit adhibere, fortè præter hunc ipsum, nullus authorum Politicorum sustinet asserere: non enim eorum consiliis in promotione Principum Imperii frequenter opus esse, videntur docuisse cum Münchmayr. fol. 151. *Lancellotus, Schrader, Zasius, Sixtinus, Gailus, Rosenthaler, Besoldus & alii.*

Reflexio ac Responsio ad VII.

UTinam nunc tandem perspicere daretur Hippolyto, quàm nullo nixus fundamento inculcarit Ferdinandum II. Cæsarem, quòd non requisitis Imperii Statibus Wallensteinium Cæsareis præfecerit supremum Ducem copiis. Quæro etiam ex Hippolyto de latore immodico: quos Imperii Status requisivèrè illi conjurati potius, quàm confœderati Ducēs omnes, qui unà cum Friderico Palatino, & mox cum Suecorum Rege pugnaverunt contra Cæsarem? Causa tunc agebatur non minùs Imperii, quàm Ecclesiæ Christianæ: pro aris pugnatum fuit & focus etiam, sed pro privatis ardentius, quàm pro Reipublicæ universæ area. Atque isthæc qui ignorat, in Historia bardum & truncum dixerim, qualem tamen non dicam Hippolytum, ut aliquem honorem tribuam illi, qui nec Imperatoribus ullum reliquum honorem dedit. Tu verò multæ patientiæ Lector, ex allatis hætenus Hippolyti causis, causas & casus, in eodem plures alios metire, crassiores duntaxat mihi refutandas selegi, hoc ductus argumento: si quæ prima sua specie robur videntur habere, sint

sint absque robore, quantò magis destituerit pridem firmitas reliqua calumniarum capita, quæ suamet facie suam produnt infirmitatem? Hinc, quod superius jam monendum putavi, non multis refellendum proposuissim mihi Hippolytum adversarium, nisi Scriptores Lutheri affectæ, Hippolyto juniores, ipsi seniori robur inesse existimassent; quam mentem suam abundè probârunt, dum ejus nunc apertè, nunc tacitè authoritatem sibi fulcrum fecêre, super auras aut aquas ædificaturi domum suam Historicam.

Reflexio ac Responsio VIII. & IX.

Faxint Superi, ut meo lateri hæreat rerum maximarum arbiter peritissimus juxtà & æquissimus, qui comparatis inter se exemplis tyrannidis indicium prodentibus pronuntiet, an Austriacos Imperatores, an verò horum hostes plurimos barbaro tyrannorum nomine oporteat infamare. Absit à me procul, ut ego Principum in Imperio, licèt à Romana Ecclesia abhorrentium, quemquam *tyranni nomine* compellem, præsertim hoc nostro tempore. Quodsi tamen Hippolyti æstimatores nostra ætate tam durâ nomenclaturâ in Austriacorum Augustam familiam ferocirent, continuò exclamarem: amice, *quid vides festucam in Austriacorum oculo, & trabem in tuorum Principum oculo non vides?* Non opus est hoc loco exemplis è priori seculo eruendis, id unum rogatum velim maximè Lectorem, ut Reflexiones utriusque seculi postremi sedulò percurrat oculò; cui non deerunt exempla à tyrannide haud multùm remota, quæ Austriacis tergis incubuèrè rarâ patientiâ sustinenda.

Nunquam nempe Austriacorum Cæsarum ullus eorum Principum quemquam, quos è pugnis captivos duxêre, tyrannorum more habuit: quid si verò Mauritius, vel ullus alius Lutheranorum Ducum vel Carolum V. vel Ferdinandum II. cepissent, quales putas fuissent in captivum Cæsarem capientes? Nunquam Imperatores Austriaci vel suas Regibus coronas, vel suas Romani Imperii Electoribus togas, aut pileos, nisi provocati, eripuèrè: quid futurum fuisset putemus, si conjurati tot Principes adversus Ferdinandum II. triumphassent? An Pergama nunc starent, Priamiqûe arx alta maneret?

ret? Nunquam Austriacorum Cæsarum quispiam cum Mahometanis tyrannis, hostibus Christiani nominis exosissimis, populis barbaris stabile aut perpetuum fœdus pepigit, nec in extremis etiam angustiis armorum societatem iniit, aut Turcarum suppetias imploravit: An par encomium Protestantium debetur Ducibus, & pio (si Superis placet) fœdere conjunctis Regibus? Nunquam ex Austria dum stemmate natus Imperii Moderator Supremus Protestantium Principem Ecclesiæ bona rapientem, Monasteria exspoliantem, in Romanos Clericos aut Monachos sævientem, nova dogmata defensantem, *Anti-Christi* aut *hujus defensoris nomine* appellavit. Protestantium verò Duces cum suis gregariis an non Romani *Anti-Christi defensores & propugnatores* dixere Austriacos Cæsares? Reflectere ne tædeat mentis oculos ad priora nati Christi & Christicolarum secula, quibus *Leones Isaurici*, vel *Constantini Copronymi*, vel *Juliani Apostatae &c.* in Romanam, huicque subjectas Ecclesias debacchati fuerunt, & tum, comparatione denuo facta inter Austriacos Cæsares, ac inter Heterodoxos nostrorum seculorum Duces, continuo elucescet veritas, quæ tyrannis illis similiore non dicet Austriacos, sed Austriacorum hostes parùm Christianos. Ut Austriacorum causa amplius liqueat, non tam quæram argumenta mihi ex Historicis Romano-Catholicis, quàm ex Lutheri amicis. In Hübnero & Erdmanno, si multa excutiam folia, invenio bella à Ferdinando II. & Ferdinand III. adversus hostes per triginta annos suscepta, in quibus nunc victus, nunc victor, Romanæ Ecclesiæ Aras ad ultimam sanguinis guttam, & extremum vitæ spiritum propugnare nunquam non sibi proposuit, & Deo promisit, promissis non magis verbo, quàm opere impletis. Inter tantos bellorum tumultus hostes nunc pertulit, nunc repulit, in Bohemia Fridericum Palatinum; in Pannonia Bethlemum Gaborem; in Silesia Christianum IV. Danorum Regem cum socio Mansfeldio; in Saxonia Saxonæ Electorem Jo. Georgium; in Austria aliisque regionibus etiam hæreditariis rebelles copias; in universa propemodum Germania Gustavum Suecorum Regem cum sociis regiis; in finibus Europæ Turcarum turmas à Christianis vocatas. Tot ac tanti contra Ferdinandum II. pugnârunt, an Duces Christiani

Christiani contra Cæsarem tyrannum? an potius Cæsar Christianissimus contra tyrannos? Dixi & dicam sæpius: nemo ex tot Ferdinandi hostibus audiet mihi unquam tyrannus, tametsi Ferdinandum II. & reliquos Imperatores Austriacos absque scrupulo dixerit crebrò tyrannos Hippolytus, nactus æmulatores non obscuros. Verùm enimverò quàm parùm cautè, quàm parùm prudenter scripsit Hippolytus cum multis æmulis! Utinam respexisset pristinorum seculorum Imperatores, & ori mox imposuisset digitum, calamoque imperâisset otium: exclamâisset etiam cum sociis: si Ferdinandos Cæsares tyrannos dicimus, profectò inter tyrannos jam numeravimus magnos maximi nominis Cæsares, Constantinum, Theodosium, Carolum & Ottonem; nullus enim ex tantis Imperatoribus ita imperavit, ut non per complurium annorum seriem bellum indixerit hostibus, Romanas Aras armis petentibus: hostes Constantino Ecclesiæ propagatori vim fecere Maximinus, Galerius, Maxentius cum sociis tyrannis. Perduelles contra Theodosium Ecclesiæ propugnatorem insurrexere Maximus, Eugenius, Arbogastes itidem tyranni. Extremâ pertinaciâ obstitere Carolo M. Ecclesiæ reparatori Witekindus per annos 33. cum armatis sociis idolorum cultoribus. Ottoni M. Ecclesiæ conservatori ingentem vim intulere Hunnorum Reges, quin ipsi etiam Danorum Reguli ad idolorum cultum reversi. Nemo tamen nostrum tyranni nomine compellavit vel Constantinum, vel Theodosium, vel Carolum, vel Ottonem M. Jure autem optimo dixit & Ecclesia & Imperium, nobis toto capite annuentibus, tyrannos Maximianum, Maximinum, Galerium, Maxentium, Maximum, Eugenium & cæteros Magnorum illorum Cæsarium hostes. Qua de causa igitur Ferdinandos & reliquos de gente Austriadum Imperatores inimico tyrannorum nomine compellavimus? cur non potius horum multos hostes Principes tam honorifico titulo insignivimus? Ferdinandæa namque causa non usque adeò abhorrebat à causa quatuor illorum Magnorum Cæsarium. Causa è contrario hostium adversus Ferdinandos pugnantium haud omnino diversam induit faciem & formam ab ea, quam præsetulit causa tyrannorum Constantino, Theodosio &c. rebellantium.

Secus si res habeat, pandite porro vel pauca tantum tyrannidis exempla: causam ego cadam, si plura ostenderit barbarae austeritatis testimonia, quam ego ostendero Imperatoriae clementiae in Ferdinando II. argumenta. Audite sententiam Historicis de hoc eodem Caesare notissimam. *Præstat Ferdinandum II. ledere, ac veniam petere, quam nunquam offendere*: offendit namque inter primos Ferdinandum Dux Saxo-Altenburgicus & Wimariensis; Comes item Isenbergicus & Hoënloicus, nec non Princeps Anhaltinus, Bohemiarum turbarum incentor; hos tamen singulos, vix veniam dignos, veniam donavit Ferdinandus, donaturus pari gratia Fridericum, si cum iisdem potius pacem petere, quam postulare didicisset, hostibus Caesaris supplex magis, quam Caesari; confidens etiam in arma lubentius, quam in preces malefactorum poenitudine armandas. In Bohemia certe in 40. seditionis socios jam latam à Judicibus sententiam, sententiam latam ita mitigabat, ut cunctos mitior poena exceperit, quibusdam etiam vitae gratia obtigerit. In Moravia pariter rebellium Duces quatuor supra viginti jamjam capite plectendos, suam sententiam absolvit Caesar, poenis longè mitioribus contentus. In promptu forent encomia multa alia, quibus Historici Romano-Catholici extulere Ferdinandi II. clementiam & virtutes Imperatorias alias; quoniam verò quorumvis aliorum authoritas vim longè majorem & fidem impetrat à Ferdinandi hostibus, hinc ab hostibus magis, quam ab amicis pauca petam testimonia superius in Serie Imperatorum relata. Hæc omnia equidem altò silentiò suppressere Hübnerus & Erdmannus, certò certius dicturi, si tanta encomia Ducibus, patronis suis reliquissent qualescunque vel amici, vel inimici. Erdmannus tamen, fortè ut Ferdinando & Successoribus non displiceret, facta ejusdem Caesaris ad amissim Romano-Catholico fideli calamo exprimere conabatur, fol. 1145. quæ si ritè comparato perlegerit animo Lector, vix temperabit sibi, ut non exclamet: profectò Ferdinandi II. fata ultima, si deessent cætera, vel sola testarentur vivis, Ferdinandum nunquam vixisse tyrannum. Si talia igitur legerent Hippolyti amici, procul dubio pronuntiarent: Hippolytus noster tyrannorum more sævit in Ferdinandi II. laudes & virtutes Imperatore dignissimas, quas cum neququam valuit delere gladiò, delere

delere laboravit calamò, scriptor & pictor suomet penicillò totus niger.

Verum abrumpo filum: invisa nimirum hæc est aranearum tela. Procul absit à nobis fel omne & absinthium. Potius feligimus mel apum more, & earundem exemplò ducti, in Imperio velut in amplissimo alveario concordiam stabilimus. Quisquis cum Hippolyto inter ulla Principum classes per universum Imperium turbas excitavit, is publicæ concordiae hostis, & proditor habeatur. Obfirmentur igitur & conspirent (utor verbis Hippolyti, sed in amicum sensum translatis) obfirmentur, inquam, & conspirent in Austriacum hoc genus, omnium, quicumque tristem servire servitutum dedignantur animi: magna enim inter subditos humanæ libertatis & felicitatis pars est, habere Dominos parentibus pares. Conspirent, inquam, & removeatur ante omnia, quæ omnium malorum causa, ac fomes est, Ordinum discordia: depositis inimicitis, & omni privato respectu, coeant inter sese omnes, cujuscunque tandem religionis sint, Imperii Ordines, ac in commune consulant, ut Austriacorum Caesarum cum Majestate conjuncta potestas nunquam non vincat, floreat ac triumphet. Hæc, hæc erit fors totius Romani Imperii faustissima. Hæc pars felicitatis maxima. Hæc gloria summa Germaniæ & Italiæ, quin Europæ universæ, quam utrumque Orbis sydus maximum suo lumine adeò illustrabit, ut ab extremis etiam mundi angulis veniant gentes illuminandæ, Europæi Imperii, & Ecclesiæ Romanæ face ac luce nunquam extincta, nunquam abscondita, constanter supra montes posita. Sic vivere, sic vovere delectat. Unde fit

REFLEXIO IX.

UT ad publicam concordiam redeant, non opus habent præconis voce permulti in universa Europa Viri Fæminæque Principes: tot enim seculo XVII. ad Romanæ Ecclesiæ & Austriacæ potentiae concordiam redierunt, ut, si argumentis omnibus aliis in bivio destitutus viator hæreret, quam in viam suos dirigeret gressus; è tot præcurrentium vestigiis sibi argumentum sumeret firmissimum, in viam ab hac diversam non declinandi. Tot planè magni nominis Viri Fæminæque priori seculo, scil. XVII. in Ro-

manæ Matris gremium recepti fuere, ut eorum me copia faciat inopem. Legat, qui volet, editos de hoc eorum ad Ecclesiam Romanam reditu libros, & libellos varios, E. g. *Briethium*, vel *Rationem status Animæ* an. 1715. Tirnavii editam, quo in libello ingens ad Romanas Aras converforum à fol. 202. usque ad fol. 212. subjicitur oculis catalogus. Proin, hunc ipsum Virorum, ac Foeminarum Principum longam seriem Lectoribus æstimandam propono. Ordinem tamen authoris non observo.

In Romano maximè Imperio, & quidem in Saxonia Religionis mutatio ante duo secula obtinuit initium; unde hinc à Saxonia absque dignitatis aut præcellentiæ discrimine faciamus exordium, descensuri per Ducum & Principum Antiquissimorum familias ferè singulas, quæ vel Luthero vel Calvino aures præbuerunt amicas, dolore multorum ad Romanam Ecclesiam reverforum saluberrimo.

Ex Stemmate Witekindi M. Saxonum Regis vetustissimo ad Romanas Aras redierunt

Fridericus Augustus, Polonorum Rex & Saxoniae Elector, tametsi multis tempore posterior, tamen ordine dignitatis prior an. 1696. Viennæ totius Romanæ Ecclesiæ singulari gaudio ad nos conversus.

Friderici Augusti Genitoris vestigia æquis passibus profecutus est Filius Serenissimus Fridericus Augustus an. 1714. in Italia antiquam Saxonum Fidem reperiens.

Exemplò Catholicò plurimis præluere cœpit an. 1695. Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, Christianus Augustus, natus Dux Saxo-Citicus, Protector Nationis Germanicæ, Supremus Secretarius & Cancellarius regni Hungariæ; Legatus Sedis Apostolicæ; Archi-Episcopus Strigoniensis, & Primas regni, nec non Plenipotentarius, ut vocant, Cæsareus Ratisbonæ &c. Præsul sanè virtutibus suis maximis in Romano Imperio, quin tota in Ecclesia notissimus.

Tempore præcesserunt Dux Albertus Saxo-Weissenfelsensis an. 1659. in viam veritatis reductus.

Julius Henricus Saxo-Lauenburgicus an. 1665. an. ætat. 79. mortuus, pridem verò Dogmate Orthodoxo ritè instructus, & Religionis Roma-

Romanæ facem præferens Ducibus filio, fratribus, neptibus geminis & subditorum plurimis; ex neptibus est superstes Serenissima Francisca Sybilla Augusta, Ludovici Wilhelmi Marchionis Badensis p. m. Vidua, Religionis zelò ardentissima, teste ipso Romano Pontifice Clemente XI. quem veneratura Romam advenit an. 1718. Fratres Henrici Julii erant

Franciscus Carolus, Dux Saxo-Lauenburgicus, strenuus & perpetuus Romanæ Ecclesiæ Defensor an. 1630. reductus.

Fratrum alter fuit Rudolphus Maximilianus, qui jam an. 1620. Romano Pontifici sacramentum dixit, & cælibem vitam finiit an. ætatis 52.

Filius Julii Henrici fuit Julius Franciscus, qui circa an. 1641. cum sorore.

Maria Benigna Francisca Principis Piccolomini conjugæ Lutherum ejuravit.

Ex Linea Marchionum Brandenburgicorum.

Christianus Wilhelmus, Marchio Brandenburgicus, Dux Prusis, Administrator Magdeburgensis Ecclesiæ, circa annum 1631. saniora sacra edoctus, annorum 78. senex Catholicus mortuus an. 1665.

Exemplum exemplo exornavit an. 1704. ex eodem stemmate nata Eleonora Magdalena, filia Christiani Ernesti Marchionis Culmbacensis, vulgò Byruthani, quæ eodem anno nupsit Illustrissimo Comiti Hohenzollerano Hermanno Friderico, Belliduci Cæsareo, & Munimenti nostri Friburgensis Præsidi Supremo, cujus exempla Catholica quotidie videmus, miramur & quadantenus imitamur; mortuæ verò conjugis in Fide constantiam legimus, laudamus, & recordamur.

Ex Linea Brunsvicensi Luneburgica, ex M. Witekindo progenita.

Prorsus insigne encomium meretur Elisabetha Christina, Domina nostra Augustissima, verè Imperatrix Romana & Regina Catholica

lica an. 1707. Bambergæ Romanam fidem professa, Lutheranorum omnium imitatione dignissima.

Dux Antonius Ulricus an. 1710. ad Aras Romanas conversus, in gremio Romanæ Ecclesiæ haud ita pridem mortuus octogenario major, atque adeò insigni senectute, sed & simul virtutibus omnino multis venerandus.

In via Religionis & æternitatis præcurrit Dux Brunsvicensis Hannoveranus, Joannes Fridericus Wilhelmus, Amaliæ Augustissimæ Imperatricis viduæ genitor an. 1651. Lutherum ejurans an. 1679. dum Italiam petiit, Augustæ Vindelicorum mortis nuntiò interceptus est.

Erroneam doctrinam pariter damnavit Maximilianus Wilhelmus, Dux Brunsvicensis, Augustæ Amaliæ patruelis, Gregorii Ludovici Anglorum Regis & Electoris Hannoverani frater, qui crebrò pugnavit fortiter contra Mahometanos pro Religione & Cæsare.

Ex Linea Onoldica, vulgò Anhaltina.

Prioribus meritò subjungitur Linea Anhaltina, utpote ex antiquissima stirpe Ascania descendens, & Witekindi hæredibus affinitatis vinculo seculo XI. jam connexa, ex qua Christianus Aribertus Dessaviæ, urbe Principatûs sui Principe, errores suos in fide pristinos damnavit an. 1677. Confluentiæ mortuus.

Ex Electorali Familia Palatina, Carolo M. Imperatori sanguinis propinquitate & Religionis antiquitate conjunctissima, ad Aras nostras redierunt

Ex Linea Palatino - Neoburgica.

Wolfgangus Wilhelmus eximiò Romanæ Ecclesiæ ornamentò an. 1614. Romanam Religionem sibi & suis restituit præclare, Dux sanè prudentissimus, providentissimus, & in Fide constantissimus.

Genitorem Wolfgangum 75. annorum Senem pientissimè an. 1650.

1650. mortuum Fide & Vita meliori, nimirum Catholica, æmulari coepit filius Philippus Wilhelmus Elector Palatinus, quot maximorum filiorum & filiarum genitor, totidem columnarum in Ecclesia Romana firmissimarum fundator, annorum pariter 75. Senex Viennæ mortuus an. 1690.

Auctor jure optimo ad Religionem Orthodoxam reducendis potuit esse plurimis an. 1655. Christianus Augustus, Dux Neoburgico-Sulzbacensis, mortuus an. 1708. annorum 86. Princeps, qui in rebus omnibus circumspectissimus probè notavit discrimen inter doctrinam Romanam & Lutheranam; in hac natus & educatus, in illa verò renatus & mortuus, exemplò suò traxit ex sua familia tres Principes masculos & duas fæminas, imò plures.

Ex Linea Palatina Simerensi.

Eduardus, Caroli Ludovici Electoris Palatini ex hac linea ultimi frater in Gallia Romanorum Fidem professus an. 1663. Catholicorum more est mortuus.

Cum fratre Duce Eduardo in asserenda Fide Romana consenserunt fratres duo Rupertus & Mauritius. His accessit Charlotta Elisabetha, Caroli Ludovici ex Linea Simerensi Electoris penultimi filia, Philippi Ducis Aurelianensis conjux, paucis abhinc annis in Aula Borbonica piissimè mortua.

Elisabetha Hollandina, Eduardi Ducis soror, an. 1659. Romano Pontifici sacramentum dixit, & simul Religiosis votis se Deo arctius adstrinxit, electa Abbatissa in Monasterio Maubuisson.

Ex Linea Ducum Wirtembergicorum Stutgardiensis.

Carolus Alexander Dux in Germania, Italia, quin ubivis ferè terrarum à rebus hoc seculo XVIII. bene gestis clarissimus an. 1713. Viennæ Deo, Romano Pontifici, & procul dubio Cæsari sese novò sacramentò obstrinxit.

Carolo Alexandro face Religionis præluxit Charlotta è Montis Bellicardi linea Sylvii Friderici Würtenbergo-Olsnensis vidua an. 1702. in Gallia ritè credere edocta.

Ex Ducibus Megalopolitanis antiquissimis Linea Suerinensis.

Christianus Ludovicus Adolphi Friderici filius primogenitus Parisiis Romanam Ecclesiam an. 1663. suam dixit Matrem, hujus in gremio an. 1695. mortuus.

Ex Ducibus Holsatiae sanguinis propinquitate Danorum Regi conjunctis.

Alexander Henricus ex Linea Sunderburgica, Christiani III. Daniæ Regis abnepos, Romanis se denuo junxit cum duobus filiis, Ferdinando Leopoldo & Alexandro Rudolpho, Uratislaviæ in Cathedrali Ecclesia Canonicis Clarissimis.

Accesserunt fratribus sorores Principes, scilicet Augusta Sibylla & Maria Eleonora, quarum hæc Ferdinando Julio, Comiti de Salm & Neoburgo ad Oenum; illa verò Ernesto, Comiti de Gelnhorn Silesio, nupsit. Hanc proinde Lineam Genealogi Catholici *Catholicam*, Lutherani *Papisticam* vocare consueverunt.

Linea hæc Sunderburgica, quemadmodum temporis successu excrevit in Lineas novis nominibus expressas, ita auxerunt eadem identidem magis Ecclesiam Romanam novis conversionibus;

Dux enim Fridericus Wilhelmus Holsata Sunderburgo-Beckenfis, ut pugnaret fortissimè pro Deo & Cæsare, clypeum Romanæ Ecclesiæ non ita pridem arripuit. Vestigiis institerunt, aut præceferunt

Leopoldus Dux Holsata Sunderburgo-Weissenburgensis, conubii vinculo Fœminæ Principi Lichtensteinianæ conjunctus.

Joachimus Ernestus, Dux Sunderburgo-Plöneris, Carolo II. Hispaniarum Regi ob singularem belli peritiam pretiosus, ferè cum Rege suo an. 1700, Madriti mortuus. Hujus denique filius

Joannes

Joannes Ernestus Ferdinandus familiæ suæ Serenissimæ etiam hodie Caput Catholicum.

Dorothea Elisabetha, primùm sponsa Georgio Comiti Sinzen-dorffio, Cameræ Cæsareæ Præsidi; dein verò Comiti de Rabutin data.

Eleonora Margaretha Maximiliani Principis Lichtensteinii conjux.

Magdalena Sophia Christo in Virginum cætu desponsata.

Dorothea Hedwigis Christophoro Comiti Ranzovio matrimo-nii vinculo ligata.

Ex Landgraviis Hassiæ Rhenofelsensibus.

Ernestus genitor cum filiis Wilhelmo & Carolo, duarum diverfarum Linearum, scilicet Rotenburgicæ & Wanfridenfis authoribus, Fidei Romanæ professionem edidit successu inter hæredes secundissimo.

Ex Landgraviis Hassiæ Darmstadianis.

Fridericus an. 1636. Romæ Urbano VIII. præsentis Pontifici sacramentum dixit; creatus dein anno 1655. S. R. E. Cardinalis, & an. 1673. Episcopus Uratislaviensis.

Elisabetha Amalia, Philippi Wilhelmi Palatini Electoris conjux, multorum eorumque tum in Ecclesia, tum in Imperio Romano clarissimorum filiorum & filiarum mater felicissima circa annum 1653. Romanæ adhærere cœpit Ecclesiæ.

Georgius Christianus tenera ætate Lutherum dedoctus, à Carolo III. Rege Catholico Cataloniæ regendæ præesse jussus, anno 1705. pro Deo & Rege suo sanguinem fudit. Hujus frater

Philippus an. 1693. Catholicorum albo inscriptus sub signis Cæsareis militat Ecclesiæ. Fratrum tertius

Fridericus an. 1697. Romæ Fide Romanorum illustratus, an. 1708. lethali vulnere prostratus. Fratrum quartus

Henricus Dux, & in Hispania Caroli III. Regis Catholici in bello socius Catholicus, regiarum copiarum Ductor.

Ex Landgraviis Hasso-Homburgicis.

Georgius Christianus in Hispania & Gallia militari laude admodum clarus.

Ex Marchionibus Badensibus.

Philippus an. 1559. natus Philiberti filius à Matre Mathilde Bavara clàm potius, quàm palàm ad Sacra Romana suaviter attractus à teneris annis.

Eduardus Fortunatus, Christophori Marchionis filius, Suecorum Regis Gustavi I. ex Cæcilia filia nepos adultior factus, Romanam Fidem est amplexus, Ferdinando II. Cæsari tum in se, tum in filiis, præsertim in Wilhelmo gratissimus; inter adversitates à Durlacensi Linea sibi & suis illatas nunquam non constans sibi & Ecclesiæ perstitit ad annum 1600. vitæ suæ ultimum; ex quo tempore Linea Badensis tota denuo cœpit & perrexit esse Catholica, permagno Ecclesiæ & Imperii Romani emolumentò & solatiò,

Lineam priorem ex parte cœpit vel æmulari, vel præcedere posterior, nempe Durlacensis; Jacobus enim Marchio an. 1589. ad Romanam Ecclesiam reversus, hoc uno capite fuit infelix nimium, quòd in hæredibus brevè defecerit.

Catholicis Jacobi vestigiis institit Gustavus Adolphus, Marchio Durlacensis, suis virtutibus maximis promeritus infulas an. 1671. Fuldensem, an. 1673. Campidunensem, nec non Purpuram Romanam.

Orthodoxam Religionem suis in se restituere laboravit etiam Carolus Fridericus, Gustavi Adolphi Cardinalis ex fratre Carolo M. nepos.

Ex Principibus Nassoviensibus.

Joannes cognomento Junior Princeps Nassovio-Siegenfis an. 1638. unà cum hæredibus recepit Fidem Apostolicam; inter adversitates varias hoc etiam seculo toleratas Joannem avum Princeps nepos
Wilhel-

Wilhelmus Hyacinthus strenuè infecutus est, avitæ & antiquissimæ Religionis assertor assiduus.

Ex Linea Nassovio-Hadamarenfi Princeps Joannes Ludovicus priori seculo ad Romana castra transiit genitor multorum liberorum, ex quibus Hermannus Otto Moguntinam, Franciscus Bernardus verò Colonensem exornavit Ecclesiam creati Canonici.

Ex Ducibus Fridlandia.

Albertus Wenceslaus Eusebius Belli-Dux Cæsareus, concepto voto ægritudinem corporis gravissimam dispulit, & animi salutem recepta Fide Romana accepit.

*Extra Romanum Imperium**In Gallia.*

Henricus III. & Henricus IV. (de quibus superius) Romano Pontifici obedientiam jurârunt, quos secuta est Domus Borbonica universa, & copiosa in amplissimo regno Nobilitas priori seculo.

In Anglia.

Jacobus II. Caroli I. Angliæ Regis filius cum Jacobo Eduardo & Maria Ludovica hæredibus regiis Fidem Catholicam exilio suo celebriorem reddidit, eligens potius regno, quàm Religione destitui.

Jacobi II. primam conjugem è nobilissima Anglorum Comitum de Clarendon familia Catholicam fuisse, multorum Scriptorum consensu vulgatum habetur.

Carolus II. Anglorum Rex an. 1685. Catholicorum more mortuus esse fertur, postquam annis prioribus clàm Catholicorum aris accessit.

Inter Catholicos numerati sunt etiam Jacobus, Dux Barwiki, & Henrietta filia Caroli I. Regis itidem cum filia sua, Anna Maria Ducis Sabaudorum conjuge, qui omnes conversione sua insigne decus attulerunt Romano-Catholicis.

In Suecia.

Suecorum Regina Adolphi Gustavi filia Christina, abdicato sponte sua regno, sceproque in patrum suum Carolum Gustavum Bipontinum translato prioris seculi an. 1645. Oeniponti Lutheri doctrinam damnavit; quo ex tempore Romano Pontifici fidem iuravit, & ad annum ætatis 63. Christi 1689. potissimum Romæ cælebem vitam duxit, Magno patre Gustavo major filia.

Brevitatis causâ omittuntur hoc loco aliorum Principum Virorum ac Fœminarum quondam Heterodoxarum nomina & encomia; omittuntur non minus eximiæ laudes & catalogi Illustrissimorum, Excellentissimorum &c. DD. Comitum, Belli Ducum, Baronum, Equitum nobilissimorum, nec non Virorum simul genere & doctrinâ clarissimorum exempla tum in citt. lib. tum alibi facile invenienda, legenda, laudanda & imitatione continuanda.

En igitur magna Mundi nomina, vix non dixissem Numina! Ecclesiæ Romanæ nova decora, numerô plurima, conditione & statu diversissima, nativo solo longè dissita, moribus & legibus disparata, educatione & Religionis cultu quondam difformia, Religione nunc Romana maximè conformia! Quibus singulis & universis quid obsecro opponet vel Erdmannus, vel Hübnerus, vel horum socii, ut majori jure opponi non queat Principibus Luthero vel Calvino devotis? Statuo igitur eam denuo coronidem huic seculo, quam statuisse non piget primis Ecclesiæ, aut seculis proximis. *Unus Deus, una Fides, una Ecclesia.* Hic Deus, hæc Fides, hæc Ecclesia unica, ut mortalium multitudini per universum terrarum orbem dispersæ ritè innotesceret, seculis à Nato Servatore singulis monstravit cælum præter argumenta alia, in Principum sexu utroque exempla lucidissima, quorum numero & præstantia permotus humanus animus habet, cur uni Deo suo frequenter occinat: aut nulla est amica Deo Ecclesia, aut ea est Ecclesia Romana; hac ab Ecclesia si decepti sumus, tu Domine decepisti nos, tot argumentis tuis humanam certè rationem longissimè superantibus. Si in manu tua sunt corda Regum adeò, ut tuum ante thronum positis coronis suis adoraturi sint *Viventem*

in secula seculorum: an non in longissima hac Romanorum Imperatorum, Regum ac Ducum Serie per XVII. annorum centurias continua, citius longè erit deprehendere hos tuos Reges, tuos regios adoratores, quàm in ulla Principum Serie Romanæ Ecclesiæ inimica? Haud ita existimare me sinunt Imperatores mei, Reges, Duces, & nobilissimi Heroës Catholici, qui suis armis, suis viribus, suo sanguine per tot secula Romanam Ecclesiam propugnârunt, ac cœlorum regnum, quod *vim patitur*, & pro se & suis expugnârunt imitatoribus, coronâ gloriæ dignissimis.

Seculum Nati Christi XVIII.

L. Josephus.

Josephus Imperator Leopoldi filius, inter bella natus, inter bella ex mortalium numero evocatus est, Cæsar Augustus: Germania enim, & Hungaria armis strepebant undique, cum Leopoldo M. parenti post tertium denique connubium dederunt Superi filium communibus plurimorum votis diu petitum, & exoptatum, atque inter vivos servatum. Palatina Domus ante alias tum maximè gratulata est suam sibi felicitatem, à qua Imperium accepit futuram gemini Imperatoris Genitricem felicissimam, qua cum Augustissima Matre Imperii coronâ ornatus est Augustæ Vindelicorum novus Romanorum, jam ante Hungarorum diademate decorus Rex. Invidit coronas has plurimum Solymanus, Achmet & Mustapha, Turcarum Imperatores, quibus tamen victis multiplicem extorserunt palmam Carolus Dux Lotharingus, Ludovicus Badensis, & Eugenius Sabaudus. Non ita fidem suam Cæsari probârunt non pauca perduellium capita, qui bellis domesticis uberem dabant, & annis permultis conservabant belli flammis aptam materiem.

Hungaria, Transylvania & Moravia armorum vim perpeffæ sunt maximam, in quibus vaga & rapto vivere assueta cohors copiosissima urbes & oppida legitimo suo Regi crebrò eripuit, haud semel tantum victoriis ovans, & triumphis gloriosa, si tamen gloria possit esse in perfidia.

Bellis hisce internis augmentum dederunt, & ab iisdem sumpserunt externa bella in Germania, Italia, Hispania, Gallia & Belgio pertina-

tinacissima. Princeps armorum causa fuerat Hispaniæ regnum amplissimum, suo Rege Carolo II. orbatum nulla relicta prole hæreditaria. Duos Reges unum in regnum vocavit Mars, causam gravissimam non nisi gladii arbitriò discussurus. In partes igitur adversas easque geminas abiêre multorum pugnantium exercitus, aliis Carolo III. aliis Philippi V. nuncupati, causam probantibus. Litem denique, quam victoriis, & cladibus maximis dirimere haudquam potuit Mars, mors Marte potentior in longum tempus distulit; quæ rapuit Imperatorem pene jam cum fratre Carolo victorem. Verùm ille non majori amplius animo vitam victoriis augere, quàm finire statuit Imperator sui etiam in morte victor gloriosior, quàm tristior, doctus vivere & mori strenuè. In flore ætatis Imperio ereptus collegit fructus Austriacis Imperatoribus jam communes, quibus gaudium fuit hucusque semper, sceptrum & coronas non libentiùs usurpare, quàm deponere, tum maximè, si eos sibi reliquos adesse norint Successores, quos cognoverunt Reipublicæ magis, quàm suo intentos commodo, quales expertus est orbis sæpe universus, fuisse Imperatores ex Austriaco sanguine natos, Imperatores profectò inter bonos optimos, & ut speramus, in Imperio longè futuro ultimos. Imperavit annis 6. mortuus an. 1711. Symb. *Amore & timore.*

LI. Carolus VI.

UT plurimùm abstinet à præsentium & vivorum gestis Historia, ne incurrat adulationis notam, etsi digna laudum encomiis facinora, dignis prosequatur laudibus. Nihil igitur, vel pauca admodum scribere nunc oportet de Imperatore vivo, qui in regnorum suorum & Imperii principio jam immortale sibi comparavit nomen, cum Gallis pugnando, & pacem firmando, adversus Turcarum effusas per Hungariam copias bella gerendo, & victorias reportando; expugnatis Temesvaria & Albâ Græcâ, quarum prior ab an. 1552. usque ad annum 1716. posterior verò ab anno 1522. usque ad annum 1688. tanquam Hungariæ & vicinarum provinciarum claves in Turcarum manibus retentæ sunt; quin Alba Græca copiosissimo Christianorum sanguine an. 1688. redempta, lapsis annis

annis non nisi geminis iisdem erepta, ad annum usque 1718. sub Mahometi jugo ingemuit. Hungaria itaque sub gloriosissimis Carolo VI. auspiciis hoste gemino, domestico nimirum ac extero, felicissimè liberata, gratulatur plurimùm sibi cum affini Austria, imò regnis hæreditariis, & Imperio Romano universo eum Cæsarem, ex quo veluti ex speculo lucidissimo non Austriacorum duntaxat Imperatorum omnium, verùm etiam reliquorum in Historia celeberrimorum Cæsarum virtutes Imperatoriæ elucent adeò, ut subditorum in se etiam invitos multorum rapiant animos. Verùm fileat nunc calamus, dum loquitur orbis universus de Carolo VI. inter Carolos Magni nominis, certè posteris nuncupando Tertio. Adeò tam Caroli cognomine Magni, quàm alterius Caroli cognomento V. in Religione fervor ac constantia, in selectissimis virtutibus ardor & perseverantia totum sibi vendicant, quin adeò extollunt Augustissimum Imperatorem nostrum, ut centum etiam oculis instructissimi Argi, multi nimirum Cæsarum & Regum Zoili, reprehensione dignum facinus non invenerint. Vota igitur faciat universa Ecclesia, ut tempore longissimo conservent Superi Imperatorem illum, quem vel hostes facere maximi didicerunt, convicti à virtute, quæ laudatur crebrò ab iis etiam, qui virtute carent. Dabit, dabit spe ac fiducia vade, Cæsari Successorem, Genitori Filium, subditis Parentem, Regnis Hæredem, & post ablatum in cælos Carolum VI. Imperio Imperatorem denuo Austriacum ter Optimus Maximus DEUS, Imperatorum omnium primus & ultimus. Symb. *Constantia & fortitudine.*


REFLEXIO ultima.

Dixi & dicam amplius: ex Carolo VI. Imperatore nostro Augustissimo non solum Imperatorum Austriacorum, verùm & reliquorum in Historia celeberrimorum Imperatorum, tanquam ex speculo lucidissimo elucent virtutes Imperatoriæ adeò, ut etiam invitos multorum animos in se rapiant, ringentibus Heterodoxis. Horum, ut opinor, multi obscuros

genios imitaturi, velut in angelos lucis non rarò sese transformant, ut non displiceant Carolo VI. Imperatori; hinc fallacis amicitiae larvam induti, eidem Cæsari jus, si Superis placeat, antiquissimum, toto pectore asserunt, simulque contendunt, *Carolus VI. jure servasse sibi jus constituendi & confirmandi Romani Præsulis.* Accipe, Lector Historice, hac in synopsi, quæ repetitis foliis sparserunt non ita pridem Francofurti, Basileæ & urbium aliarum extemporanei Pseudo-Historici, qui adeò sunt liberales in Carolus VI. Cæsarem & Regem, re & nomine *verè Catholicum*, ut plumbum sæpe porrigant, at aurum auferant. Cæsarem nimirum optant dominari Pontifici ea præclara methodo, qua suis præconibus dominantur viri Principes Calvino, aut Luthero mancipati. Si tantundem impetrarent Cæsari, jam majori audacia in Ecclesiæ bona quævis jus dari Cæsari assererent, mixturi sacra profanis, terrena divinis. Hoc etiam si vendicatum Juri Cæsareo deprehenderent, Romanam in Romanorum Imperatore extinctam continuò dicerent Fidem, veluti dixere de Carolo V. & Maximiliano II. momenti longè levioris persuasi indiciis. Verùm enimverò cum inter Romanos Pontifices & Imperatores Austriacos perpetua vigeat concordia; quam satis utique hoc eodem etiam anno Legatus Cæsareus testimoniis publicam in lucem editis testatus est universis, post electionem Innocentii XIII. Pontificis Maximi optatissimè perfectam; eam aliasque ob causas annis proximè præteritis ceperunt vicini nobis Heterodoxi tum verbis, tum literis, tum paratis jam armis impetere in Ducibus Catholicis Cæsarem Catholicum: atque adeò, dum favere Cæsari cupiunt videri, inimicâ amicitiam invident, nocituri quavis occasione proxima; quam etsi calvam, crinibus tamen retinent, nunquam facile è manibus dimissuri. En præclaram liberalitatem! en plumbum, quod Cæsari offerunt! en aurum, quod auferre satagunt! Hæc aliaque multa veritati certò consentanea si legeritis, atque intellexeritis, vos qualescunque Hippolytani, Hübneriani & Erdmanniani socii, ne injuriam vobis irrogari vociferamini. Non provocans,


sed

sed provocatus à vobis, respondendum putavi, quicquid responsum datum hætenus. Vestra ego frequenter citavi folia, & verba vestra. Si locis pluribus erravit calamus, errorem calami agnoscite, quales ego in vobis silente calamo præterivi multos, cum Prætore non curaturus modica. Si in rebus majoris ponderis me lapsus graviter deprehenderit, confutate; aut si vobis erit integrum, confundite: non subterfugiam confusionem, si modò veritati suffragium feram. Si verbum fortassis expectatione vestra rigidius in uno alterove folio notaveritis, rigorem ne dixeritis, si multa vestra dictoria ponere posueritis. Quicquid denique hoc in libello aridet minus, investigate sedulo, an vestris in libris trabem non cernatis, dum festucam in meo reprehenditis. Absolvam jam paucissimis: vitate quarumvis partium studia, veritati date primas & ultimas.



Rr r 2

ASSER-



ASSERTIONES HISTORICÆ

CONTRA
ERDMANNUM ET HÜBNERUM
HOC IN LIBELLO LEGENDÆ.

I.

Ecclēsia Romana quondam *vera & visibilis* non tranſiit in non veram & non viſibilem. Vid. pag. 18. 19. 20. 21. 22. vide etiam *Reflexionem ultimam ſingulis ſeculis.*

II.

Eccleſia Romana etiam per Imperatores ethnicoſ publicam lucem ac lumen accepit. pag. 23. 24. 25. 26. 27. vide etiam *Reflexiones quatuor primorum ſeculorum.*

III.

D. Helena certò fuit conjux legitima, minimè verò concubina Conſtantii Chlōri Imperatoris. pag. 89.

IV.

Conſtantine M. certò fuit Romæ baptizatus. pag. 92.

V. Minimè

Aſſertiones Hiſtoricæ &c.

V.

Minimè verò Nicomediæ ab Eufebio Epifcopo. pag. 93.

VI.

An Donatio Conſtantineſa facta fuerit, nec ne, parùm intereſt Romanæ Eccleſiæ. pag. 97.

VII.

Non factam fuiſſe, neutiquam probârunt hætenus adverſariorum argumenta. pag. 98. & ſeq.

VIII.

Conſtantine M. in Synodo Nicæna certò non fuit Præſes Supremus. pag. 99.

IX.

Pari ratione nec Theodoſius junior, nec Martiane in ullis Conciliis Supremi Præſidis defuncti ſunt munere. pag. 124.

X.

D. Pulcheria Imperatrix dum nupſit Martiano Cæſari, non numeravit ætateſ 51. pag. 127.

XI.

Hinc certò alia longè fuit ratio, cur permanſerit virgo perpetua. pag. 126.

XII.

Belifarius fuit perſecutor Romani Pontificis. pag. 144. ſeq.

XIII.

Inter adverſitateſ crevit ſummopere Romana Eccleſia. pag. 145.

XIV.

ſeculo VI. & VII. ignorantia non accepit vires majoreſ, quàm prioribus ſeculis. 147.

XV.

Ante Phocam tyrannum abſque dubio jam floruit multo tempore titulus Epifcopi Oecumenici. pag. 165.

XVI.

Unde hujus ipſius nominis originem minimè peperit diſcordia Romani Pontificis & Epifcopi Conſtantinepolitani. pag. 166. & ſeq.

XVII.

Conſtantine IV. non potuit dare Clericis poteſtatem eligendi Summum Pontificem. pag. 170. & ſeq.

XVIII.

Quin nullus Romanorum Pontificum fuit validè ab ullo Cæſarum conſtitutus. *ibid.*

XIX.

Conſirmatio etiam, qua Imperatorum nonnulli Pontificem conſirmâſſe dicebantur,

Assertiones Historicae &c.

dicebantur, semper fuit violenta, nunquam valida. pag. cit. item 228.
258. seq.

XX.

Ecclesia Christiana non defecit seculo VII. pag. 172. & seq.

XXI.

Falsissimum est, quod Imperatores Orientis seculo VIII. fuerint à Romanis Pontificibus despecti. pag. 188.

XXII.

Unde ob hanc causam neutiquam finem accepit Exarchatus Ravennæ. pag. 188.

XXIII.

Irene imperatrix certò majori laude est dignior, quàm ipsius filius Constantinus VI. & hujus asectæ. pag. 191.

XXIV.

Carolus M. in nullo Concilio egit Præsidem Supremum. pag. 220.

XXV.

Minùs longè agnovit hanc in Carolo potestatem C. Baronius. pag. 220.
& seq.

XXVI.

In Concilio Francofurtensi non est rejectus SS. Imaginum cultus. pag. 226.
& seq.

XXVII.

Nunquam cultus Latriæ à Romana Ecclesia fuit assertus Divorum Imaginibus. pag. 191. 192. 220. 221.

XXVIII.

Ridiculum est dicere & audire, Carolum M. adoratum fuisse à D. Leone Pont. pag. 232.

XXIX.

Bertha Caroli M. soror non fuit conjux Milonis in Francia Comitis. pag. 233.

XXX.

Ludovicus II. lege neutiquam sancivit, ut Imperatores, Reges, aut Principes in Synodos admitterentur, si quæstio de Fidei Dogmatis fuisset proposita. pag. 234. seq.

XXXI.

Carolus Calvus non blanditiis, sed armata manu coronam Imperii à Romano Pontifice impetravit. pag. 236.

XXXII.

Assertiones Historicae &c.

XXXII.

Carolus M. vel omnino non sumpsit S. Eucharistiam sub utraque specie; vel id fecit more Catholicorum. pag. 238.

XXXIII.

Otto M. jura Ecclesiæ haud jure sibi asseruit. pag. 257.

XXXIV.

Leo VIII. Pseudo-Pontifex nihil de juribus Ecclesiæ potuit dare Ottoni M. pag. 258.

XXXV.

Iniqua est Pseudo-Politicorum querela, quod Constantinus, Carolus & Otto M. Ecclesiam plurimùm suis bonis ditaverint. pag. 263.

XXXVI.

D. Henricus Imperator certò cum D. Cunegunde custodivit perpetuam castitatem. pag. 280.

XXXVII.

Exempla castitatis perpetuæ longè plura est invenire inter conjuges Regios & Principes. Vide exempla seculis singulis.

XXXVIII.

Etiam Henrici III. Imp. potestas & autoritas eligendi ac confirmandi Pontificem, non fuit propria Cæsaris, sed Ecclesiæ. pag. 285.

XXXIX.

Henricus IV. procul dubio gravissimam injuriam intulit Pontificibus Romanis; non verò tulit. pag. 285. & seq.

XL.

Veritas hæc tantis ipsius Romani Imperii testimoniis liquet, ut prudenter negari non possit. pag. 286, 287. & seq.

XLI.

Sæpe spectata & sæpiùs narrata de Conrado II. Imperatore, de Comite Diepoldo & hujus filio, tandem Cæsaris genero, tragœdia est, certò fabula, non Historia. pag. 298.

XLII.

Henricus V. justissimè jus suum Ecclesiæ restituit, nunquam jure accepit. pag. 311.

XLIII.

Fabula est, Fridericum Ænobarbum ab Alexandro III. Pont. pede supra Cæsaris

Assertiones Historicae &c.

Cæsaris caput posito fuisse solutum anathemate his verbis : *super aspidem & basiliscum ambulabis &c.* pag. 312.

XLIV.

Pessimè citavit & retulit hac super re C. Baronii auctoritatem *Erdmannus.* pag. 314.

XLV.

Idem author apertè contra se asserit, Lotharium Imperatorem studuisse conservare & propugnare *puram Religionem.* pag. 316.

XLVI.

Fridericus II. nunquam iniquè anathemate percussus ;

XLVII.

Manifestas Romanis Pontificibus intulit injurias. pag. 339. & seq.

XLVIII.

Idem Imperator in sensu à Lutheranis longè diverso dixit, *vivere ac mori paratissimum se esse in Religione suorum Majorum.* pag. 346.

ASSERTIONES HISTORICÆ

PRO IMPERATORIBUS AUSTRIACIS

CONTRA HIPPOLYTUM.

XLIX.

HOdierni Politici meritò extollunt multis laudibus Familiam Imperatorum Austriacorum. pag. 347.

L.

Austriaci Imperatores concredito sibi munere sunt functi optimè, meritò *Augusti*, non *angusti* nominati. pag. 348. & seq.

LI.

Austriaci Imperatores longè magis Imperii emolumentum promoverunt, quàm rem suam privatam. pag. 350.

LII.

Assertiones Historicae &c.

LII.

Qui asserit, Austriacos Imperatores ex obscuro loco, aut stemmate esse oriundos, is prodit suam ignorantiam in Historia & Genealogia pag. 351.

LIII.

Rudolphus Habsburgicus in nullo capite fuit obnoxius vituperio. pag. 353.

LIV.

Albertus I. contra Adolphum suum æmulum jure se erexit. pag. 370.

LV.

Imperium ad se pertinere jure paterno, nunquam dixit. pag. 371.

LVI.

Patriæ libertatis hostem se nunquam declaravit. *ibid.*

LVII.

Nunquam impotenti ambitu fuit ad dignitates evectus. *ibid.*

LVIII.

Adolphum nequaquam nefario ausu trucidavit. pag. 370. &c.

LIX.

Nunquam studuit sibi vindicare Ducatum Sueviæ. pag. 373.

LX.

Non plus æquo fuit ad rem suam privatam attentus. pag. 374. & seq.

LXI.

An Ludovici Bavari, an Friderici Austriaci fuerit causa æquior, incassum litigant nunc Historici &c. pag. 376. & seq.

LXII.

Albertus II. nullis unquam vitiis, bene verò virtutibus prorsus eximiis fuit insignis. pag. 393.

LXIII.

Fridericus IV. minimè fuit cunctator somnolentus, tardus & desidiosus. pag. 394.

LXIV.

Per summam injuriam imputatur Friderico IV. Constantinopolis traditio. pag. 397.

LXV.

Imperante hoc Friderico Germania neutiquam facta est spelunca latronum;

LXVI.

Nec fœdus Suevorum inde suum accepit initium. pag. 399.

LXVII.

Non neglexit Imperii commoda ; nec ad rem suam attendit apprimè. pag. 394. & seq. 401.

LXVIII.

Maximilianus certò non fuit author tituli Archiducalis ; pag. 405. seq.

Affertiones Historicae &c.

LXIX.

Bene verò Fridericus II. ex stemmate Suevorum Imperator. pag. 404. & seq.

LXX.

Hunc Archi-Ducis titulum ob meram arrogantiam non adsciverunt sibi Austriaci Duces. *ibid.*

LXXI.

Carolus V. nequiquam contra Jura Imperii retinuit sibi Ducatum Mediolanensem. pag. 423.

LXXII.

Carolus V. Florentinis Alexandrum Medices jure restituit Principem. p. 424.

LXXIII.

Carolus V. Senarum urbi non contra datam fidem omne libertatis beneficium ademit. pag. 425.

LXXIV.

Nec urbes Parmam & Placentiam iniquè reddidit Ecclesiæ. pag. 427.

LXXV.

Nec malè Ducatum Würtembergicum Domûs Austriacæ feudum constituit. pag. 428.

LXXVI.

Constantiam quondam liberam Imperii urbem non per nefas ditionibus Austriacis adjecit. pag. 430. & seq.

LXXVII.

Austriaca Familia à Caroli V. tempore nihil juris per injuriam Imperii sibi vindicavit;

LXXVIII.

Quin palpabilem eidem inferunt injuriam, quicumque hoc asserunt & cum Hippolyto sentiunt. pag. 431.

LXXIX.

Carolus prudentissimè, providentissimè & operosissimè consuluit Imperii bono, plerumque impeditus à nonnullis Imperii Statibus. pag. 431. & seq.

LXXX.

Qui Carolum V. aut Maximilianum II. dogmati Lutherano immortuum scribunt, fatui sunt. pag. 435. & seq.

LXXXI.

Nec Ferdinandus II. nec ullus alius ex Austriacis Imperatoribus reliquis viam interceptit electioni Imperatoris liberæ pag. 464.

LXXXII.

Ferdinandus II. nunquam imperavit subditis pro libitu; pag. 467, 468. & seq.

LXXXIII.

Nec leges tulit, solutus ipse legibus. *ibid.*

LXXXIV.

Affertiones Historicae &c.

LXXXIV.

Donavverda jure merito fuit Bavaricæ Duci subjecta. pag. 467.

LXXXV.

Ferdinandus nec Bullam Auream, nec Constitutiones ullas pro suo libitu & privata utilitate est interpretatus. pag. 469.

LXXXVI.

Longè minùs Imperii totius & omnium Ordinum jura invasit, irruit, irruit, quasi nullis amplius Capitulationis repagulis fuisset constrictus. pag. 469.

LXXXVII.

Fridericum Palatinum Electorem nec solus, nec per injuriam proscripsit. pag. 472.

LXXXVIII.

Nec Tractatus Pragenses cum solo Electore Saxone sine ullo Ordinum Electorumve consensu pertexuit. pag. 473.

LXXXIX.

In numerum Imperii Ducum meritò adoptavit Transylvaniæ Principem & Comitem de Arnberg; in Imperii verò Comitum albo scripsit laudatissimè Fuggeros. pag. 474.

XC.

Comitem Wallensteinium non solus elegit sibi in supremum exercitus Cæsarei Ducem. pag. 478.

XCI.

Quòd si tamen solus elegisset, injuriam eo præsertim tempore nemini fecisset. pag. 478.

XCII.

Ferdinandus II. Heterodoxos Viros, qui bona Ecclesiæ cœperunt possidere, è numero Ecclesiastico exclusos voluit æquissimè. pag. 479.

XCIII.

Unde nullatenus apparet, Ferdinandum II. aut ullum alium Austriacum Imperatorem fuisse tyrannum.

XCIV.

Qui Austriacos Imperatores more Hippolytano non veretur dicere tyrannos, is suo ore aut calamo semet confundit & confutat abundantissimè. *Vid. Reflex. ultimorum seculorum.*

XCV.

Nec Carolus VI. nec ullus Austriacorum Imperatorum alius unquam prætendit, Pontificis Romani Electionem aut confirmationem deberi Romanorum Imperatori. pag. 495. *Vid. Reflex.*

XCVI.

Sunt in Serie Romanorum Imperatorum omnium præ reliquis celebres

decem familiae, e quibus omnibus Austriacam esse optimam, si contendas maximè, blandiris minimè. *Vide gesta & Reflex. Austriac.*

XCVII.

Universis proin totius Imperii Statibus in id unum totis viribus incumbendum est, ut Austriacorum Imperatorum familiam Ecclesiae & Imperio tempore longissimo conservent. *pag. 479. 480. & seq.*

XCVIII.

Exempla Imperatorum, Regum, Ducum, ac Virorum Principum tot ac tanta seculis jam quatuordecim illustrarunt Romanam Ecclesiam, ut eadem sola merito sufficere possint ad reducendos Heterodoxos. *Vide seculis singulis. Reflex. ultim.*

XCIX.


Eadem exempla illustrissima à Constantino M. usque ad Carolum Nostrum Augustissimum per singula secula exhibuerunt nobis, & exhibebunt deinceps posteris nostris Ecclesiam Veram instar civitatis lucidissimae supra montem posita;

C.

Minimè verò instar lucernae sub modio abscondita. *Vid. seculis singul. Reflex. ult.*

CI.

Exempla talia ac tanta si nobis ostenderint Lutherani aut Calviniani, parati sumus Luthero aut Calvino dare fidem & utramque manum.



INDEX PRÆCIPUARUM RE- RUM ORDINE PAGINARUM.

A.

- A**bsimarus Imperii inuasor. *pag. 162. & seq.*
- Academiae Pragensis & Heidelbergensis instituta. 367.
- D. Adelhais Ottonis M. conjux. 252.
- Adolphus Nassovius contra Albertum I. electus. 235.
- Imperii milites facit mercenarios. *Ibid.* Thuringiae Principes armis petit. 236. Ab Imperii Electoribus vinci & deponi curatur. *Ibid.* An jure tandem postpositus Alberto I. 370. & seq.
- Æmilianus. *pag. 46.*
- Agnes Henrici IV. Caesaris mater, filio justè irata. 278.
- Alaricus Visigothorum Rex dolis Urbem capit. 87.
- Albertus I. postponitur Adolpho. 235. Mox Adolpho præhabetur. 236.
- Duodecies certat cum hostibus. Item aliaejus qualitates. 361. & seq.
- Albertus II. universis probatus Rex & Imperator. 386. 387. 393.
- Albertus Archi-Dux, Fundator Academiae Friburgensis. 388.
- Alboinus Longobardorum Rex. 141.
- Alexander Severus. 142.
- Alexander III. Pont. 312.
- D. Ambrosius consiliis prodest Imperio. 82.
- Amphilochius & Acholius Episcopi, præceptores Theodosii M. 84.
- Anastasius Uicorus, tyrannus Eutychianus. 122.
- Antoninus Pius idea Imperatoris Clementissimi. 31.

Index Rerum.

Angliæ Reges & Principes conversi, 491.
D. Anthusa, 185. 200.
Arbogastes proditor Valentiniani II. 83.
Arcadius Eudoxiæ conjugii nimis indulgens, pœnitentiâ delet peccatum 87.
Laudatus à doctrina, 147.
Argentoratum ab Ottone M. expugnatum, 252.
Arnulphus infelix Imp. 217.
Artaburius Theodosii II. Dux strenuus, 113.
Arthemius seu Anastasius II. inconstans, 180.
Aspares Theodosii II. Dux victus à Genserico, 113.
D. Athanasius à Constantino M. Treviros dimissus, 74.
A Constantino II. repetitus 75. Scripsit pro Constante I. contra Scriptores
ethnicos; moritur, 76. 104. 108.
Attalus Rom. Imp. hostis punitus, 88.
Attila, Hunnorum Rex, flagellum Dei, 115.
Asylum Ecclesiæ antiquissimum, 111.
Augustus Octav. 1. & seqq.
Aurelianus captâ Zenobiâ Reginâ triumphat, 49. Partem Urbis laxioribus
mœnibus circumdat, 50. Auream coronam Imperatorum primus
tulit, *ibid.*
Aurelius Stoicus natorum suorum emendator; victor Bohemorum, Mo-
ravorum &c. 32.
Austriæ & Bavarix nova divisio, 307.
De Austriacis Imperatoribus & Archi-Ducibus vide *indicem priorem.*

B.

Babo, Comes Abenspergensis, 273.
Badensis Marchio Christophorus, 448.
Badenses Marchiones conversi, 490.
Bartholus, 367.
D. Basilus miraculis clarus, 107.
Basiliscus Eutychianus, 122.
Bassianus fratericida 39, Alexandri M. æmulator fatuus, *ibid.*

Batho-

Index Rerum.

Bathorius, Transylvaniæ Dux, 422.
Bavarix & Austriæ nova Divisio, 307.
Bavarix Duces laude clarissimi, 445. 446. &c.
Belisarius, 138. 144. & seq.
Berengarius Imperii sceptrum ambit, 218. 252.
Bernardus, Caroli M. nepos, privatur oculis, 210.
D. Bernardus Lotharii II. oraculum, 303. 304.
Bernardus, Halberstatensis Episcopus, resistit Ottoni M. 261.
Bibliotheca Constantinopoli perit incendiô, 182.
Bohemis leo loco aquilæ cum cauda duplici pro insigni datur, 308.
Burgundici regni Rex I. & ultimus, 217. 275.
Brunsvicenses Duces conversi, 485.

C.

Cæsares novorum Regum, Ducum, Principum & Comitum Creatores,
475. & seq.
D. Cælestinus author Concilii Ephesini, 125.
Caligula, 7.
Caracalla fratericida; Alexandri M. stolidus æmulator, 39.
Carinus sævus & libidinosus, 52.
Carolus M. an Germanus, an Gallus, 205. Bellum Aquitanicum paucis
diebus absolvit *ibid.* Longobardorum, Hungarorum, Saxonum & Sa-
racenorum victor 206. 207. Multarum Religiosarum Domuum Con-
ditor, 207. Literarum Mæcenas, *ibid.* Imperator creatus, 209. Non
fuit in Concilio Præses, 220. Nunquam habuit jus confirmandi Pon-
tificem, 229. &c. vide *priorem indicem.*
Carolus II. victor sui & Saracenorum 215. A Medico occisus, *ibid.*
Carolus III. ob defectus varios depositus, 216. & seq. A Joanne VIII. Pont.
coronatus, 263.
Carolus IV. linguis & literis excultus; author Bullæ Aureæ; Vitricus Im-
peri vocatus, 307.
Carolus V. linguis & literis imbutus, majori armorum amore accenditur,
413. Administrator Belgii, Rex Hispaniæ & Imperator in juventute cle-
-tus.

Index Rerum.

- Ætus *ibid.* Multarum ædium sacrarum conditor. 415. Expeditionibus plurimis fatigatus, dictis & factis verè Magnus. *ibid.* vid. *Indicem priorem.*
Carolus VI. Magnis Imperatoribus par aut major. 495.
Carolus Andegavenſis captus. 328.
Carus, Pelonorum & Perſarum victor. 52.
D. Catharina victrix Maximini. 72.
D. Chryſoſtomus in exilium pulſus. 86.
Chriſtianus Auguſtus, Dux Saxo-Citicus Card. 484.
Claudius I. 8. Claudius II. 48.
Clerici & Monachi exempti à poteſtate Cæſaris. 130.
Cluniacenſe Monasterium viris nobiliſſimis clarum. 266.
Codex Theodoſianus. 114. Juſtinianeuſ. 139.
Conciliabulum Ephelinum à Theodoſio II. malè permiſſum. 114. Legitimum verò bene celebratum. 124. & ſeq. Chalcedonenſe 148. Conſtan- tinopolitanum I. 84. II. 139. III. 161. Nicænum II. 186. 226.
An ad Concilia admittendi Laici? 234.
Conradinus Suevorum Dux ultimus. 327.
Conradus I. multis obnoxius hoſtibus. 248. victus ab Henrico Aucupe; victor verò Ducis Bavar. & Hunnorum *ibid.* Author Feudorum & hæ- reditarii juris Ducibus Imperii conſeſſorum. 249.
Conradus II. exemplar manſuetudinis & hoſtium multorum victor. 274.
Conradus III. luit pœnam talionis. 304.
Conradus IV. Imp. infelix. 327.
Conſtans Monothelita. 159. 172.
Conſtancia Petri III. Arragonum Regis conjux. 329.
Conradus Zeringenſis regni Arelatenſis Prorex. 305.
Conſtantinopolis incendiis obnoxia. 120. 121. expugnata. 389. 409. &c.
Conſtantine M. 68. & ſeq. Conditor Conſtantinopolis. 74.
A variis ſeductus non favet D. Athanaſio. 74.
Conſtantine II. Conſtantine & Conſtans fratres. 75.
Conſtantine III. in flore ætatis Eccleſiæ & Imperio creptus. 158.
Conſtantine IV. Deiparæ auxiliò victor. 161. 162.
Conſtantine V. Copronymus SS. Imag. hoſtis. 184. 190.

Conci-

Index Rerum.

- Conciliabuli VII. ut vocant, Oecumenici author. 192.
Conſtantine VI. 186.
Conſtantine XI. victus. 398. & ſeqq.
Conſtantine Chlorus. 54. 66. Germanorum victor, Conſtantia in Suevia Conditor &c. 67.
Criſpus Cæſar Conſtantini M. filius. 73. & ſeqq. Occiſus innocens. *ibid.*
S. Crucis Exaltatio inſtituta. 157. S. Crux miraculis clara. 172.
Cultus SS. Imaginum à Nicæno Concilio II. & Francofurtenſi approbatus. 226. 227. 242. 246.
Cunimundus Germanorum Rex. 141.
Cyrus Conſtantinopolis Patriarcha exul. 179.

D.

- Dalmatia Hungariæ unita. 297.
Daniel Stylita. 133.
Decentius Magnentii tyrann. frater ſe ſuſpendit. 77.
Deiparæ auxiliuſ. 162.
Didius Julian. honorum mercator & Imperii invaſor. 34.
Diepoldus Comes de Calb an pater Henrici III. Imp.? 298.
Diocletianus callidus, ſuperbus, tyrannorum maximus. 53.
Dioſcorus damnatus. 126.
Domitianus imbellis. 16.
Donawerda ſubacta. 422. 467.

E.

- Edictum reſtitutorium. 471.
Eleonora Magdalena Culmbacenſis Princeps ſæm. 485.
Elifabetha Chriſtina Imperatrix Auguſtiſſima. 485.
Elifabetha Amalia Philippi Wilhelmi Palatini Electoris conjux. 489.
Erneſtus II. Suevorum Dux Conradi II. Cæſ. hoſtis. 274.
Eudoxia Arcadii conjux Ariana D. Chryſoſt. inſenſa. 86.

R. P. Kolb Series Imp.

T t t

Eudoxia

Index Rerum.

Eudoxia Theodosii II. conjux. 114.
Eusebia Imperatrix Ariana Juliani Apost. amica. 78.
Eusebii Cæsariensis & Nicomediensis Ariani & hostis Ecclesiæ Romanæ. 92.
Eutyches damnatus. 118.
Exarchatûs initium. 141. finis. 188.
Exempla præclara Imperatorum, Regum, Ducum ac aliorum Virorum
Fœminarûmque Principum ad Fidem Romanam conversorum, & in
eadem confirmatorum. Vid. *Reflex. ult. seculis singulis.*

F.

FAbula de Conrado II. Henrico III. & Comite de Calb. 298.
Familiæ Imperatorum præcipuæ. 348.
Faustina Imperatrix Ariana D. Ambros. inimica. 83. 109.
Ferdinandus I. Roman. Rex, Imperator hostium variorum victor. 418. Li-
teratorum Mæcenas Academiam Pragensem restituit. 419.
Ferdinandus II. vide *superius.*
Ferdinandus III. Imp. literis & scientiis clarissimus. 457. Expugnator urbium.
Ibid. mitissimus, S. Eucharistiæ cultor, M. Virginis &c. &c. 458.
Ferdinandus Bojarizæ Dux Elector Coloniensis. 472.
Festum OO. Sanctorum. 212.
Fœdus Suevorum. 399.
Francisca Sybilla Augusta Saxo - Lauenburgica Ludov. Wilhelm. March.
Bad. Princeps vidua. 485.
Franciscus Gallorum Rex. 414.
Fratres 7. Dormientes. 60.
Fridericus I. Anobarbus. 308. Pontificum hostis anathemate confixus &c.
309. Alexandro III. Pont. conciliatus. 312. *seq.*
Fridericus II. hostis Pontificum. 339. Mæcenas literatorum. 326. *seq.*
Fridericus Brunsvicensis Imp. 382.
Fridericus Pulcher Imp. fortissimus. 365. 376. & *seq.*
Fridericus IV. Imp. 388. vid. *Indicem priorem.* 394. 398. &c.
Fridericus Austriæ Archi-Dux capite plexus. 328.

Frider-

Index Rerum.

Fridericus Augustus Polonorum Rex. 484.
Fridericus Saxo-Gothus perduellium Dux punitus. 420.
Fulminatrix Christianorum legio victrix. 33.
Fürstenbergici Comites & Principes. 447. 455.

G.

GAlba. 10.
Galeacius Mediolanensis Dux. 383.
Galerius Maximianus Dioclet. Collega. 54. 66. 67.
Gallienus crudelis in patrem. 47.
Gallus Cæsarem primus Romam tributariam facit. 46.
Gallus Imperii inuasor. 77.
Gebhardus Coloniæ Elector Lutheranus. 422.
Geladius II. Pont. à Romanis defensus. 401.
Georgius Saxonizæ Elector. 471.
D. Germanus SS. Imaginum propugnator. 182.
Germani præcurfore lepore Romam capiunt. 218.
Germanorum clades ab Hunnis data. 247.
Gilimer triumpho ductus. 137.
Gordiani tres. 43. 44.
Gratianus & Valentinianus duo fratres. 82.
Gregorius V. Pont. author Electoratûs Imperii. 255.
Gregorius VII. Pontifex an jure fuerit hostis Henrici IV. Imp. ? 285.
&c.
Gregorius IX. 339.
Grumbachius perduellium Dux in Franconia punitus. 420. & *seq.*
Guelphus Bavarizæ Dux ab uxore liberatus. 305.
Guelphorum & Gibelinorum nomina. 305.
Guido Spoleti Dux, Arnulphi Imp. æmulus. 217.
Guilielmus Comes Hollandus Imp. 326.
Gustavus Suecorum Rex. 457.

Ttt 2

H. Hadria-

H.

- H**Adrianus Imp. doctorum virorum æstimator. 297.
 Hassiæ Landgravii conversi. 489.
 D. Helena. 68. 74.
 Heliogabalus redivivus Sardanapalus. 41.
 Henricus Auceps fortis, prudens, Marchionum novorum & Equestrium Ludorum author. 249. & seq.
 D. Henricus hostium victor. 271. Cum Roberto Gallorum Rege optatissimam pacem init; Episcopatum & ædium SS. fundator. 273. Cæsar; conjux & virgo. 280. & seq.
 Henricus III. Bohemorum victor & Hungarorum, Ratisbonæ nudis pedibus visitat templa. 276. Rebus Pontificiis sese immiscet. *Ibid.*
 Henricus IV. Jurium Ecclesiasticorum invalor, Imperatorum infelicissimus. 278. 285. 286. &c.
 Henricus V. à Paschale Pontifice extorquet jus confirmandi Pontificem; invalor Juris Pontificii, tandem mitior factus. 300. 301.
 Henricus VI. Asper & crudelis. 309.
 Henricus VII. Lyceburgicus Imp. æquissimus favet Suevis & Austriacis; Gibelinos & Guelphos dissipat. 363.
 Henricus Rixosus. 253. 254.
 Henricus Bavarix Dux servator Ottonis III. 255.
 Henricus Superbus Bavarix Dux Lotharii Imp. propugnator, 303. Conradus III. hostis. 304.
 Henricus Leo Bojorum Dux Friderico I. infensus. 307.
 Henricus III. & IV. Reges Gallorum. 491.
 Hyppolytus fatetur, contra se stare Politicos omnes. 347.
 Holsatiæ Duces conversi. 488.
 Honorius III. Pont. qualis fuerit erga Fridericum II. 332.
 Hungari refractarii. 471.

I.

- I**nnoentius IV. qualis fuerit erga Fridericum II. 339.
 D. Joan. Damascenus SS. Imaginum propugnator. 182. 196.
 Jodocus Imp. 382.
 Jovinianus Imp. ex affe Catholicus. 79.
 Irene Imperatrix Concilium Nicænum II. adjuvat. 186.
 Juditha Ludovici Pii conjux altera. 210.
 Juliensis Dux Guilielmus mortuus, causa litis. 423.
 Julianus Apostata. 78. S. Crucis & SS. Reliquiarum inimicus. 105.
 Jurisdictio Ecclesiastica nunquam Imperatoribus concessa, 99. 100. 107. &c.
 Justinianus I. variis virtutibus & vitiis insignis. 137. & seq. 148. 170. & seq.
 Justinus I. Romanæ Ecclesiæ addictissimus. 136.
 Justinus II. aliquo tempore Pelagianus. 140. & seq.
 Irmengardis Ludovici Pii conjux prima. 210.

L.

- L**Aici an possint locum habere in Conciliis? 126. 234.
 Leo I. Cultor B. V. & literarum promotor. 119. 120.
 Leo II. 121.
 Leo III. Isaurus, Osor SS. Imaginum. 182. Anathemate proscriptus. 189.
 Leo IV. SS. Imaginum osor. 184. 190.
 D. Leo an adoraverit Carolum M.? 232.
 Leontius Imperii invalor. 262. 263.
 Leopoldus Austriæ Dux & Richardus Angliæ Rex hostes facti. 309.
 Leopoldus M. ex fratribus superstes, literis, artibus & virtutibus variis ornatus. 459 & seq. Bohemorum, Hungarorum Rex, & mox Imperator; ædificiorum sacrorum & profanorum conditor. *Ibid.* Turcarum & aliorum hostium victor. 461. &c.
 Libellus repudii ab Imperatoribus ethnicis frequenter datus. 90.

Index Rerum.

Licinius Collega Constantini M. 71. & seq.
Lotharius I. cum fratribus de regnis certat. 211. & seq.
Lotharius II. Imperator laudatissimus. 302. 303.
Lucius Verus tyrannus. 32.
Ludovicus Pius. 210.
Ludovicus II. emendatus. 213.
Ludovicus III. 215.
Ludovicus IV. occidit Albertum Bambergæ Comitem. 247. Hunnis tributum solvit. *Ibid.*
Ludovicus Severus Rudolphum Habsburg. eligit Cæsarem. 333. Laudat acta ejusdem cum Italis. 355.
Ludovicus Bavarus multis dignus laudibus. 366. 376.
Ludovicus XIV. 461.

M.

Macrinus versipellis & homo temporum. 40.
Magnentius Constantis I. proditor. 77.
DD. Magorum corpora Mediolanò Coloniam translata. 307.
Mahometis origo. 157.
Manfredus ambitiosus parricida. 326.
Maria Aragonica conjux Ottonis III. adultera punita. 256.
Maria Burgundica conjux Maximiliani. 390.
Martianus Cæsar D. Pulcheriæ sponsus castus. 118.
Martina Imperatrix noxia. 157.
D. Martinus Pont. Rom. malè habitus à Constante II. 173.
Mathias Corvinus Hungariæ Rex Viennæ expugnator. 388.
Mathias Governator Belgii; Dux exercitûs; Præses in Comitibus Hungaricis. 451. Bohemorum & Hungarorum Rex & tandem Imperator. *Ibid.* & 452.
Mauritius victoriis & morte clarissimus. 143.
Mauritius Elector Saxo Caroli V. hostis. 414.
Maxentius. 68.

Maxi-

Index Rerum.

Maximianus Diocletiani Collega. 55. 68.
Maximilianus I. Literatorum amator. 389. Creat Duces varios &c. 390. & seq. variis urbibus se beneficium exhibet; Circulos Imperii instituit. *Ibid.* Ludovici XII. Gallorum Regis victor. 391.
Maximilianus II. 420.
Maximilianus I. Dux Bavarus Donawerdam subigit. 422. 467. & seq. Fit Elector. 472.
Maximinus Thrax gigas, helluo, tyrannus. 43.
Maximustyrannus Valentiniani III. proditor. 116.
Maximus Gratiani hostis. 82. 84.
D. Maximus Græcus plurima passus. 159.
Megalopolitanus conversus. 488.
Monothelitæ condemnati. 161.

N.

Narces. 140.
Nassovienses Principes conversi. 490.
D. Nepomucenus. 368.
Nero. 9.
Nerva gentilis Christianæ mansuetudinis exemplum. 17.
Nicænum Concilium & hujus sententia de cultu SS. Imaginum. 193.
Nicephorus Leonis Imp. frater. 185.
Numerianus occisus ab Apro socero. 53. & seq.

O.

Odoacer Herulorum Rex Romæ expilator. 117. 121.
Offenburgum extructum. 383.
Osius Pontificis nomine Præses in Concil. 101. 103.
Otto I. 11.
Otto Saxonix Dux recusat Imperii coronam. 248.
Otto M. multorum hostium victor. 251. à Joanne XII. Pont. coronatus. 252. *vid. Ind. priorem.*

Otto

Index Rerum.

Otto II. Danorum, Saracenorum & Italarum victor. 254.
 Otto III. unà cum Gregorio V. Pont. Electoratum erigit. 255. Polonia
 Boleslaum dat primum Regem. *ibidem.*
 Otto Wittelspachius à Friderico I. honoratus. 307.
 Otto Wittelspach. junior Philippum Cæsarem occidit. 324.
 Otto Brunsvicensis Imp. 324.
 Ottocarus Bohemorum Rex Rudolphi Habsburgici hostis. 333.

P.

Palatinatus Superior à Conradino Suevorum Duce aut venditus, aut
 elocatus. 328.
 Palatini Duces conversi. 486. vide *Indicem priorem.*
 Papiniani Icti prudens responsum. 39.
 Partis I. conclusio. 200.
 Paschalis II. Pont. coactus permittit aliquo tempore Henrico V. jus con-
 firmandi Pont. 301.
 Persecutiones Catholicorum. 55. 56. &c.
 Petrus Hungariæ Rex Henrico III. Imp. supplex. 276. & seq.
 Pertinax Cæsar per gradus varios elevatus. 34.
 Pestis Constantinopoli gravis. 181.
 Philippi duo Christiani non probi. 45. & seq.
 Philippicus Bardanes Monothelita. 179.
 Philippus, Gallorum Rex, coronæ Imperii avidus. 363. & seq. 366.
 Philippus II. ab Ottone Wittelspachio occisus. 324.
 Phocas tyrannus. 155. 156. 165.
 Placidia soror Cæsaris Honorii consulit rebus Rom. 88.
 Polonorum Rex primus. 255.
 Pontifex unus Supremus, cujus Jurisdictio sacra nunquam Imperatori-
 bus liberè est concessa. 99. & seq. 107. 211. 229. 234. 257. 261. 300.
 304.
 Pontifex Romanus non judicandus à Cæsare. 261. & seq.
 Pontifex Rom. Episcopus Oecumenicus. 165. 166. & seq. 127.
 D. Potamiana M. in vota vocatur teste Erdmanno. 55. 56.

Pota.

Index Rerum.

Potamon Heracleæ Episcopus in carcere socius Eusebii inconstantis con-
 stantissimus. 93.
 Probus Imperator probatissimus. 51. Hujus triumphus. 52.
 D. Pulcheria Virgo & conjux Augusta. 113. 118. 128.

R.

Reliquiis SS. varia miracula patrantur. 105. 107. 109. 130. 131. 133.
 195. 211. 266. &c. &c.
 Richardis Imperatrix Ecclesiæ Andlaviensis fundatrix. 216.
 Richardus Angliæ Rex & Leopoldus Dux hostes facti. 309.
 Richardus Angliæ Imperator electus. 329.
 Robertus Galliæ Rex pacem optatissimam cum Germanis init. 272.
 Rogerius Laurea Caroli Andegavensis in Sicilia hostis. 328.
 Rotwilæ tribunal. 306.
 Rudolphus origine Suevus regni Burgundici Author. 217.
 Rudolphus Comes Rheinfeldensis Cæsar electus. 278.
 Rudolphus Habsburgicus transit ex aula Cæsaris in aulam Bohemorum
 Regis; Deum Eucharisticum comitatur. 332.
 Crucifixi Dei imaginem loco sceptri arripit. 333. In 14. præliis victor.
 334. Virtutibus multis ornatus diem Passionis Dominicæ sacram Vene-
 ris pugnis destinat. *ibid.* vide *Indicem priorem.*
 Rudolphus II. variarum scientiarum decus. 421. Varias Heterodoxo-
 rum urbes subigit. 422. Gebhardum Colonix Electorem dignitate
 sua privat. *ibid.* Literas Majestatis Bohemis indulget. *ibid.* à Turcis
 victus. *ibid.* Domesticis etiam bellis petitus. 423. Cedit coronas fratri
 Mathiæ. *ibid.* Mortuus relinquit thesaurum. *ibid.*
 Ruffinus & Stilico Arcadii & Honorii Cæsarum curatores perfidi. 86.
 Rupertus Imperator justissimus. 383. Leodii cives rebelles castigat. *ibid.*

S.

Salutationis Angelicæ initium. 125.
 Saporensis Perfarum Rex Constantii Arianæ crebrò victor. 77.
 Saxonix Duces ad Sacra Romana conversi. 484.
 Scepusius Transylvaniæ Dux Ferdinandi I. hostis. 418.
 Schwarzenbergicus Comes Turcarum victor. 423.

R. P. Kolb. Series Imp.

Uuu

Sedes

Index Rerum.

Sedes Apostolica ab homine non judicatur. 259.
Septimius literis & armis clarus filiorum victor. 38.
Sigismundus Imp. suomet se suffragio elegit, literarum æstimator. 384.
Concilium Constantiense & Basileense adjuvat. 385.
Solimannus Cæsarum hostis. 418. & seq.
Sophia Imperatrix Narsetis inimica. 140.
Stilico & Ruffinus curatores perfidi. 86.
Straubinga Canonicis Augustanis donata redimitur à Bavarix Duce. 271.
Suevorum fœdus. 399. 400.

T.

Tacitus Imp. Reipublicæ amator, & doctorum æstimator. 50.
Theodora Imperatrix noxia. 140. 145.
Theodoricus Gothorum Rex tyrannus. 136.
Theodosius M. 83. 84. &c.
Theodosius II. literarum promotor. 85. 147. S. Crucis cultor, Immunitatis Ecclesiasticæ assertor &c. *ibid.*
Theodosius III. factus Monachus. 181.
Tiberius I. 6. Tiberius II. 141.
Titus idea boni Principis. 15.
Transactio Passaviensis. 414.
Tycho Brahe Astronomus. 421.

V.

Valentinianus & Valens fratres dissimiles. 80.
Valentinianus & Gratianus fratres. 82.
Valentinianus III. à tribus perfidis simul petitur. 115.
Valerianus à Sapore ferreæ cavæ inclusus. 47.
D. Udalricus Ottonis M. contra Hunnos comes. 253.
Vespasianus. 13.
Vesperæ Siculæ. 328.
Visibilitas veræ Ecclesiæ perpetua ostenditur duabus Regulis. 19. 20. & seq.
Patet eadem ex gestis Imperatorum ethnicorum. 23. & seq. Maximè vero eadem constat ab exemplis Christianorum Imperatorum, Regum, Ducum &c. 55. & seq. 92. 102. 129. & seq. 146. 151. 172. 204. 241. 270. 268. 297. 322. seq. 360. 378. 412. & seq.
Vitellius belluo. 12.
Volusianus. 46.
Vorum Virginitatis in Ecclesia prima usitatissimum. 90. 96. 106. & seq. 108. 128. &c.

W. Wences-

Index Rerum.

W.

Wenceslaus probrum Imperatorum. 368.
Württembergici Duces. 487. & seq.
Witekindi M. hæredes ad Orthodoxa Sacra conversi. 484.
D. Wolffgangus S. Henrici præceptor. 271.
Wolffgangus Wilhelmus Dux Palat. 486.

Z.

Zenobia regina in triumpho ducta. 49.
Zeno. 121.
Zeringensis Dux recusat coronam Imperii. 324.
Zisca malorum plurimorum author. 385. 400.

F I N I S.

